ELOQUENTIUM VIRORUM

NARRATIONES

DE VITIS HOMINUM

DOCTRINA ET VIRTUTE EXCELLENTIUM

COLLEGIT

ET

IN USUS IUVENUM

LIBERALIBUS STUDIIS OPERANTIUM

EDIDIT

CAROLUS HENRICUS FROTSCHER

PHILOS. DOCTOR PRIV. IN UNIVERS. LITT. LIPS. ET AA. LL. MAG. SCHOL. NICOL. LIPS. COLL. III. BIBLIOTH. SENAT. PRAEFECT. II. SOC. OECONOM. LIPS. SODAL. SEMINAR. REG. SAX. PHILOL. ET SOC. LAT. IENENS. SODAL. HONOR.

VOL. I.

LIPSIAE 1826.

SUMPTUS FECIT ET VENUMDAT HARTMANNUS

IOANNIS IACOBI REISKII
IOANNIS AUGUSTI ERNESTII
IOANNIS GEORGII GRAEVII
AC
TIBERII HEMSTERHUSII

ELOGIA

AB ELOQUENTISSIMIS VIRIS SCRIPTA

IN USUS IUVENUM
LIBERALIBUS STUDIIS OPERANTIUM
EDIDIT

CAROLUS HENRICUS FROTSCHER

PHILOS. DOCTOR PRIV. IN UNIVERS. LITT. LIPS. ET AA. LL. MAG.
SCHOL. NICOL. LIPS. COLL. III. BIBLIOTH. SENAT. PRAEFECT. II.
SOC. OECONOM. LIPS. SODAL. SEMINAR. REG. SAX. PHILOL.
ET SOC. LAT. IENENS. SODAL. HONOR.

ADDITUM EST

IPSIUS REISKII DE VITA SUA COMMENTARIOLUM
EX TABULARIO SCHOL. NICOL. LIPS. DEPROMPTUM

LIPSIAE 1826.
SUMPTUS FECIT ET VENUMDAT HARTMANNUS

VIRO MAGNIFICO

DOCTRINA ET VIRTUTE ORNATISSIMO

CHRISTIANO DANIELI BECKIO

PRAECEPTORI SUO ET PATRONO
PLURIMUM VENERANDO

LIBRUM HUNC

PUBLICUM PIETATIS MONUMENTUM

EXSTARE VOLUIT

CAROLUS HENRICUS FROTSCHER

[redacted]

ELOQUENTIUM VIRORUM

NARRATIONES

DE VITIS HOMINUM

DOCTRINA ET VIRTUTE EXCELLENTIUM

COLLEGIT

ET

IN USUS IUVENUM

LIBERALIBUS STUDIIS OPERANTIUM

EDIDIT

CAROLUS HENRICUS FROTSCHER

PHILOS. DOCTOR PRIV. IN UNIVERS. LITT. LIPS. ET AA. LL. MAG. SCHOL. NICOL. LIPS. COLL. III. BIBLIOTH. SENAT. PRAEFECT. II. SOC. OECONOM. LIPS. SODAL. SEMINAR. REG. SAX. PHILOL. ET SOC. LAT. IENENS. SODAL. HONOR.

VOL. I.

LIPSIAE 1826

SUMPTUS FECIT ET VENUMDAT HARTMANNUS

utiliter instituendorum rationem docere posse et doctrinae pariter ac virtutis amorem aemulationemque in animis eorum excitare videntur. Quam ob rem non opus erit, ut opinor, consilium meum apud eruditos viros excusare; quum id plerumque faciant, si qui, quum prooemium scribunt, vel sibimet ipsis paullulum timent vel suspectas a se editi libri virtutes habent. Accedit quod externus quoque cultus horum voluminum talis est, quem ab hominibus elegantiae amantibus iure meo sperem laudatum iri: atque ipse ego omni cura providendum putavi, ut quam emendatissima singula ederentur. Neque enim ego is sum, (quidni ingenue profitear?) cui placeat intempestiva quorumdam audacia, qui, quos libros cunque vix semel legerint, continuo in publicum protrudere soleant: immo plurimum apud me valuit et semper valebit illorum virorum aucto-

ritas, qui tantum honorem reverentiamque optimis litteris deberi indicarent, ut vel in minimis libellis quacunque de caussa publicandis summam diligentiam ponerent. Quod ipsum pro virium mearum modulo fecisse me, quum ex adnotationibus meis, tum ex indicibus librorum a me additis, aequi peritique harum rerum arbitri censebunt; sed magis etiam intelligent, ubi in manus sumpserint criticos (sic enim vocare liceat) commentarios, quos de his narrationibus et Latinitate potissimum conscriptos singulari volumine edere constitui.

Reiskii vitam, quam scripsit Eckius, non alia de caussa in numerum recepi, nisi quod videbam, nonnulla eorum, quae ab eloquentissimo Moro de rebus Reiskii dicerentur, facilius intellectum iri, si qui Eckianam prius scriptionem legissent. Praeterea utrumque libellum comparantibus aliquanto clarius

eruditissimi Mori explendescet eloquentia, et quid aera distent lupinis, aestimari commodius poterit. Denique Eckius de Latinae orationis ratione commentanti mihi largissimam eius rei suppeditabit materiem.

Quod superest, mihi praeter summam oblectationem et utilitatem, quam huius operis cura attulit, non videbitur ullum iucundius operae praemium potuisse contingere, quam si studia haec mea plerisque omnibus probari intellexero.

Scr. Lipsiae Nonis Decembr. a. 1826.

HOC VOLUMINE CONTINENTUR HAEC:

VITA
IOANNIS IACOBI REISKII

MEDICINAE DOCTORIS. LINGUAE ARABICAE PROFESSORIS PUBL. IN ACAD. LIPSIENSI. SCHOLAE SENATORIAE AD D. NICOLAI RECTORIS. INSTITUTI REGII HISTORICI GOETTINGENSIS ET SODALITATUM LITTERAR. LIPSIENS. ET IENENS. SODALIS

SCRIPSIT

IO. GEORGIUS ECKIUS

[EX HARLESII *DE VITIS PHILOLOGORUM NOSTRA AETATE CLARISSIMORUM* VOL. IV. PAG. 191—210. BREMAE 1772.]

Si verum est, id quod omnes concedunt, nullam in historia, praesertim litteraria, ullius viri docti vitam tam sterilem, tam obscuram, tam nullius denique momenti esse, quin, si ad posteritatem eius memoria propagetur, aliquid inde commodi ad universam rempublicam litterariam redundare possit; profecto dubitari non potest aut debet, quin tanto dignior cognitu historia sit eorum virorum, quorum vel doctrina altioris cuiusdam sit indaginis, vel animus et mores singulare quiddam et ab reliqua eruditorum turba diversum habeant, vel fata denique et vicissitudines admodum luculenta providentiae divinae vestigia contineant. Quodsi vero haec memorabilem alicuius viri vitam singula faciunt; quanto iucundiorem pariter et fructuosiorem lectoribus eam facient, si in uno eodemque homine omnia concurrerint? Atqui talem virum esse eum, cuius nos iam vitam et animum, non dicam ad vivum exprimere (qui enim id possemus?) sed leviter tantum adum-

brare decrevimus, IOANNEM IACOBUM REISKIUM, iam dudum scient omnes, qui ipsum non tam e fama communi, aut etiam adversariorum libellis, quam ex ipsis eius libris, ex ipsa cum eo consuetudine, ex eo denique fonte noverint, ex quo nos ipsum cognovimus, h. e. ex vitae eius descriptione, quam ante aliquod tempus summa fide atque candore litteris mandavit. Cuius scripti quum participes nos communicando faceret vir celeberrimus, quid aequius erat, quam ita uti hoc quasi munere, ut id orbi erudito quam fructuosissimum redderemus, quum praesertim accederent preces atque adeo flagitationes Harlesii V. C. doctissimique, qui dudum volumina sua vitarum tali aliqua imagine exornari cupit, eamque voluntatem per litteras nobis significavit? Itaque ex hoc fonte limpidissimo cum bona Reiskii, praeceptoris optimi amicissimique, venia quaedam in praesenti delibabimus, quae quidem nobis dignissima memoratu videbuntur, cetera reservaturi aliis locis ac temporibus; aut etiam ipsi viro doctissimo cum orbe erudito communicanda relicturi.

Natus est A. R. S. cIↄIↄccxvi. ipsis Christi

natalibus a. d. VIII. Cal. Ianuarii, Zoerbigii, oppido Misniae, in finibus ducatus Anhaltini sito, patre Io. Balthasare, coriario, matre Io. Christina, e gente Klossia. Avus paternus Sietschii, prope Landsbergam, cauponariam olim exercuit; maternus Zoeschenii, qui pagus est rusticanus in agro Merseburgensi, ludimagister fuit. Ad decimum usque aetatis annum in ludo patrio institutus est, quo tempore parentes eum Zoeschenium, ad avum miserunt, ubi, simul cum filio Pastoris eius loci, per aliquod tempus in disciplina privata Meisneri A. M. fuit, *qui nunc* in Schola Cruciana Dresdensi quarti magistri locum cum laude obtinet. Is quum Lipsiam deinde redisset, Reiskius in Orphanotropheum Halense missus est anno cIↃIↃCCXXVIII. Ibi bonis quibusdam praeceptoribus, maxime beato Sigismundo Iacobo Baumgartenio, usus, huius fratrem Nathanaelem, praepositum Berolinensem, ut et Michaelem, nunc Professorem Goettingensem celeberrimum, commilitones per quinquennium habuit, et litteris, maxime Graecis et Latinis, operam diligenter dedit. Sed in ista disciplina Halensi, alias non contemnenda, saepe conquestus est se ad duos maxime

scopulos allisisse: primum, quod ab lectione verorum Latinitatis exquisitae fontium, Ciceronis et aequalium, per inscitiam et perversam institutionem praeceptorum quorundam abductus, ad rivulos recentiorum, Buchneri, Cunaei, Cellarii cet. delatus sit, quos proinde assidue legerit, illos vix dignatus inspicere, ignorantia istius boni, quod iis inesset. Unde etiam factum esse fatetur ipse, ut in hoc litterarum genere serius fortasse, quam par erat, sapere didicerit, h. e. Latine intelligere ac scribere. Deinde, quum essent in illa schola Halensi, optimo sane consilio, creberrime instituta exercitia pietatis, canendi maxime et precandi, eaque singulis diebus coram se repeti videret; delapsus est ad incredibile studium ac tantum non furorem aliquem precandi, ita, ut per integras subinde horas ad Deum effutiret, quae nec ipse, neque alii intelligerent, et in hoc studio, ut fit, quanto minus intelligeret, tanto magis sibi placeret.

Anno cIↃIↃCCXXXIII. Lipsiam, studiorum caussa, profectus est, ubi per quinquennium integrum permansit. Sed in hac vita sua academica, plurima, ut ipse postea confessus est, perperam ac perverse egit. Nam quum debuis-

set sedulo tractare litteras humaniores, philosophiam ac mathemata, quibus illa aetas apta est, ipse longe aliam studiorum viam ac rationem iniit. Etenim, ignarus omnium rerum, ignotus omnibus, natura timidior, quum neminem de ineunda studiorum via consuleret; necesse erat, eum ex disciplina vel doctissimorum virorum fructus nullos ferre, ac maximam quinquennii istius partem inutili ac paene putida diligentia perdere. Huc pertinet infausta atque intempestiva illa cupiditas discendae linguae Rabbinicae atque Arabicae, ad quam temere et sine omni caussa delatus est, quae paene in furorem quendam abiit, et quae postea viro celeberrimo multorum malorum caussa exstitit. Nam quum per totos illos quinque annos nonnisi ducentos fere imperiales domo sperare posset, ad haec stipendiis duobus non nimis lautis, idque extremo demum vitae academicae tempore, frueretur, tamen non modo omnes ceteras vias, easque satis honestas vitae sustentandae, quibus alii litterarum studiosi procedere solent, neglexit, sed ab his ipsis pecuniis multa, genio suo detracta, impendit in libros Rabbinicos et Arabicos, quorum qui qui-

dem editi exstant, iam maximam partem legerat anno cIↃIↃCCXXXVI. Eo ipso anno ausus est librum difficilem, cui titulus est: *Ahmed Arabschiadae historia Timuri*, Arabice scriptum et a Iacobo Golio eo sermone, sed mero, editum, atque adeo perquam mendose, Latine vertere; sed paullo post, quum eum consilii poenituisset, totam versionem combussit. Immo quum ei cel. I. C. Wolfius, ab ipso rogatus, codicem MS. Hariri, sophistae Arabici, e bibliotheca sua misisset; unam inde particulam, Latine conversam, una cum scholiaste Arabico, Lipsiae cIↃIↃCCXXXVII. imprimendam curavit; cuius libelli exempla non admodum divulgata sunt. Interim, quum haec omnia neutiquam possent explere eius sitim Arabicam, ipse autem flagraret cupiditate videndae Leidae atque inprimis cognoscendi legati, uti vocant, Warneriani *), tandem, invitis amicis omnibus, destitutus omni ope externa et pecunia, rudis linguae Belgicae, ceterum hilaris ac fretus sola divina provi-

*) Leidensis academiae bibliotheca ut aliorum (v. e. Ios. Iust. Scaligeri, Isaac. Vossii,) sic *Levini Warneri* libris mss. magna ex parte orientalibus locupletata est. FR.

dentia, ingressus est iter in eam terram, quam saepius deinde optavit ut aut numquam vidisset, aut perpetuo in ea permansisset, h. e. in terram Batavorum.

Huius itineris quia permagnum fuit momentum ad omnem insequentem eius vitam, illud, age, ex eius commentariis paullo accuratius enarrabimus. Anno cIↄIↄccxxxviii. post nundinas vernas Lipsienses, egressus Lipsia, et currus onerarios, qui inde Hamburgum tendunt, pedibus Lueneburgum usque prosecutus, in hac urbe paullisper substitit, visoque ibi Raphelio, Albi flumine delatus Hamburgum ipsis vigiliis Pentecostes pervenit. In hac urbe quum per octiduum esset commoratus, fautoresque suos, Wolfium inprimis, Wincklerum theologum, et Reimarum salutasset, a quibus, et monstrandis bibliothecis, cum privatis, tum publicis, et insigni viatico, et litteris commendatitiis ad viros doctos Belgicos, vehementer adiutum se profitetur: pridie festi S. S. Trinitatis navem conscendit, et, quum illa nocte in ostio Albis conquietum a nautis esset, tertio post die per mare Germanicum, fausta navigatione, salvus et incolumis Amstelodamum appulit;

ubi ad popularem quandam, quae olim cum ipsius matre amicitiam coluerat, ac deinde Germano cuidam mercatori, Hohlfeldio, in illa urbe nupserat, divertit. Ab his benigne et liberaliter exceptus, nihil prius habebat et antiquius, quam ut cel. d'Orvillium inviseret, ad quem litteras commendatitias a Wolfio acceperat, et cuius amanuensis Behrendsius, paucis ante diebus, Amstelodamo discesserat, ad munus scholasticum in ludo quodam Berolinensi obeundum vocatus. Ad d'Orvillium quum venisset Reiskius, ille, ut erat beneficus et magni animi, hanc advenae novo inserviendi occasionem cupide amplexus, statim ei locum istum Behrendsii offert, una cum stipendio annuo sexcentorum florenorum, monetae Hollandicae, ratus, eum tam opportune oblatam occasionem vitae in peregrina regione honestissime sustentandae ambabus, ut aiunt, arrepturum esse. Sed quid ad haec Reiskius? Is vero tam generosam liberalitatem, quamquam candido et sincero animo, tamen minime prudenter et pro tempore, detrectare, ac tantum non reiicere. „Se non propterea illuc contendisse, ut panem lucraretur, „aut fortunarum suarum sedem figeret stabilem:

„id se domi multo commodius effecturum fuisse, „si manere placuisset. Consilium sibi tam lon„ginqui itineris fuisse potius hoc, ut bibliothe„cam Leidensem, totius Europae multo celeber„rimam, videret eaque aliquamdiu uteretur, ad „maiores in lingua Arabica progressus faciun„dos.“ Hac insperata repulsa deterritus vir summus, paullo frigidius, ut facile intelligitur, ipsum dimisit. Quo facto noster iter Leidam prosecutus est, quo postr. Non. Iunii cIↄIↄccxxxviii. pervenit. Sed vix pedem ibi posuerat, quum magnas caussas reperiret, cur ipsum intempestivae suae erga d'Orvillium sive verecundiae, sive imprudentiae, vehementer poeniteret. Nam quum, ipso adhuc adventus die, salutasset Schultensium et s'Gravesandium, iisque litteras commendatitias ab amicis Lipsiensibus additas reddidisset, exposito simul omni profectionis suae consilio; parum spei ab his viris sibi fieri vidit ad finem propositum consequendum. „Batavos enim (dicebant) exteris nulla stipendia so„lere largiri, sed his suo sumtu in Belgio viven„dum esse; instare iam ferias aestivas, quibus „studiosi plerique domum abeant, ac proinde „scholas nullas frequentent; difficilem ad di-

„vites aditum esse, multo adhuc difficiliorem ad „bibliothecam." Verumtamen, etsi ab hac spe tam turpiter deiectus, per totam illam aestatem aegerrime sibi vitam sustentandam fore videbat; tamen a consilio, semel suscepto, se propterea deterreri non passus est.

Atque etiam provida summi Numinis cura eum hoc difficillimo tempore non reliquit. Nam praeterquam quod Io. Luzac bibliopola nimis eum subinde sublevaret, opportune tum accidit, ut initium fieret imprimendi Lexici Hesychiani, quod Albertus edebat. Sphalmatum ex eo typographicorum tollendorum, itemque quibusdam operibus Burmannianis, cura ipsi commissa est. Reperiebantur quoque paullatim iuvenes, qui eius opera in Graecis et Latinis uti vellent, praesertim in his, ut facultatem quandam Latine disputandi adipiscerentur. Anno CIƆIƆCCXXXX. specimen litteraturae suae Arabicae edebat: Taraphae Poetae Moallakah, carmen Arabicum. Gratiam penes Schultensium inierat eam, ut codices Arabicos non paucos per eum e bibliotheca publica utendos, immo describendos, acciperet, et cum eius filio, Io. Iacobo Schultensio, qui nunc theologiae et orientalium lingua-

rum Professor, aliorumque patris honorum haeres factus est, quotidianas litterarum Arabicarum suscipere exercitationes iuberetur. Immo tandem, quum fidei suae et dexteritatis idonea dedisset documenta, codices Arabicos bibliothecae, iam dudum confuse circumiacentes, in ordinem redegit, secundum catalogum anno cIↄIↄCCXVI. fol. editum, digessit, aliumque novum manu sua exaravit. Pro quo labore, qui aliquot menses ei absumserat, a Schultensio, nomine curatorum, accepit novem florenos Hollandicos. Interim vero notitiam eius cel. d'Orvillius, quamquam, ut supra diximus, paullulum offensus, tamen non plane neglexerat; sed ei interdum dissertatiunculas Francicas miserat, Latine vertendas, quas versiones deinde Miscellaneis criticis insertas ederet. Quibus speciminibus quum Reiskii fidem et industriam cognovisset, ad alia et maiora eius opera usus est. Nam modo codices MStos ei dabat conferendos, modo mandabat, ut ad inscriptiones quasque corporis Muratoriani adscriberet locos corporum Gruteriani, Reinesiani, Gudiani, ubi eaedem inscriptiones legerentur, modo alia eiusmodi plura curanda committebat. Immo

interdum, ubi placuisset, Leida eum evocatum, per unum et alterum mensem in praedio Groenendal, inter Leidam et Harlemum sito, apud se detinere solebat. Ibi communiter, quae sub manibus uterque forte habebat, agebant, una ientabant, prandebant, spatiabantur, studebant, coenabant, bibebant, donec alterutrum satietas eius rei cepisset. Tum Reiskius Leidam reverti, et sua rursus vivendi ratione uti, et quae forte d'Orvillius pensa dedisset, paullatim exsequi. Inter alia multum operae huic viro praestitit in edendo Charitone, quem ille e codicis Florentini apographo (quod a Cocchio, medico Italo, acceperat) tum edere in animo habebat. Hoc apographum noster sua primum manu descripsit, totum opus Latine vertit. Et quis credet, haec omnia eum unius mensis spatio praestitisse? Non raro etiam liberalitatem d'Orvillii insignem expertus est. Quum v. c. aliquando eius hortatu geographiam Abulfedae ex Arabico in Latinum sermonem vertisset, et ille librarium huic operi redimendo se conciliaturum dixisset, nec vero post talem reperisset, resarciendi damni caussa, Reiskio trecentos florenos Hol-

landicos obtulit, quos ille vix sex hebdomadum labore meruerat.

Hactenus omnia recte et feliciter; sed is status rerum non fuit perpetuus. Inciderunt enim progressu temporis nonnulla, quae eius in Batavis mansionem valde turbarent, et, ut ipsum a Belgis, ita Belgas vicissim ab ipso abalienarent: cuiusmodi inter alia et hoc fuit. Commissa ei fuerat, praeter alia multa, correctio Petronii Burmanniani, in cuius textu quum quaedam, quae non satis recte se habere videbantur, mutasset, eaque probata esse ab ipso Burmanno, ex typographo agnovisset; ausus est pari spe plura pro lubitu mutare, praesertim mortuo inter edendum Burmanno, et cura totius editionis ad ipsum devoluta. Haec res, dici non potest, quanta ei odia, quantas persecutiones, quanta denique alia incommoda apud Batavos contraxerit. Nam ex eo tempore omnes, maxime Burmannus iunior, eum acerbissime exagitare, in libris suis maligne traducere, et quod ille nonnisi iuvenili ardore et imprudentia susceperat, pessimo animo et maxima fraudulentia susceptum criminari. Iam parcius ei committebantur librorum imprimen-

dorum correctiones; et tamen paullo ante locum Conrectoris in Gymnasio Campensi, quem Valckenarius cum professione Franequerana tum commutabat, ipsique ultro obtulerat, quod apud Campenses commendationis suae auctoritate multum valeret, sine ulla fere caussa idonea negaverat se accepturum. Accedebat aliud malum, quod, pro innato sibi candore, quaedam in disciplina Arabica Schultensii, per sermonem cum aliis, interdum reprehenderat, et de iis aliter sibi videri prae se ferebat. Haec, ut fit, a malevolis ad illum virum sinistre delata, fortasse etiam aucta et studio detorta, animum eius ab ipso vehementer abalienaverant. Itaque omni modo Schultensius ei, per speciem amicitiae, persuadere tentabat, ut relicta tandem terra peregrina, accepto quodam in Academia Leidensi honoris gradu, in patriam rediret, quo scilicet et *) ipse filius periculoso adversario liberarentur.

Quapropter quia videbat, nihil magnopere e re sua apud Batavos agi amplius posse, tanto

*) Typothetae culpa *et* copula haud satis opportuno loco posita videtur, neque dubito, quin sic scripserit Eckius: *ipse et filius*, vel sic: *et ipse et filius*. Sed illud praefero. FR.

lubentius Schulte sui consilium decrevit exsequi, quum et ab aliquot inde annis arti medicae paullo diligentius operam dedisset, et Schultensius Doctoris in arte medica gradum ab facultate medica Leidensi gratis ei se conciliaturum promitteret. Quod etiam praestitit. Itaque laetatus Reiskius de opportuna honeste e Batavis abeundi occasione, mense Maio a. CIƆIƆCCXLVI. propositis ac defensis pro cathedra quibusdam ex libris medicorum Arabum observationibus, summos in arte medica honores consecutus est. Quo facto, a. d. IV. Id. Iun. eiusdem anni, reliquit eam regionem, quum integros octo annos in ea transegisset.

Superata tempestate, ac valde difficili per sinum, Australem dictum, navigatione, quum Zwollam venisset, salutavit ibi cel. Abreschium et liberalissime ab eo exceptus est. Inde per Germaniam inferiorem directo cursu, visis in transitu Goettinga, Cassellis, Gotha, Erfordia, Vinaria et Iena, Lipsiam tandem, exeunte*) Iulio, iterum attigit. Quo quidem in loco

*) Ipse Reiskius in vita sua (vid. indic. libr. Reisk.) pag. 41. *ineunte* m. Iulio Lipsiam se pervenisse scripsit. FR.

per integros duodecim annos sequentes tenuissima re familiari et conditione usus, et cum paupertate, inopia, et adversa fortuna incredibili modo luctari coactus est. Nam praeterquam quod absentia diuturna omni necessitudine veteri exciderat, ut fere omnibus ignotus esset advena, nullis plane instructus erat ad vitam sustentandam praesidiis. Atque etsi non ita multo post adventum suum commendatus fuerat Friderico Christiano, Principi Haeredi Saxoniae, et huius beneficio Professoris linguae Arabicae munus impetrabat; tamen quod huic muneri addebatur, salarium centenorum imperialium, primum in se non sufficiebat ad vivendum cum dignitate in tali urbe et loco, deinde per belli calamitates ne satis accurate quidem ac plene dinumeratum est. Itaque bonus vir coactus est saepe, victus gratia, descendere ad labores mercenarios, h. e. operam suam locare librariis, vertere libros Francicos, recensere novos libros in ephemeridibus, et conficere indices operum magnorum. Sic magna eius industria fuit in adiuvandis, per illos duodecim annos, viris doctis, Frid. Ottone Menkenio, Christiano Gottl. Ioechero, et aliis, quum

vel Acta Eruditorum, vel Miscellanea Lips., vel ea, quae vulgo *Zuverlaessige Nachrichten*, vel denique Bibliothecam Britannicam colligerent. A quibus perparva laboris Herculei praemia, interdum etiam nulla, ne exempla quidem librorum, quos indicaverat, accepit. A Menkenio remunerationis pro tot commentationibus, Actis Lips. insertis, plane nihil tulit, ut taceam, eum non raro, per libertatem et ingenuitatem iudicandi, aliorum inimicitias et odia sibi contraxisse. Quod inprimis ei accidit, quum de Batavorum, Schultensii, Burmanni iunioris et aliorum editionibus aut libris paullo liberius in Actis et alibi sententiam dixisset, qui omne tum acerbitatis virus antea conceptum, integris voluminibus in ipsum evomuere.

Et quis non miretur, hoc iniquissimo vitae tempore virum indefessum, praeter hos labores, praeter alia multa scripta minoris molis, animadversiones suas in auctores Graecos, opus immortale, confecisse? quarum iam quinque volumina suis ipse sumtibus edidit, quae notas in Diodorum Siculum, Dionem Chrysostomum, Dionem Cassium, Lysiam, Plutarchum, Herodotum, Thucydidem, Aristidem, Polybium, Li-

banium, Callimachum et Artemidorum complectuntur; quinque alia typographum exspectant, annotationes in Homerum, Pindarum, Xenophontem, Dionysium Halicarn., Diogenem Laertium, Arrianum, Philostratum, Maximum Tyrium, Aelianum, Longinum, M. Antoninum Imp., Simplicium, Polyaenum, Iulianum, Themistium, Appianum, Alciphronem, Moschum, Libanii epistolas, Procopium et oratores Graecos minores continentia. Sed hoc tali eius tempore duo potissimum insignes patronos ipsi excitavit providentia divina, alterum, comitem de Wackerbarth, qui pro exiguo quodam officio ipsi praestito centum imperialibus eum donavit, alterum, cel. Io. Aug. Ernesti, qui per biennium fere eum liberalissime mensae suae adhibuit.

Immo tandem, quem diu cum adversa fortuna, egestate, et aliorum odiis conflictari passa erat, eum tandem aliquando ex tot tantisque malis volebat emergere, eique praeter omnem spem atque opinionem, quum iam abire Lipsia cogitaret, portum aliquem ac perfugium malorum tutissimum ostendebat. Id ita contigit. Anno CIↃIↃCCLVIII. ineunte, repentina morte

obit Haltausius, Scholae Nicolaitanae Lipsiensis Rector, qui Glossario Germanico edito inter eruditos inclaruit. Qua de re quum fama in urbe percrebuisset, Reiskius, pransus forte apud Ernestum, a quo hunc nuncium primum accipiebat, statim adit patronos, inprimis Consulem Iacobum Bornium, Vice-Cancellarium, patrem Henrici Iacobi, qui nunc, aliis cum amplissimis quae gerit muneribus, Scholae Nicolaitanae Curator praeest, idque munus, qua potest humanitate, ab eo petit. Promittit Consul, et quamquam non deerant alii candidati, tamen, quum accessisset Principis Saxoniae Friderici Christiani commendatio gravissima, ex Senatus consulto Rectoratus Reiskio collatus est anno cIↃIↃCCLVIII. exeunte Iunio. Atque in hoc munere, etsi haud pauca incommoda sensit ab aliorum invidia et calumniandi libidine, tamen, eo accepto, primum liberatus est a modis illis quaerendi victus molestissimis, quibus antea per tot annos uti cogebatur, ut iam posset otio cum dignitate quodammodo frui; deinde vero istae ipsae calumniae tandem videntur paullisper consopitae, postquam intellectum est, quantae et industriae et doctrinae viro illam

provinciam tradiderint, et quantum resp. litteraria ab eo commodi in posterum sperare adhuc possit. Nam ut scripta minora, quae, oblatis occasionibus, ab illo inde tempore edidit, singula omittamus, vir cel. non modo interpretationem Germanicam Demosthenis, incredibili cum difficultate coniunctam, aggressus est, eamque quinque voluminibus ante breve tempus absolutam edidit, (de qua quidquid tandem alii detraxerint, scimus tamen tritum illud hic valere: Ῥᾷον μωμεῖσθαι ἢ μιμεῖσθαι *)) verum etiam postea ipsi Graeco Demostheni manum obstetricem admovit, in cuius textu, ut et reliquorum oratorum Atticorum, quam rectissime edendo, quum maxime versatur. Cuius operis, quod ipse suis solius sumtibus egit, utinam tot amatores atque emtores essent, quot quidem tam nobilis et generosus conatus iure veluti suo vi-

*) Πολλὰ μωμεῖσθαι ῥᾷόν ἐστιν ἢ μιμεῖσθαι. quod olim hoc potius versu efferebatur:

Μωμήσεταί τις μᾶλλον ἢ μιμήσεται.

Vid. si placet Harduin. ad Plin. H. N. lib. 35. cap. 9, 36. adnot. 15. Plenius Theognis eleg. v. 369. 370. Bekk.:

Μωμεῦνται δέ με πολλοί, ὁμῶς κακοὶ ἠδὲ καὶ ἐσθλοί·
μιμεῖσθαι δ' οὐδεὶς τῶν ἀσόφων δύναται.

FR.

detur poscere. Utinam virum doctissimum animi, ab omni quaestus cupiditate alienissimi, atque bono publico intenti, numquam poeniteat. Sed fortasse, qui adhuc defuerunt, permoti praestantia et nitore editionis ipsius, nec non fama doctrinae Reiskianae, in posterum frequentiores accedent, quod ut fiat, si qui alii, certe nos ex animo optamus.

Interim unum adhuc silentio praeterire non possumus, antequam finem huius schediasmatis faciamus, matrimonium viri celeberrimi anno cIↄIↄCCLXIIII. initum cum Ernestina Christina Muelleria, foemina doctissima, cui parem pietate, virtute, doctrina, diligentia, et elegantia vix quisquam reperiat. Atque ea si nihil aliud, quam virum doctissimum perpetuis blanditiis excitasset ad edendum opus Demosthenicum, et saepe labantem, propter emtorum paucitatem, in proposito eius animum quasi refixisset, satis quidem, opinor, videremur ad laudem eius dixisse. Nunc, quum ea non modo haec fecerit, sed et in ipso labore critico adiutrices marito manus commodaverit, quum, ut ipsi gratificaretur, ultro litteras Latinas et Graecas didicerit, quum ipsa codi-

ces Demosthenis Graecos contulerit, excusserit, pervolutarit, quum schedas mariti digesserit atque mundarit, quum id quotidie adhuc facere pergat — quid de tali foemina dicemus? Nisi vehementer fallimur, ea omnes laudes nostras excedit; ac, si vitam ei et vires providentia divina largiatur, brevi tempore superabit Schurmannias, Dacerias, Gottschedias, seu potius harum omnium doctrinam et reliquas virtutes in se una compactas orbi erudito ostendet. Ac videtur Reiskius veluti peculiari quadam providentia divina ad hanc ducendam delatus esse. Venerat ea anno cIↄIↄCCLV. Lipsiam, una cum fratre S. R. Muellero, Superintendente et praeposito Kembergensi, qui tum in societatem liberalium artium ab Gottschedio erat cooptandus. Accidit, ut eo ipso die etiam Reiskius in idem collegium cooptaretur. Ibi tum visam modestissimam virginem statim dilexit, dilectam amare coepit. Sed tum quidem nec illa, nec ipse quidquam de matrimonio cogitare; immo progressu temporis hoc propositum uterque abiicere, quia per falsum rumorem alter alterum alia conditione potitum inaudierat. Sed quum primum fama ista falsa comperta est,

statim Reiskius conditionem obtulit virgini ornatissimae, neque reiectus eam domum duxit, quae, praeter dictas iam dotes, hanc etiam commendationem habebat, quod consobrina esset fratrum Wernsdorfiorum, qui nunc Wittebergam, Gedanum et Helmstadium nominum suorum fama illustrant; quippe quorum mater Reiskiae matertera fuisset. Hoc igitur matrimonium, tam fausto omine quondam initum, ex toto animo precamur ut porro Deus O. M. felix, fortunatum, atque inprimis valde diuturnum esse velit.

Atque haec sunt, quae in praesenti de vita celeberrimi doctissimique viri et temporis angustia, et aliae caussae nos delibare sinunt, (possemus enim de viro optimo, candidissimo, magnanimo, officiosissimoque erga omnes, etiam inimicos, multa adhuc, et profecto singularia, proferre.) Hic est ille Reiskius, tot meritis illustrissimus, nostraque et posterorum veneratione dignus, et tamen cum tot iniquis fatis luctatus, atque a tot adversariis saepenumero acerbissime exagitatus; quos incorruptum posteritatis iudicium penitus vincet. Nos quidem, si Deus aliquamdiu adhuc illi

eiusque uxori ornatissimae vitam viresque concesserit, nulli dubitamus, quin plura adhuc praeclarum hoc par erudito orbi commoda praestiturum sit, quod quidem totius reip. litterariae nomine rogare eos hac scriptiuncula palam licebit.

DE VITA

IOANNIS IACOBI REISKII

MEDICINAE DOCTORIS ARABICAE LINGUAE PROFESSORIS
IN ACAD. LIPSIENSI SCHOLAE NICOLAITANAE LIPS.
RECTORIS

SCRIPSIT

SAM. FRID. NATH. MORUS

GR. ET LAT. LING. PROFESSOR LIPS.

LIPSIAE 1777.

VIRO CELEBERRIMO DOCTISSIMO

IOANNI BAPTISTAE CASPARO D'ANSSE DE VILLOISON

REGIAE INSCRIPTIONUM ET HUMANIORUM LITERARUM ACADEMIAE PARISIENSIS SOCIO

SAM. FRID. NATHANAEL MORUS

Voluisti, Vir doctissime, ut narratio de vita Reiskii, cui summa Tecum amicitia intercessit, editioni Dionysii Halicarnassensis, quam aliquot abhinc annis Reiskius instituerat,

Tuoque nomini consecraverat, adiungeretur, atque adeo flagitasti, ut a me potissimum scriberetur, quem nosses prae ceteris hoc debere Reiskio, et libenter se hoc debito exsoluturum sperares. Faciendum igitur putavi, ut voluntati Tuae obedirem, quae ad integritatem amoris Tui erga Reiskium humanissima, ad meum animi sensum exoptata, et ad aliorum de me opinionem perquam honorifica est. Quod enim sponte numquam sustinuissem, cum Ioannem Georgium Eckium, Professorem Lipsiensem doctissimum et elegantissimum, ante plures annos de vita Reiskii Tui accurate scripsisse scirem, quae quidem narratio vitis philologorum, ab Illustri Harlesio editis, inserta est, id, cum Tua auctoritas in-

tercessisset, excusatius a me fieri posse arbitratus sum. Una in re non licuit Tibi obsequi. Nam etiamsi perquam decorum erat, in extrema parte operis Dionysiani, quod summa Reiskii erga Te voluntas Tibi sacraverat, exstare narrationem de vita illius, Tuo suasu et hortatu consignatam: verissimas enim ei gratias egisti, quoniam potissimum in libro, Tibi tradito, memoriam eius recolendam esse censuisti: nimia tamen operis imprimendi tarditas, qua ne exspectatio Tua fatigaretur verendum erat, effecit, ut haec narratio separatim prodiret. Quod si parum expressa fuerit amici Tui imago, humanissime rogo, ne Te mandatorum Tuorum poeniteat. Benevolentiam erga me

Tuam, cuius tot habeo illustria documenta, ita mihi conservabis, ut Reiskii memoria Tibi sancta est. Scripsi Lipsiae. Mense Octobri. CIↃIↃCCLXXVI.

Omnis fere Reiskianae vitae summa fuit, non cedere malis, sed audentiorem contra ire *). Quantacumque intelligi potest paupertatis foeditas, eam omnem Reiskius expertus est. Quidquid cruciatus habet ille morbus, sedentariae vitae proprius, id diu noctuque animum et corpus eius laceravit, cum post vicesimum fere aetatis annum saepenumero omnis cogitandi acies hebetaretur, et post diurnas iactationes aut insomnes essent noctes, aut tumultuosis somniis anxiae: unde malum ad eam saevitiem processit, ut interdum se plane destitutum existimaret, ut nullum senectutis diem doloris sensu vacuum ageret, ut summa tristitia eum ad literas, amicos, munera,

*) Virg. Aen. VI, 95.
Tu ne cede malis, sed contra audentior ito,
Qua tua te fortuna sinet.

FR.

res domesticas comitaretur, ut anxietas et metus adstantibus lacrimas extorquerent. Adde his iacturam parentum, incepta centies irrita, multa multorum odia, aliosque per omnem vitam gravissimos casus. Poteritne maior hac calamitas fingi, aut literarum studio tristius impedimentum obiici? Etiamsi vero tanta sunt haec mala, ut singula singulorum vitam satis reddere possint aerumnosam: tamen Reiskius, his omnibus unus obrutus, multarum literarum scientiam perfecit, multos libros scripsit, multis hominibus inserviit, muneribus cum fide functus est, et, copiolis suis omnibus in librorum editiones impensis, novo plane modo erga viros doctos liberalis fuit. Huius ergo viri vitam propius nosse, et ipsius et literarum causa fas est. Quamquam enim doctrina eius, in libris expressa, omnibus ad cognoscendum proposita et ad immortalitatem famae satis commendata est: non nulla tamen, quae ut e scriptis intelligi nequeunt, ita haud paulo plus admirabilitatis habent, videntur narrando promenda, ut, quidquid fuerit in eo, quam luculentissime adpareat.

Misenensis fuit, in oppidulo Zoerbigensi

anno huius seculi sexto atque decimo, die quinto et vicesimo Decembris natus, e Ioanne Balthasaro, coriario, et Ioanna Christina Klossia: a quibus filius decennis, usus aliquamdiu privata Meisneri disciplina, in orphanotropheum Halense deductus est, ubi quinquennium exegit, interque alios praeceptorem nactus est Sigismundum Iacobum Baumgartenium, nuper theologum Halensem longe celeberrimum et eruditissimum, cuius memoria tam grata fuit Reiskio, ut, si quid molesti habuisset illud tirocinii tempus, id omne suavitate nominis Baumgarteniani compensaretur. Saepius vero dolebat, se non ab omnibus illius scholae praeceptoribus eo ductum esse, quo debebat, hoc est, ad eas artes, quibus reliquarum disciplinarum commentatio continetur: cum plerumque in recentiorum quorumdam epistolis latinis detineretur, raro veterem latinitatis genuinae scriptorem cognosceret; aut, si quem attigisset, non tam bona eius, quam verba externamque speciem intueri et admirari iuberetur. Nec fuerat ea philosophiae et matheseos scientia imbutus, quam illius aetatis intelligentia commode capit, carebatque mul-

tis, quae eum academiae maturum redderent. Igitur anno tertio ac tricesimo Lipsiam profectus, cum certam literarum viam neque ingressus esset antea, neque ingredi sciret, ab alio ad aliud delatus, tandem in libris magistrorum iudaicorum et literis arabicis haesit, incuriosus *) de reliquo, quare eas et quo modo disceret: satis erat, eo sequi, quo nescio quis impetus animi fluctuantem abstulisset: quamquam senex confessus est, adolescentiam suam in hac quidem re stimulis gloriae ac famae potissimum concitatam esse. Unde etiam curtam supellectilem arabicis et rabbinicis libris coemendis impendit, nec ullum aliud vitae sustentandae praesidium aut oblatum accepit, aut sponte quaesivit, modo sitim istam expleret, ac totus in adamatis literis esset. Nec reprehendimus hunc ardorem, sine quo nihil egregium exsistere potest; miramur tamen, multos in aliquo genere excellentes viros ab initio fere sine duce, sine ordine, sine consilio et dilectu versatos esse, et temporis viriumque magnam iacturam fecisse,

*) Apud Morum scriptum erat *incurius*. FR.

donec redirent ad se, cognita digererent, et studium ordine prudentiaque moderarentur: qui si statim perito monitore usi essent, incredibiles videntur facturi fuisse progressus, seque ipsos superaturi. Sed quem semel acerrimum honoris et gloriae studium agitare coepit, ei, praesertim iuveni, vel summa festinatio tardior videtur.

Inter haec accepit a Wolfio, theologo Hamburgensi meritissimo, librum arabicum Haririi, manu scriptum, quem cupidissime cognitum anno septimo et tricesimo Lipsiae edidit. Qua re studium illud tantopere confirmatum est, ut, cum magnam arabicorum librorum multitudinem passim in bibliothecis, Leidensi nominatim, latere inaudiisset, occasionem iis utendi quovis modo quaerendam esse existimaret. Decrevit ergo, quamquam nemini apud exteros notus, et cum maxime multo gravioribus, quam antea, rei familiaris difficultatibus impeditus, Leidam petere, ut, praeter codices arabicos, etiam viros doctissimos, qui Bataviam orientalium literarum excellenti disciplina illustrabant, cognosceret. Tanta vis cupiditatis fuit, in eo praesertim ingenio, quod

rem inchoatam deponere nesciebat. Ipse haec de se fassus est in meletematibus de modo adiuvandi studii literarum arabicarum, quae versioni germanicae dissertationum academiae Parisinae adiecta sunt *).

Ingressus est iter anno duodequadragesimo, in quo Raphelium vidit, et Wolfium, de quo diximus, qui et omnino animum iuvenis confirmavit, et laetiorem incepti spem ei obtulit. Dorvillio enim, apud quem amicitia plurimum valebat, ita tradidit Reiskium, ut commendationis fructus mox enasceretur: quamquam in ipso Reiskii ardore, quem omni modo testatum faciebat, haud exiguum fuit ad conciliandam Dorvillii voluntatem momentum. Promisit nempe Dorvillius sexcenorum florenorum stipendium, si Reiskius ipsi in conferendis ac describendis codicibus operam amicam addicere vellet. Quam quidem conditionem noster renuit, non quo fugeret huiusmodi negotia, aut lucrum tale sibi necessarium esse dubitaret; sed quoniam

*) Tom. XI. pag. 148—200. Opus ipsum sic inscriptum est: *Historia academiae humaniorum literarum Parisinae:* quod Gottschedia, doctissima nuper femina, e francogallico sermone in vernaculum transtulit.

incredibilis arabicorum codicum amor urgebat, ut Leidae mallet arabica pauper discere, quam alibi, securus egestatis, in aliis literis tempus et operam collocare. Leidae igitur, victis tandem obscuritatis difficultatibus, Schultensio patri innotuit, per eumque veniam codicibus bibliothecae publicae arabicis utendi impetravit, in quibus legendis ac describendis quinquennium fere versatus est. Edito inter haec carmine arabico (Taraphae Moallakah), multo etiam magis se in gratiam Schultensii insinuavit, ab eoque iussus est catalogum codicum arabicorum Leidensis bibliothecae conficere. Premebat vero Reiskium gravissima paupertatis moles. Nam labor catalogi conficiendi non fuerat magnopere fructuosus, et cetera, quibus adlevare onus egestatis solebat, partim operosiora, quam pro magni lucri exspectatione, fuerunt, partim non omnino prospere cesserunt. Cum enim errores typographorum correctoris nomine notaret, nominatim in Petronio Burmanniano, et glossarii Hesychiani tomo priore: coeperat subinde in textu Petronii quaedam sponte mutare, iustoque longius emendandi studio progressus, et gravem sibi con-

traxerat reprehensionem, et alios ad mandandum sibi tale munus cunctantiores reddiderat. Una occupatio laetior fuit, cum graecarum literarum studiosos, in his Schultensium filium, privatim erudivit. In omnibus tamen his vicissitudinibus Dorvilliana amicitia non modo integra mansit, sed arctius adeo copulata est, perpetuaque studiorum societate ad suavissimam familiaritatem progressa. Scilicet Reiskius, in villam Dorvillianam Leida vocatus, saepius mensem unum et alterum cum amico vixit, codices in eius usum contulit, Charitonis codicem Florentinum descripsit, ipsumque opus, quamquam paulo breviore temporis spatio, latinum fecit, et alia, a Dorvillio sibi demandata, curavit, atque interdum haud parvam eius liberalitatem expertus est. Huius amicitiae insigne monumentum exstat in praefatione anthologiae graecae *), a Reiskio editae: nemo enim videtur maiore erga aliquem veneratione uti posse, quam illo in loco erga Dorvillium Reiskius: adeo se ei postponit, adeo observanter veniam rogat,

*) Pag. XXIIII.

quod edenda anthologia succedere in locum praestantissimi Dorvillii sustinuerit. Sed cum ab uno amico omnia vitae fortunarumque praesidia neque peti possent, neque exspectari, et Reiskius tamen, omnibus copiis destitutus, multis indigeret, praesertim qui ceteris, quondam amicis, nunc uteretur paulo alienioribus, munusque Conrectoris Campensis oblatum sibi declinasset: et monitus est ab amicis, et ipse decrevit, in patriam reverti. Ante vero, quam Batavos reliquit, Leidae anno sexto et quadragesimo Doctor medicinae creatus est. Nam *Schultensius*, postquam integro biennio Reiskium cognorat, ei suadere coepit, ut medicinae operam daret; id quod ita praestitit, ut anatomiae studio in primis occuparetur, ceteras disciplinae medicae partes cognosceret quidem, sed non pari cum cura et ardore. Atque ut ei contigerat, celeberrimos medicos, quorum fama tunc omnes exteros alliciebat, sequi, ita Doctoris honores ab his et sponte et gratis oblatos accepit, agente potissimum Schultensio patre. Per quam occasionem observationes, e medicis arabicis petitas, edidit, quae paucis abhinc mensibus, curante Grune-

ro, Professore Ienensi doctissimo et veterum medicorum interprete intelligentissimo, recusae sunt. Sed posthaec, sive voluntate, sive vitae genere, ad philologiam reversus, per omnem vitam in hac unice elaboravit.

Dicendum videtur, priusquam reliqua persequamur, quos fructus aut ipsi Reiskio, aut literis tulerit illa linguae arabicae scientia, tredecim annorum continuo studio parta, codicibus omnis generis veluti nutrita, auctoritate et exemplo summorum virorum gubernata, et omnis vitae tenore exculta. Ac cetera quidem praemia, quae ipse tulit, fuere pauca, nec ullum illustre, praeter munus Professoris linguae arabicae in academia Lipsiensi: sed ipse tanto plus aliis profuit, honestissimamque recte factorum mercedem meruit. Si enim non spernendum est, ab omnibus in aliquo genere excellentem haberi, non quia fama sic ferat, sed intelligentissimi viri ita esse et sibi et aliis persuadeant: quis tandem neget, Reiskium hac existimatione felicem fuisse, quem plerique in arabicis consulerent et audirent, cuius cognoscendi causa exteri Lipsiam ventitarent, cu-

ius essent per omnem Germaniam discipuli multi, qui, quae a ceteris essent desperata, explicaret commode, qui, quod indolem linguae e divitiis codicum, grammaticorum, ac scriptorum omnis generis hausisset, non e lexicis paucisque librorum non nullorum fragmentis, prae ceteris audiendus videretur, qui plures codices arabicos sua manu descripsisset, quam aliis legere contigisset, qui ornatam quoque Arabum scripturam, quam quidem calligraphiam apud illos in parte doctrinae et lectu difficillimam esse constat, expedite legere atque extricare posset. Cum enim Nieburius, Danus, ex arabico itinere redux, Reiskium salutasset, tanta viri admiratione captus est, ut in descriptione Arabiae*), quae anno huius seculi secundo et quadragesimo Hafniae prodiit, profiteretur, neminem se vidisse, cuius in hoc genere scientia Reiskianam aequaret, cum ea adeo, quae in Arabia nemo sibi detegere potuisset, Lipsiae patefecisset Reiskius. Vidimus ipsi Reiskium, periculi faciendi caussa illas Nieburianas tabulas ex tempore expli-

*) Pag. 96. et praefat. pag. XXV. et XXXIII.

cantem, non celeriter modo, sed et docte, cum vel de lingua, vel de formis literarum et compendiis, vel de ritibus Arabiae, de antiquitate et historia uberius dissereret, quam in magna diligentia commentarii, labore multo consignati, exspectari potuisset. Tantum erat orationis flumen, tanta rerum copia. Et in hac scientia, in hac laude, tamen arabicis literis parvum statuere solebat pretium. Nemo fere eius disciplinam expetiit, quin ab eo graviter deterreretur, non quidem augendis difficultatibus, quarum cogitatio neminem debet a discendi spe conatuque depellere; sed quod homines putarat plus adiumenti inde sperare, quam ipsa res pateretur: nam nisi quis historiam Arabiae spectaret, cetera, libris arabicis tradita, non tanti videri, ut iis multum temporis consecraretur. Sed fortasse huius animi alienioris causae fuerunt in taedio repetendi centies eadem illa elementa, quae ingenio acriori diu placere nequeunt, aut in casibus adversis, inter quos ipse ad illud peritiae fastigium adscenderat: quorum quanta sit vis ad minuendam rerum iucundissimarum oblectationem, quis ignorat? praesertim si cui paulo

mollius sit ac humanius pectus, quod alios, simili studio deditos, in similis miseriae societatem venturos esse, frustra quidem, sed amanter veretur. Nihilo minus, quem nactus fuerat discipulum, hunc tanta cum fide et comitate adiuvit, quasi ipse eum advocasset, eiusque constantiam blanditiis demerendam putaret. Neque enim tempus modo, matutinum pariter ac vespertinum, et horam, quam ceteri fere oblectationi et honestae quieti tribuunt, discipulorum arbitrio indulsit; sed praeterea facillimos habuit aditus, sermonesque, quandocumque vellent, cum iis conseruit, longe amicissimos illos et utilissimos. Atque his discipulis suis omnem adparatum librorum arabicorum manu scriptorum, ex Batavia adlatorum, liberalissime concessit, eos tractare docuit, describi permisit, etiam typis imprimi, sine ulla invidiae significatione, aut lucri cupiditate: notis item additis suam sententiam discipulorum interpretationibus adiunxit: ut in illa Syriae tabula, quam celeberrimus Koehlerus edidit. Eadem humanitate alios, non e sua schola profectos, amplexus est, in his Eichhornium, Professorem Ienensem eruditis-

simum, qui nuperrime *) monumenta antiquissima historiae Arabum edidit, ad quae tractanda multa sibi a Reiskio praesidia subministrata fassus est, cuius etiam notas inseruit, et ad calcem libri animadversiones criticas Reiskianas in Hamzae historiam regni Ioctanidarum, ab Alberto Schultensio editam. Alia quaedam, studio Reiskii ornata, exstant in doctissimi Hirtii anthologia arabica **). Ipse plura edidisset, si emtorum maiorem copiam, aut bibliopolarum paratius studium exspectare sustinuisset: saltem duas has causas saepe indignabundus commemoravit. Ad illustrandam hebraicam linguam raro et cunctanter arabicis usus est, profecto non inscitia hebraei sermonis, quem pari studio cum literis rabbinicis excoluerat, nec vanitate opinionis, aut eorum, qui hoc agerent, contemtu. Nam, ut in notis ad anthologiam Constantini Cephalae professus est ***), commentarium in librum Iobi, quem sine literis arabicis vix dimidium

*) Gothae 1775.

**) Ienae 1774.

***) Pag. 20.

intelligi posse iudicabat, paratum habuit; sed gravibus de causis divulgare veritus est. Adeo non sprevit hebraica. Verum statuebat, indolem potius utriusque sermonis comparandam esse, quam singulorum vocabulorum similitudinem sectandam: illud habere plus laboris, quam pro suis occupationibus, quibus aliud atque aliud consilium capere, et vix coepta abiicere plerumque cogeretur; hoc esse perquam lubricum, cum de cautionibus, ad eam rem necessariis, nondum satis constaret, et sine his libido omnia conferendi irrepere posset, nimiumque etymologiae studium. Quamdiu enim tanta librorum arabicorum typis impressorum paucitate laboraremus, tamdiu fieri non posse, ut homines nostri ambitum totius linguae emetirentur, omnemque usum loquendi perspicerent: latere item grammaticos Arabes, quorum non nulli admodum subtiliter scripsissent: sed pluribus impressis libris, cognitisque linguae copiis, eventurum, ut nexus singularum significationum, uni verbo tributarum, non fingendo et philosophando excogitaretur, sed observandis exemplis reperiretur: id vero demum ad hebraica recte illustranda

valere, hoc est, similitudinem indolis utriusque linguae aperire. De his, ut de omni ratione, quam in discendis excolendisque arabicis literis tenuit, ipse scripsit in meletematibus de modo adiuvandi studii literarum arabicarum, quorum paulo ante mentionem fecimus. Quod autem diximus, in fructibus arabicarum literarum eum potissimum posuisse scientiam historiae arabicae, id ipse prae ceteris spectavit. Nam reliquit historiam arabicorum regnorum, copiose elaboratam, sed pressam in hunc usque diem, eadem illa de causa, de qua supra conquesti sumus, quoniam, qui sumtus faceret operi divulgando, neminem reperire potuit. Huius operis specimina proposita sunt in excerptis prolixis universae historiae, quae in Britannia instituerunt Guthrie et Gray, viri clarissimi, unde in vernaculam translata iam a pluribus inde annis Lipsiae deinceps prodierunt. Hic cum ad volumen sextum ventum esset, quod historiam Arabiae comprehendit, Reiskius cum Heynio, Professore Gottingensi longe doctissimo, qui de hoc opere praeclare meritus est, communicavit animadversiones suas, magnumque or-

namentum doctrinae suae huic volumini adiunxit. Ceterum plura ad illustrandas literas arabicas, iam parata prelo, reliquit, in his diatriben de numis Arabum, et versionem germanicam omnium carminum, quorum auctor Motanabbi *) fuit, cuius versionis specimen annis abhinc undecim Lipsiae vulgatum est.

Sed veniamus ad reliquum vitae decursum. Dum ergo Reiskius Batavos relinquit, Zwollae salutat Abreschium, virum doctissimum, cuius in se excipiendo ornandoque humanitatem singularem saepe praedicavit. In Germania adiit viros, earum urbium, quas transibat, celeberrimos, multosque eorum deinde amicos habuit, et constantia et integritate probatos, Reimarum in primis Hamburgensem, cui no-

*) Morus et hic et infra (in indic. libror. Reisk.) haud satis recte scripserat *Montanabbi*. *Motanabbi*, i. e. *qui se prophetam iactat*, ab iis, qui vulgarem scripturam sequuntur, vel *Motenebbi* dicitur (*Motenebbi* der groesste Arabische Dichter, zum ersten Male ganz uebersetzt von *Ioseph v. Hammer*. Wien 1824. 8.) vel *Motenabbi* (*Petri a Bohlen* commentat. de *Motenabbio* eiusque carminibus. Bonnae 1824. 8. Carmen *AlMotenabbii*, quo laudat AlHosainum Ben Ishak AlTanuchitam, ed. *Anton. Horst*. Bonnae 1823. 4.) FR.

tas ad Cassium Dionem, Reimarianae editioni insertas, exhibuit, quas ipse tamen in volumine animadversionum ad scriptores graecos severe castigavit. Tandem Lipsiae substitit, unde fuerat ad Batavos egressus: in qua quidem urbe se reperturum sperabat, quo modo in literis doctorumque virorum consuetudine adquiesceret, nec vitae praesidia, quibus ipsa illa Lipsia tot alios instruxisset, sibi uni defutura. Sed altera haec spes eum diu frustrata est. Nam medicinae faciendae consilium, ut diximus, abiecerat, cum ipse sibi diffideret, nec medicum haberet exercitatum, cuius consiliis et commendatione adiuvaretur. Itaque ut vitam quomodocumque toleraret, molestissimos labores subire coactus est, indices maiorum operum conficere, mendas typographicas emendare, francogallicos libros ad arbitrium bibliopolarum facere germanicos. Sed incredibile est, quas interea molestias pertulerit, famem, vigilias, frigus, quae item sibi negaverit, neglectis propemodum omnibus, in quibus spes tuendae vitae atque sanitatis posita est. Itaque per hos annos exiguas roboris reliquias ita exhausit, ut num-

quam ad iustam valetudinem rediret. Nihilo minus, ut erat literarum amantissimus, eodem tempore non modo volumina animadversionum ad scriptores graecos inchoavit, et anthologiam graecam edidit; sed e libris etiam recens editis summam excerpsit, inserendam actis eruditorum, bibliothecae britannicae, aliisque huiusmodi libris, multis item accessionibus miscellanea Lipsiensia auxit. Duo tamen commoda calamitatem illius temporis minuerunt: alterum, munus Professoris arabicae linguae in academia Lipsiensi, cum annuo salario: alterum, Ernestii humanitas, quae integro biennio Reiskium consuetudine et convictu quotidiano ita exhilaravit, ut anxia de vitae necessitatibus sollicitudo evanesceret.

Sic transactis pluribus annis, a senatu Lipsiensi muneri Rectoris Scholae Nicolaitanae anno duodesexagesimo praefectus est, habuitque ad finem vitae, unde commodius viveret. In eo munere hoc egit, ut discipulos ad facultatem intelligendi scribendique proveheret, nec diutius in eodem loco detineret: sed, multis omissis, quae vel ad minutias referebat, vel perfectioni reservanda iudicabat, ad fami-

liaritatem cum scriptoribus ipsis adduceret: omninoque fide et adsiduitate satisfecit officio. Quidquid autem temporis reliqui fuit, id impendit legendo ac scribendo. Nam continuavit animadversiones ad scriptores graecos, edidit Theocritum, vertit in vernaculum sermonem Thucydideas conciones et Demosthenem, instituitque inde ab anno sexto et sexagesimo editionem oratorum graecorum.

Sed, ut de his libris eo brevius dicere possimus, experiendum videtur, an ea ratio, quam in crisi et interpretatione tenuit, sic a nobis describi possit, ut graecarum literarum studiosi de ea recte iudicent. Omnia fere legerat graeca, quae quidem aetatem tulerunt, multa etiam inedita, et ita legerat, ut non tam linguae ipsius amplissimam cognitionem sectaretur: nam obiter notabat, quae ex hoc genere essent: quam ad ipsam rem et sensum festinaret. Ipse multis locis fassus est, se iis parum delectari, quae uni memoriae servirent, iudicio nihil magnopere adiumenti praeberent. Iam etsi nullas consulto collegerat grammaticas observationes, tamen omnem huius linguae usum ita habebat in

promtu, ut ei statim succurreret, quo modo quidque dicendum esset, ut aetates scriptorum diversas accurate dignosceret, exquisitamque atticistarum graecitatem egregie teneret, ac, quandocumque vellet, satis magnam exemplorum copiam ex adparatu illo, obiter congesto, depromeret. Cum ergo, velut impatiens morae, ad ipsam rem potissimum contendere soleret, raro disserebat de ambitu alicuius verbi universo, nec, nisi in Polybianis animadversionibus, in quibus ipse sibi videbatur se superasse *), omnes eius significationes pluribus exemplis illustrabat: illud agebat, ut, quod videretur ad sensum cuiusvis loci necessarium, breviter et sine ostentatione adderet, atque vitiosa loca non magis, quam dubia et obscura, illico emendaret. Ac talia fere sunt animadversionum ad scriptores graecos volumina, in quibus conficiendis ne codices quidem, aut editiones priscas, vel omnes, vel principes, consuluit: ut adeo omnia fere sint ingenio tribuenda, sive indolem spectes,

*) Praefat. ad Vol. I. animadv. ad script. graec. pag. 2. it. praef. ad Vol. III. pag. 12.

a tarditate in singulis haerendi abhorrentem, et ad emendandum proclivem, sive sagacitatem, vel deprehendendi vitia, vel corrigendi. Nec videmur iniuriam facturi Reiskio, si multa hic subito scripta dicamus: nam ipse passim ea retractavit. Sed ne quis eum ingenio quidem excelluisse, ei vero indulsisse, ac laboris in re critica necessarii inexpertum, aut verae rationis, cui adstricta esse debet crisis, ignarum existimet, adeat editiones ipsas scriptorum, quos Reiskius consulto sibi tractandos sumsit: et intelliget, eum codicibus et editionibus antiquis primum locum tribuisse, nec labori colligendarum lectionum variarum ullo modo pepercisse, eum in glossariis atque scholiis velut habitasse, et, sicubi essent alia adiumenta, diligentissime collegisse. Quae ut teneret, non modo sumtus fecit permagnos, sed ipse omnia sua manu, suis oculis contulit, enotavit, disposuit. Nactus ergo materiem deligendi et iudicandi, id, quod ipsa res in quovis loco postulare videbatur, in textum intulit, atque adeo, si illa materia nihil probabile haberet, excogitavit ipse, quod congruere videretur rei, historiae, antiquitatibus,

chronologiae, idque in oratione ipsa scriptoris posuit. Quae quidem libertas eius a variis varie reprehensa est. Non ea dico, quae vulgus crepat, se non supere coniecturas interpretum, sed lectiones ipsorum scriptorum, quae interdum mera est inscitia. Quid enim? Teneamusne scriptoris verba, si aperte corrupta sint? si nullum sensum habeant? Nonne librarii saepe manus est, quae lectionem, in se quidem probabilem, sed ab hoc loco alienam, nobis prodidit? An parum constat, saepe interpretationes loco verae lectionis irrepsisse? Et sententia viri docti non potior erit aperto vitio? aut minoris pretii, quam subita scribentis librarii opinio? Ita haud parvus numerus emendationum, quae in textum recipi solent, ista criminatione liberatur. Sed etiam doctissimi viri interdum optarunt, ut Reiskius parcior esset in recipiendis emendationibus. Ille vero sic statuebat, textum esse exhibendum, qui posset ubivis intelligi, neque aperta vitia contineret; satis se cavere errori legentium, si indicaret disertis verbis, quidnam ipse mutasset. Quae sententia ab illo ingenio, quod paulo ante diximus omnia

ad sensus integritatem retulisse, non abhorret. Utrum recte ita statuatur, an perperam, nunc non attinet interpretari, etiamsi, praesertim in obscurioribus locis, nec aperte corruptis, paulo lentius festinandum est, cum alii feliciores nobis in reperiendo sensu exoriri possint: sed sufficit demonstrasse, quo sensu fuerit Reiskius, et quibus de causis sic potissimum egerit. Quod autem hac ratione efficere voluit, id praestitit: lectores enim, qui in corruptis, aut difficilioribus locis haerent, plerumque reperiunt in Reiskianis animadversionibus, quidnam ad perspicuitatem desit, possuntque hoc adiumento facilius ad cetera progredi, quam si in medio rerum nexu subsistere, earumque veluti filum rumpere cogerentur. Tum vero contigit ei haec felicitas, ut, qui posthaec animadversiones eius ipsis scriptorum editionibus insererent, Reimarus Dioni Cassio, Wesselingius Herodoto, Ernestius Xenophonti et glossario Polybiano, Rhoerius Porphyrio, Wyttenbachius et Krigelius Plutarcho, ut ergo hi coniecturas Reiskianas saepissime summi acuminis laude ornarent, sed Theocriti

editoribus suam in explicando et emendando hoc poeta rationem perraro probavit.

Videamus de praecipuis operibus eius, nominatim de editione oratorum graecorum. Cuius operis consilium quomodo enatum sit, quam angusti fuerint ab initio limites constituti, (voluerat enim in uno Demosthene versari) quomodo prolati sint, ut, praeter Isocratem, tractaret omnes, ordinemque primo institutum mutaret, satis dictum est ab ipso editore in singulorum voluminum praefationibus, unde nunc repetere non opus est. Mutandi quidem consilii caussae plerumque fuerunt fortuitae, cum vel ab amicis moneretur, ut nunc quidem hunc vel illum oratorem, seposito Demosthene, tractaret, vel felicitate quadam nanciscendi codices aliaque praesidia adiuvaretur, aut, mora et difficultate impeditus, interea in aliis versari cogeretur, quam quos nunc tractare mallet. Sed res habuit immensum laborem. Quid dicam, codices consultos esse, editiones priscas undiquaque collectas, grammaticos et rhetores aetatis mediae, qui libellos suos exemplis antiquorum oratorum illustrarunt, perlectos, scholi-

asten ineditum in lucem protractum, schedas Taylorianas, ab Askewio viro celeberrimo transmissas, examinatas et excerptas, confectos indices, consignatas paginarum tabulas, ut una editio cum altera conferri posset, commentarios denique conscriptos. Quae si indefessum laborem postulant, cum unum scriptorem tractamus, quanto videtur gravius onus, tot volumina conficere, tam diversos scriptores tractare, quorum alii multos omnium aetatum admiratores, imitatores et interpretes habuerunt, ut editor ne legere quidem omnia possit, alii ita venerunt in oblivionem, ut eorum scripta multis in locis corrupta sint et desperata. Et tamen Reiskio nihil omnino adiumenti oblatum est, quo non uteretur, quantumvis molestus esset labor: nihil uspiam latuit, quod, modo sciret, non promeret, quantumvis procul arcessendum esset, magnoque sumtu constaret. Sed haec in aliis quoque singula fuerunt, in quibusdam etiam coniuncta. Illud Reiskio proprium fuit, quod omnia haec suis oculis tractavit, suis manibus scripsit, sua unius opera perfecit, nec praeter coniugem, ullum unquam habuit so-

dum et adiutorem. Quot noctes fere insomnes exegit, quantam hebetioribus iam oculis iniuriam fecit, quot horas, quas honesto otio exhilarare potuisset, hac cura occupavit, quot oblectationes recusavit! Et in hoc immani labore sumtus etiam ipse suppeditavit omnes, omnia, ad imprimendam divendendamque editionem necessaria, ipse administravit, rei familiaris iacturam fecit, sanitatem penitus fregit, et cum pauciores nactus esset emtores, tamen animum non abiecit, aut, si quando labasceret, coniugis dulcissimae cohortatione se confirmari facile passus est. Neque vero aut conscientia huius studii, cuius nos saepe fuimus testes, aut suorum meritorum opinio eum ad fastum vel arrogantiam provexit: imo adeo tam modeste et sollicite de huius operis imperfectione propemodum conquestus est, ut ipse sibi plus iusto detraheret, et apud alios, qui nihil ipsi examinant, noceret. Sed conceperat animo eam perfectae editionis imaginem, cui nihil facile respondere posset, ideoque, cum opera sua multum ab illo exemplari abesse cerneret, exiguum iis statuit pretium, nec aliud fere sibi reliquit,

quam fortunam quamdam, aut absolvendi, quae ab aliis essent inchoata, aut colligendi, in quibus tamquam materia posteri elaboraturi essent. Atque hae sunt re ipsa illius operis dotes, et meritum Reiskii est, viam aliis ad editiones absolutas munisse. Quare aequum est, virum hunc e sua professione aestimare, et quoniam, quae professus erat, praestitit, grata mente venerari, non carpere, si quid desit, non dicere, imperfectam esse editionem. Voluit praesidia critica futuris editoribus exhibere; et exhibuit; noluit historiam, antiquitates, ius Atticum, aut graecitatem illustrare. Si quis ergo critica in his voluminibus quaerat, is ita demum de meritis viri, de consilio et utilitate librorum recte iudicare poterit.

In meditatione huius operis merito ponimus versionem Demosthenis germanicam, quae anno quarto et sexagesimo Lemgoviae quinque voluminibus prodiit. Ea quin expresserit sensum exemplaris graeci, nemo dubitat; sed an omnes bonae versionis laudes mereatur, de eo multum disputatum est; improbantibus aliis nimis multa impolitae et

obsoletae dictionis germanicae vestigia, et πῖνον *) potius, quam εὐπίνειαν; aliis tenuitatem carpentibus, quae non aequaret divitias, ornatum atque vim Demosthenis; aliis denique offensis humilitate. Neque nos dubitamus, emolliri quaedam potuisse, et ad comtiorem habitum conformari; sed decreverat, nihil nisi sensum reddere, sibique persuaserat, eam linguae nostrae rationem, quae apud maiores obtinuisset, cum efficacia verborum, tum simplicitate omnis conformationis, multum praestare ei, quae nunc vigeret. Itaque eiusdem fuit tenacior aliquot annis ante in vertendis concionibus Thucydideis, in cuius libri praefatione obiurgatoribus paulo quidem acrius, sed ita respondit, ut quam haberet normam, demonstraret. In his vero concionibus Thucydideis idem fecit, quod in latina versione Lysiae, ut propter brevitatem scriptoris paraphrasin potius, quam versionem, exhiberet.

Nobilissimus est liber de caerimoniis aulae Byzantinae, qui ad Constantinum Porphyro-

*) Morus πῖνον scripserat. Vid. Passovii Lex. in h. v. FR.

gennetum auctorem refertur, et Reiskio curante in manus hominum doctorum venit. Ac Leichius quidem, Professor quondam Lipsiensis eruditissimus, qui hoc ipsum opus e codice Lipsiensi edere coeperat, cum ad paginam tomi prioris ducentesimam sextam atque decimam progressus esset, ei immortuus est. Statim omnium consensus absolutionem operis Reiskio demandandam esse censuit, qui ita successit in locum Leichii, ut reliqua omnia graeca imprimenda curaret, versionem latinam ab eo inde loco, ubi Leichius substiterat, elaboraret, ac priorem librum copiosissimo commentario illustraret. Fatendum igitur est, Reiskium ad absolvendam editionem multo plura contulisse, ipso Leichio, in cuius schedis non nisi pauculae animadversiones et excerpta reperta fuerant, quae Reiskius locis suis inseruit: nec dubitari potest, commentarium ipsum multi laboris esse multaeque doctrinae, tum vero illustre documentum scientiae rituum ac rerum, illi tempori propriarum: sed quae causa Reiskium in medio huius commentarii cursu subsistere coegerit, ut ultra priorem librum non progrederetur,

id quidem nobis non constat, et dolemus, talem librum, qui e codice primum ederetur, non penitus ab eo absolutum esse, qui coeptam ab alio telam pertexendam sumserat.

Editiones aliorum scriptorum, ut Theocriti, Plutarchi, Dionysii Halicarnassensis, Maximi Tyrii, ideo adgressus est, sive potius recepit, quoniam optimas horum scriptorum editiones repetere bibliopolis placuerat. Ne ergo omni carerent accessione, praefuit operis, quid et quo ordine recudendum esset, quidnam e recentiorum libris addi posset, quamquam hoc perraro, monuit, editiones veteres passim contulit, notata olim e schedis promsit, examinavit, auxit, atque ita editiones additamentis notarum locupletavit. Quantum ergo opera tumultuaria, sic enim ipse adpellat, effici potuit, tantum praestitit: et huc spectare debent omnes, ne contra, quam editor ipse voluit, iis utantur, eaque diiudicent, praesertim cum magna harum animadversionum pars non multo ante mortem, et erepta penitus spe recuperandae valetudinis, scripta sit, pleraque item eo mortuo edita, quae, si ipsi denuo percurrere li-

cuisset, aliam fortasse habitura fuissent speciem. Verum Constantini Cephalae anthologiam studiosissime perpolivit, neque tantum commentario illustravit, sed in primis tradenda notitia poetarum, quorum carmina ibi exhibentur, effecit, ut opus ipsum multo utilius ac facilius intellectu esset.

Praeter haec immensae prorsus industriae documenta, et alia scripta, quorum indicem huic narrationi adiunximus, tamen multa penitus elaborata viduae doctissimae reliquit, notas ad Philostratum, Libanium, Aristidem. Ac Libanii quidem orationes cum tractaret, ea felicitate usus est, ut non modo lacunarum insignium complementa in codicibus deprehenderet, sed integras etiam orationes hactenus ineditas, quarum unam Reiskia nuper imprimendam curavit *). Aristidis vero scholia nactus est permulta, et magnum variarum lectionum adparatum congessit. Tum vero notatu dignissima sunt collectanea ad Herbelotii bibliothecam orientalem, cuius editionem cum instituisset, in margine nota-

*) Lipsiae 1775. 8. FR.

rat innumera, et propemodmu eo progressus est, ut, si quis librarius opus hoc redimere voluisset, brevi potuisset prelo parari. Quae expectatio cum etiam in graecis scriptoribus, quos modo diximus, vivo Reiskio frustra fuerit, eo magis laetamur, propinquam spem editionis Libanii a Reiskia factam esse, optamusque, ut, in quibus vulgandis fortuna marito adversata est, in his voluntatem et liberalitatem viduae adiuvet.

Nondum diximus de ea felicitate, quae Reiskio contigit, cum anno quarto et sexagesimo matrimonio sibi iunxit Ernestinam Christinam Muelleriam. Ea enim, praeterquam quod amore, fide, concordia, comitate, integritate, inserviendique studio iucundissimam effecit societatem, in literarum consortium ita cum marito venit, ut singularis esset exempli. Nam cum exquisita recentiorum linguarum scientia animum ad omnem elegantiae sensum adsuefecisset, et veteres graecos latinosque scriptores e versionibus cognosset: mirum non erat, in consuetudine mariti, qui scriptores illos omnes perspectos haberet, coniugem etiam exardescere amore earum linguarum,

quae laudatissimis illis scriptoribus fuisset vernacula. Itaque graeca et latina discere coepit, et eo statim processit, ut poetas atque oratores legeret. Quae res ut multum admirabilitatis habet, si ab illo sexu non nisi ad oblectationem honestamque sciendi cupiditatem conferatur: sic nova plane ratione adhibita est ab eruditissima Reiskia ad levandos mariti labores. In codicibus enim describendis et conferendis, in variis lectionibus digerendis, inque omni illa molestia, editori veterum scriptorum necessaria, sic adfuit marito, ut nihil desideraret. Ubi ergo hanc uxoris operam laudavit, ut in praefatione operis Demosthenici, ibi non existimandus est amori plus, quam veritati, tribuisse: nam infra merita eius est oratio. Itaque, cum Reiskio non contigisset, totum illud opus editionis oratorum graecorum absolutum videre, tres ultimos tomos, elaboratos quidem illos et digestos, moriens ita tradidit uxori, ut omnia e schedis imprimenda curaret. Quod illa tanta fide et dexteritate praestitit, ut iam fruamur Reiskii doctrina et labore, non secus, ac si ipse eius nos participes fecisset.

Animum habuit, miseriis laboribusque perferendis non paupertate modo et adversa fortuna adsuefactum, sed multo etiam magis amore literarum, cogitatione honesti, et magnitudinis sensu confirmatum. Nam cum, munere Rectoris Scholae Nicolaitanae suscepto, ut ante diximus, haberet, unde commodius viveret, nihilo minus tantum laboravit, quantum vix pauperrimus quisque vitae conservandae causa sustineat. In omnibus negotiis multum valuit utilitatis publicae cogitatio, quae quidem effecit, ut in docendo mercedem non magnopere spectaret, ut, quos ipse possideret codices, cum aliis libenter communicaret, ut iis, qui librorum editiones molirentur, consilio et re adesset, iisque ultro offerret, si quid ipse haberet praesidii, ut eorum causa alios per literas adiret, iis codices exteros atque alia adiumenta curaret, omninoque neminem sua bona, suas copias celaret. Hinc si quid melius institui posse opinaretur, suadebat, et ipse adeo cum offensione aliorum operam suam interponebat: aut si quid iam haberet institutum, quod publice profuturum videretur, vel cum valetudinis et opum iactu-

ra perficiebat. Se solum vivere dicebat, nulla magnopere cum aliis necessitudine coniunctum; nullas autem uni homini opes corradendas videri: se graviora olim pertulisse: atque uxori carissimae, se mortuo, non defuturum auxilium divinum. Sententiam de aliis non magis, quam de se ipso, liberrime dixit. Quoties fassus est, se non nisi inchoasse aliquid, in quo alii essent elaboraturi, sua multum abesse a perfectione, se tantum monere alios, se non omnibus praesidiis adiutum, se aliis occupationibus distractum esse, se festinasse. Neque vero in hac modesta oratione erat laudis captatio; aut ulla simulatio: satis erat laudatus et spectatus, ut his artibus non opus esset. De se igitur ita statuens, idem de aliis, quos non ad metam pervenisse sentiebat, profitebatur, non reprehendendi aut obtrectandi studio, sed quia monendos alios putabat, ne opinione, auctoritatis praesertim, decipi se paterentur. Quae quidem libertas complurium animos ab eo abalienavit. Sed habebat impetus animi paulo acriores, nec premere talia poterat. Unde reprehensoribus plerumque paulo vehementius

respondebat, iis maxime, qui nec causas reprehensionum idoneas, nec meliorem rationem demonstrassent. In sermonibus omnes fere laudabat, ipsos adeo illos, a quibus iniuriam sibi factam putabat; aut si quid moneret, tantum apud familiares hanc veniam sibi indulgebat. A quibus autem amari se sciebat, his plane deditus erat, seque totum consecrabat, nec ullam fidelis amicitiae partem negligebat. Multos igitur habuit amicos, multos doctrinae pariter ac facilitatis summae admiratores, sub extrema praesertim vitae tempora, cum nemo apud nos ausus est de eo nisi reverenter loqui: mortuusque tantum sui desiderium reliquit, ut consentiens omnium vox esset, bene cum literis actum videri, si omnes iis ita, ut Reiskius, se totos darent, et cum earum studio tantum publicae rei amorem coniungerent.

Initia morbi, quo tandem absumtus est, ducenda sunt ab inopino casu, quo praeter modum commotus fuerat, ut paucos quidem dies decumberet, sed tota aestas ad colligendas vires non sufficeret: imo adeo ex eo tempore in dies magis debilitatus est. Accessit

anno primo et septuagesimo tussis vehementior, quae omne robur penitus hausit, omni medicina potentior esse coepit, corpus emaciavit, animum hebetavit, et tandem anno quarto et septuagesimo, die quarto decimo Augusti, Reiskium exstinxit. Atque ut paucis ante mortem diebus, cum vix posset ferre morbum, tamen non desiit cum typographis agere, et in institutis operibus pergere, sic quidquid vellet fieri de his, quae elaborata reliquit, accurate mandavit, ut, eo mortuo, omnia recte absolvi possent. Uxoris amori, omnes has aerumnas mirifice adlevanti, pari amore respondit. Amicos salutantes, dolentes, valedicentes excepit humanissime, in mediis corporis doloribus ipse eos consolatus est, summaque verborum humanitate iis et gratias egit, et memoriam sui commendavit. Tanta fuit constantia, tanta doloris tolerantia. Nobiscum paulo ante mortem de rebus humanis cum ea animi magnitudine locutus est, ut iam ad altiora enisus videretur: tantopere sentiebat, gloriam, praemia humana, occupationes innumeras aut multum vanitatis habere, aut omnia metienda esse modo ac con-

silio, quo quis ea quaereret, iis uteretur, dicebatque de his ea vocis contentione, eo item orationis genere, ut animum debilitati corpusculi iam oblitum agnosceremus. Hunc talem sensum, hanc melioris vitae praesensionem multum confirmavit religionis christianae cogitatio, cui immortuus est. Ita nobis quidem, multis beneficiis ab se ornatis, desiderium sui acerrimum, et indelebilem doctrinae, benevolentiae ac humanitatis memoriam, tum vero laboris, industriae, tolerantiae, et, quod maximum est, grave confirmati ad mortem animi exemplum reliquit.

INDEX LIBRORUM
A
IOANNE IACOBO REISKIO
EDITORUM *)

*) Ex his nonnullos, prelo iam ab Reiskio paratos, post eius mortem cura Reiskiae prodiisse, notum est omnibus, et hanc feminae doctissimae virtutem supra praedicavit Morus pag. 66. FR.

7. Animadversiones ad Sophoclem. Lipsiae 1753. 8.
8. Animadversiones ad Euripidem et Aristophanem. Lipsiae 1754. 8.
9. Anthologiae graecae, a Constantino Cephala conditae, libri tres. Duo nunc primum, tertius post Iensium iterum editi, cum latina interpretatione, commentariis, et notitia poetarum. Lipsiae 1754. 8. (Hic liber Oxonii 1764. cura Whartoni recusus est.)
10. Abilfedae annales Moslemici. Latinos ex arabicis fecit. Lipsiae 1754. 4. (Cf. infra num. 52.)
11. Animadversiones de tarda Numinis ira (adiectae Car. Christoph. Foersteri, qui erat Reiskii discipulus, libello: Locos quosdam Polybii a Latinis interprett. perperam translatos etc. Lipsiae 1755. 8.)
12. Thograis so genanntes Lommisches Gedicht, aus dem Arabischen uebersetzt, nebst einem Entwurfe der arabischen Dichterey. Friedrichstadt 1756. 4.
13. Abilwalidi Risalet s. epistolium, arabice et latine, cum notulis. Lipsiae 1756. 4.
14. Animadversionum ad graecos auctores volumen primum, quo Diodorus Siculus, Dio Chrysostomus et Dio Cassius pertractantur. Lipsiae 1757. 8.
15. Sammlung einiger arabischen Spruechwoerter, die von Stecken oder Staeben hergenommen sind. Leipzig 1758. 4.
16. Animadversionum ad graecos auctores volumen secundum, quo Lysias et Plutarchi opuscula miscellanea pertractantur. Lipsiae 1759. 8.
17. M. T. Ciceronis Tuscul. disput. libri quinque. Accedit libellus variarum lectionum et animadversionum. Lipsiae 1759. 12.

18. De Zenobio, sophista Antiocheno. Lips. 1759. 4. (Progr.)

19. De quibusdam e Libanio repetitis argumentis, ad historiam ecclesiasticam christianam pertinentibus, inprimis de Optimo Episcopo. Lips. 1759. 4. (Epist. gratul. ad Io. Aug. Ernesti.)

20. De rebus, ad Scholam Nicolaitanam Lipsiensem pertinentibus, expositio. Lips. 1759. 4. (Progr.)

21. Progr. de linguarum veterum scientia maxime necessaria, studiique grammatici utilitate, versione quorundam locorum Malachiae illustrata. Lipsiae 1759. 4.

22. De Actamo, philosopho arabico. Lips. 1760. 4. (Progr.)

23. Animadversionum ad graecos auctores volumen tertium, quo Thucydides, Herodotus et Aristides pertractantur. Lipsiae 1761. 8.

24. Teutsche Uebersetzung der Reden aus dem Thucydides; nebst latein. Anmerkungen ueber dessen gesamtes Werk. Leipzig 1761. 8.

25. Animadversionum ad auctores graecos volumen quartum, quo Polybii reliquiae pertractantur. Lips. 1763. 8.

26. Demosthenis und Aeschinis Reden, verteutscht und mit noethigen Anmerkungen erlaeutert. Lemgo 1764—1769. 8. Volumina quinque.

27. Proben der arabischen Dichtkunst in verliebten und traurigen Gedichten, aus dem Motanabbi, arabisch und teutsch, nebst Anmerkungen. Leipzig 1765. 4.

28. Theocriti reliquiae cum scholiis graecis et commentariis integris variorum, tribus libris animad-

versionum et indicibus. Tomi II. Viennae et Lipsiae 1766. 4.

29. Animadversionum ad auctores graecos volumen quintum, quo Libanius, Artemidorus et Callimachus pertractantur. Lipsiae 1766. 8.

30. Animadversiones ad Abulfedam, et Prodidagmata ad historiam et geographiam orientalem (in Io. Bern. Koehleri libro: Abulfedae Tabula Syriae etc. Lips. 1766. 4.)

31. Ad Tacitum animadversiones (Boysen's philolog. Bibliothek [1766. 8.] pag. 308—388.)

32. Animadversiones ad Porphyrii librum de abstinentia a carnibus, insertae editioni Rhoerii, Ultraiecti 1767. 8.

33. Abilfedae geographia, latine reddita, inserta collectaneis historicis et geographicis Bueschingii. 1770. (Tom. IV. pag. 121—298. Tom. V. pag. 299—366.) His collectaneis anno 1771. inserta est Marai Geschichte der Regenten in Aegypten. (Tom. V. pag. 367—454.)

34. Oratorum graecorum volumen primum et secundum s. textus Demosthenis, cum scholiis e cod. Bavarico et Augustano. Lipsiae 1770. 8.

35. Apparatus critici ad Demosthenem volumen primum, secundum, tertium, quae Wolfianas, Taylorianas et Reiskianas notas continent. Lipsiae 1774. et 1775. 8.

36. Indices operum Demosthenis. Lipsiae 1775. 8.

37. Oratorum graecorum volumen tertium, Aeschinem complectens. Lipsiae 1771. 8.

38. Oratorum graecorum volumen quartum, continens varietatem lectionis et indicem graecitatis ad Ae-

schinem, item tres orationes Dinarchi, unam Lycurgi, quatuor Andocidis. Lipsiae 1771. 8.

39. Oratorum graecorum volumen quintum, Lysiae textum cum notis Taylori, Marclandi et Reiskii continens. Lipsiae 1772. 8.

40. Oratorum graecorum volumen sextum, fragmenta Lysiae, Taylori lectiones Lysiacas, latinam Lysiae versionem, a Reiskio confectam, varietatem lect. et indicem graecitatis continens. Lips. 1772. 8.

41. Oratorum graecorum volumen septimum, Isaei et Antiphontis reliquias, notas, versionem Isaei, et indices graecitatis continens. Lipsiae 1773. 8.

42. Oratorum graecorum volumen octavum, continens reliquias Lesbonactis, Herodis Attici, Antisthenis, Alcidamantis et Gorgiae, latinam versionem Antiphontis, et indicem graecitatis. Lips. 1773. 8.

43. Plutarchi quae supersunt omnia, graece et latine. E principibus editionibus castigavit, virorumque doctorum suisque annotationibus instruxit Io. Iac. Reiske. Vol. I. 1774. Vol. II. et III. 1775. Vol. IIII. et V. 1776. Vol. VI. VII. et VIII. 1777. Vol. IX. et X. 1778. Vol. XI. 1779. Vol. XII. 1782. 8. Lipsiae.

44. Dionysii Halicarnassensis opera omnia, graece et latine, cum annotationibus Henr. Stephani, Sylburgii, Porti, Casauboni, Ursini, Valesii, Hudsoni et Reiskii. Vol. I. et II. 1774. Vol. III. IIII. et V. 1775. Vol. VI. 1777. Lipsiae. 8. (Mortuo Reiskio editionem curavit Morus.)

45. Maximi Tyrii dissertationes e recens. Davisii. Editio altera, cui Marclandi notae accesserunt. Recudi curavit et annotatiunculas addidit Io. Iac. Reiske. Lipsiae. Vol. I. 1774. Vol. II. 1775. 8.

46 Animadversiones criticae in Hamzae historiam Ioctanidarum ab Alb. Schultensio editam (in Eichhornii monumentis antiquissimis historiae Arabum [Gothae 1775. 8.] pag. 205—215.)

47. Io. Iac. Reiske Coniecturae in Iobum et Proverbia Salomonis, cum eiusd. oratione de studio arabicae linguae. Lipsiae 1779. 8.

48. Briefe ueber das arabische Muenzwesen (Eichhorn's Repertor. fuer bibl. u. morgenlaendische Litteratur, Th. 9. S. 199—268. Th. 10. S. 165—240. Th. 11. S. 1—44. Leipz. 1781. 1782. 8.)

49. D. Iohann Iacob Reiskens von ihm selbst aufgesetzte Lebensbeschreibung. Leipz. 1783. 8.

50. Libanii Sophistae orationes et declamatt. ad fidem codd. mss. recensuit et perpetua annotatione illustravit Io. Iac. Reiske. Vol. I. Altenburg. 1783. 4. (Idem Vol. ibid. 1791. 8. mai.) Voll. II—IV. ibid. 1793—1797. 8.

51. Dionis Chrysostomi orationes, ex recensione Io. Iac. Reiskii, cum eiusdem aliorumque animadversionibus. Acced. Is. Casauboni in Dion. diatrib. et Federici Morelli scholia et collect. in Dion. Lipsiae 1784. 2 Voll. 8.

52. Abulfedae annales Moslemici, arabice et latine. Opera et studiis Io. Iac. Reiskii, sumtibus atque auspiciis Petr. Frid. Suhmii, nunc prim. ed. Iac. Georg. Christ. Adler. Hafn. 1789—1795. 5 Voll. 4.

De aliis industriae Reiskianae monumentis, quorum exstat magna copia, vid. Meuselii librum: Lexikon der vom Iahr 1750 bis 1800 verstorb. teutschen Schriftsteller, Vol. XI. pag. 198—208.

Iacturam fecit in ERNESTIO suo Academia nostra, qualem non vidistis, *Cives*, nec visuri estis; ut olim in Metello *) Roma, ipso teste adversario, numquam maioris civis fu-

*) Immo in *P. Africano Minore*, quocum contentiones agitaverat *Q. Caecilius Metellus Macedonicus*, ab aemulatione virtutis profectas, ut refert Val. Max. IV, 1, 12. sed is falsus, credo, in eo, quod hanc contentionem ad *graves testatasque inimicitias* progressam dicit. (Vid. Ruhnk. ad Vell. Paterc. I, 11.) Ernestius autem, quum haec scriberet non satis memor fuisse videtur loci Pliniani N. H. VII, 44, 45. ubi haec leguntur: „Equidem et Africani sequentis inimicum fuisse [Metellum Macedonicum] inter calamitates [Metelli] duxerim, ipso teste Macedonico; siquidem liberis dixit: *Ite, filii, celebrate exsequias. Numquam civis maioris funus videbitis.* Et hoc dicebat iam Balearicis et Diadematis, iam Macedonicus ipse.“ Caeterum *sequens Africanus* hic dicitur Plinio, ut VII, 59. „Primus omnium radi quotidie instituit *Africanus sequens*.“ et XXXIII, 11, 50. similiterque *Ptolemaeus sequens* VI, 29, 33. XXXVII, 8, 32. Quare non assentiar Beiero meo, quod in commentar. ad Cic. Off. I, 25, 87. censuit *Secundi* nomen Africani pro *sequentis* reponendum esse; licet alioqui multum apud me valeat viri sagacissimi auctoritas. FR.

mensuram modumque rerum, ne corporearum quidem, in singulis generibus excedi saepius aut magnopere velit; immo ita constans est suique retinens, ut, si quando in utramlibet partem contra aliquid conspici voluerit, hoc ipso perpetuitatem suam certamque rerum normam demonstrasse videatur. Quod ita esse vel mortalitatis humanae diligentes speculatores agnoscant omnes. In tanta enim tamque infinita varietate, quae in corpus humanum cadat, sensuum, virium, convenientiae partium, universi habitus, lineamentorum ductus, vultus conformationis, ut alia taceam, tanta tamen similitudo eminet, qua coniungantur omnes omnino homines, ut universae et certis numeris absolutae humanitatis veluti conspirationem atque consensum admirabundi notemus. Raro enim caeci nascuntur, nec multo saepius lyncei; raro pusilli, nec frequentius proceri; raro insigniter deformes, qui vere dici queant, ut Thersites Homericus*), nec minus raro pulchri, ut Nireus. Media fere, ut in hisce, ita in caeteris naturae

*) Iliad. II, 216. seqq. et de Nireo II, 673. seq. Cf. Ovid. epist. ex Pont. IV, 13, 15. ER.

generibus et mediocria frequentantur, sed infinitis modis mixta illa e diversis et temperata.

Idem fere sequuta invenietur natura in effingenda universa mente humana, ingeniique et animi dotibus distribuendis, ut raro ultra mediocritatem adsurgi vellet. Pleraque enim ingenia destinavit singulis rerum, operum, munerum generibus, iisque in omni vitae ratione tenuioribus. Sat multi, modo sequerentur vitae genus, cui essent a natura destinati, in eoque tantum industriae, quantum possent ac deberent, eadem natura comite, ponerent, sat multi, inquam, supererant, qui, in suo quisque genere, pro singulari quadam ac praecipua mentis indole, duces sese auctoresque aliis praestarent, proferendisque et amplificandis artis suae finibus vere prodessent. Hos quidem natura dicavit, non singulis muneribus, civitatibus, gentibus, sed universae virtuti, doctrinae, humanitati donavit: non multos tamen, vel quod pauci sufficerent reliquis acuendis, vel quod arduum esset; unde in tot pictoribus unus Zeuxis, unus eminuit Apelles, in tot statuariis Phidias et Praxiteles. Neque eloquentiae sortem conditio-

nus spectatura. Sed quid Academiam tantum dico, quum universa Saxonia non minorem nostra suam iacturam agnoverit? Nec vero intra huius fines constitit tanti damni dolor tantus, sed omnem Germaniam occupavit, et porro, velut ex publica calamitate, totius orbis litterati recessus omnes penetrabit; plane, ut, si cuius umquam magni viri amissi, huius utique luctus ac desiderium publicum sit futurum, nec futurum modo, verum et mansurum, dum verae doctrinae atque elegantiae sensus, illo inprimis auctore instauratus, vigebit. Ita enim ille natus erat, ita educatus, ita institutus, ita multo magis per se factus, divinitus quidem, tanta meritorum et multitudine et magnitudine conspicuus, tanto discipulorum optime de omni republica merentium coetu stipatus, tanto virorum summorum, etiam regum ac principum, favore insignis, tanto denique opere cunctis celebratus, ut, si saeculis singulis plures Ernestio pares Academiae nostrae contingere potuerint, ultra conditionem rerum humanarum felix ea et beata censenda videatur.

Talem quidem et litteratorem et theologum

Iacturam fecit in ERNESTIO suo Academia nostra, qualem non vidistis, *Cives*, nec visuri estis; ut olim in Metello *) Roma, ipso teste adversario, numquam maioris civis fu-

*) Immo *in P. Africano Minore*, quocum contentiones agitaverat *Q. Caecilius Metellus Macedonicus*, ab aemulatione virtutis profectas, ut refert Val. Max. IV, 1, 12. sed is falsus, credo, in eo, quod hanc contentionem ad *graves testatasque inimicitias* progressam dicit. (Vid. Ruhnk. ad Vell. Paterc. I, 11.) Ernestius autem cum haec scriberet non satis memor fuisse videtur loci Pliniani N. H. VII, 44, 45. ubi haec leguntur: „Equidem et Africani sequentis inimicum fuisse [Metellum Macedonicum] inter calamitates [Metelli] duxerim, ipso teste Macedonico; siquidem liberis dixit: *Ite, filii, celebrate exsequias. Numquam civis maioris funus videbitis.* Et hoc dicebat iam Balearicis et Diadematis, iam Macedonicus ipse.“ Caeterum *sequens Africanus* hic dicitur Plinio, ut VII, 59. „Primus omnium radi quotidie instituit *Africanus sequens.*“ et XXXIII, 11, 50. similiterque *Ptolemaeus sequens* VI, 29, 33. XXXVII, 8, 32. Quare non assentiar Beiero meo, quod in commentar. ad Cic. Off. I, 25, 87. censuit *Secundi* nomen Africani pro *sequentis* reponendum esse; licet alioqui multum apud me valeat viri sagacissimi auctoritas. FR.

mensuram modumque rerum, ne corporearum quidem, in singulis generibus excedi saepius aut magnopere velit; immo ita constans est suique retinens, ut, si quando in utramlibet partem contra aliquid conspici voluerit, hoc ipso perpetuitatem suam certamque rerum normam demonstrasse videatur. Quod ita esse vel mortalitatis humanae diligentes speculatores agnoscant omnes. In tanta enim tamque infinita varietate, quae in corpus humanum cadat, sensuum, virium, convenientiae partium, universi habitus, lineamentorum ductus, vultus conformationis, ut alia taceam, tanta tamen similitudo eminet, qua coniungantur omnes omnino homines, ut universae et certis numeris absolutae humanitatis veluti conspirationem atque consentum admirabundi notemus. Raro enim caeci nascuntur, nec multo saepius lyncei; raro pusilli, nec frequentius proceri; raro insigniter deformes, qui vere dici queant, ut Thersites Homericus *), nec minus raro pulchri, ut Nireus. Media fere, ut in hisce, ita in caeteris naturae

*) Iliad. II, 216. seqq. et de Nireo II, 673. seq. Cf. Ovid. epist. ex Pont. IV, 13, 15. ER.

generibus et mediocria frequentantur, sed infinitis modis mixta illa e diversis et temperata.

Idem fere sequuta invenietur natura in effingenda universa mente humana, ingeniique et animi dotibus distribuendis, ut raro ultra mediocritatem adsurgi vellet. Pleraque enim ingenia destinavit singulis rerum, operum, munerum generibus, iisque in omni vitae ratione tenuioribus. Sat multi, modo sequerentur vitae genus, cui essent a natura destinati, in eoque tantum industriae, quantum possent ac deberent, eadem natura comite, ponerent, sat multi, inquam, supererant, qui, in suo quisque genere, pro singulari quadam ac praecipua mentis indole, duces sese auctoresque aliis praestarent, proferendisque et amplificandis artis suae finibus vere prodessent. Hos quidem natura dicavit, non singulis muneribus, civitatibus, gentibus, sed universae virtuti, doctrinae, humanitati donavit: non multos tamen, vel quod pauci sufficerent reliquis acuendis, vel quod arduum esset; unde in tot pictoribus unus Zeuxis, unus eminuit Apelles, in tot statuariis Phidias et Praxiteles. Neque eloquentiae sortem conditio-

nemque aliam fuisse Cicero monet *), quum omnes ait cupisse dicere, non plurimos ausos esse, potuisse paucos **). Tot ergo velut sidera praelucentia inter ignes minores ***), omnemque doctrinae ambitum illustrantia, quo minus exorirentur, praeter caussas ante commemoratas, iniquitas temporum subinde offecit, invidiae malignitas, institutorum perversitas, morum levitas, vitae remissioris segnities, morae denique ac taedii laborisque impatientia. Quae quidem impedimenta si quis arte ac ratione, quam coniungeret cum rara ingenii felicitate, omnia vel removit, vel pervicit, ut bona sua quaquaversum promanarent, et ad omnes gentes a litteris non alienas redundarent, eum vero non in beneficiis naturae singularibus, non in virtutis doctrinaeque maximis exemplis numeremus? ei non vel praecipuum ius dicamus esse, prae-

*) Brut. cap. 49.

**) Cf. cap. 78. init.

***) Horat. Carm. I, 12, 46. sqq.

micat inter omnes
Iulium sidus, velut inter ignes
Luna minores.

FR.

miorum undiquaque exspectandorum? in eius morte, si vel maxime sera eum interceperit, privatam tantum iacturam, non publicam, eamque magnam agnoscamus ac lugeamus?

Agnoscimus vero nos et lugemus in Ernestio nostro maximam publicam iacturam: et ne leviores aut hebetiores videamur, aut exteris et posteritati concedamus, nunc quidem omnia illa, et naturae, et vero etiam viri beati propria bona contemplando, ac veluti tabulam vitae praeclare actae, pulcherrimumque spectaculum, proponendo, animi nostri pietatem grati adversus Deum, neque ingrati adversus defunctum, aequo spectatori probabimus. Nam universam illius vitam persequi uberiusque exponere, integri libri, nec parvi illius, opus et argumentum fuerit, quem ab eo scribi optabile est, qui magnitudinem et eloquentiam viri adsequi possit, ut Melanchthonis vita parem scriptorem Camerarium est nacta *).

*) Camerarii narrationem de Phil. Melanchth. ortu, vitae curriculo et morte, propediem nos cum hominibus harum rerum studiosis communicabimus.

FR.

Et ingenio quidem utebatur ille, non fervido aut vehementiori, ne magnopere quidem alacri, sed leniori, sedatiori, mansuetiori, faciliori, eleganti tamen et acuto eodem, utque uno verbo defungar, Ciceronis, quam Demosthenis, similiori: quod aptum esset solidiori doctrinae vel percipiendae, vel edisserendae atque illustrandae, litteris vel maxime abstrusis et reconditis excutiendis ac rimandis, optimis artibus cognoscendis et exercendis, orationis denique flumini puro et leni fundendo, sed eidem omni ubertate copioso, et amoenitatum plenissimo. Iudicio autem valebat peracri, sed sedato et recto, quod aberrare illum a vero non facile pateretur, ut qui volvendo versandoque, quid inesset cuique rei, quid in ea ambiguum atque impeditum, quid cuique caussae proprium, aut rursus ab ea alienum, cui quidque prodesset usui, acute celeriterque intelligeret; quum praesertim subegisset ingenium infinita lectione, non intemperanti et cruda illa atque indigesta, sed, quam composuisset, finxisset ac regeret cogitatione adsidua, plurimo rerum usu, docendi denique ac scribendi perpetua exercitatio-

ne; memoriam autem, cuius vigeret et tenacitate et facilitate ac celeritate egregia, adeo fidam sibi et officiosam, ac velut dicto audientem ac promptam reddidisset, ut ab ea non temere destitueretur, essetque illa ei plurimorum instar thesaurorum, quales alii per otii abundantiam colligere, scriniisque suis, unde sapiant, inserere consueverunt: nimirum quia omnia legebat cum sensu, notatione, et usus varii destinatione ac velut repraesentatione. Animo denique eius nihil generosius, nihil sanctius, innocentius nihil erat. Contemptis voluptatibus sapere ausus fuerat *), laborare didicerat, laborando prodesse publice privatimque concupierat; nec vero id ad famam laudemque referebat, sed ad conscientiam recti, quem verum Dei cultum putaret. Sensus de religione, quos vel innatos vel informatos educationis beneficio concepisset, ratione duce,

*) Horat. Epist. I, 2, 40.

Dimidium facti, qui coepit, habet, sapere aude.

de quo dicto digna est quae legatur Io. Mich. Heinzii prolus. a. 1775. ed., in eius Syntagm. opusc. scholast. varii argument. (Gotting. 1788. 8.) pag. 133. seqq.

FR.

caelestis veritatis adiumento, inductione denique et adsuetudine, ita auxerat, emendarat, corroborarat, ut pietate in Deum, rerum divinarum studio, virtutis omnis amore et cura fideli ac simplici, omnia metiretur. Huic animo tam excelso idoneum natura domicilium dederat, corpus non exile illud et viribus debile, sed, in iusta statura eximiaque dignitate, firmum, vegetum, valetudine prospera ac fere inoffensa, quam ad septuagesimum usque annum mira diligentia ac temperantia conservavit. Inprimis fronte, quae mixtam hilaritate severitatem, ac paene austeritatem, referret, animus patebat seriorum amans, amabilis ipse, sed multo amabilior propter humanitatem, facilitatem, etiam festivitatem ac sales vere Tullianos, numquam a modestia ac prudentia alienos: quibus rebus effecit, ut summis, infimis, qui quidem saperent, gratissimus esset atque desideratissimus.

Tantae liberalitatis in ipsum expromtae atque effusae ne poeniteret naturam, summo studio adolescens adhuc providit. Quum Scholam Portensem relinqueret, Schreberus, Rector, etiam de ipso optime meritus, ad

eius fratrem scribens, a quo noster domum arcessebatur, inter alia, quae in ipsius laudem commemorabat eximia et praeclara, hoc quoque posuit: „Ille vero plures libros cognovit et legit, quam studiosorum quisquam, „qui abitum ex Academiis parant.“ Ipse etiam saepe professus est, historiae litterariae et notitiam et amorem primum e Portensis bibliothecae usu, qui sibi liberrimus concessus fuisset, se conceptum duxisse, in eoque studio Freytagium sibi egregie profuisse. In Academia autem Vitembergensi Io. Guil. Bergerus, quem humaniorum litterarum caussa sectatus est, discipulum eum habuit, singularis industriae nomine, longe carissimum. Apud Wernsdorfium, theologum acutum et elegantem, quum inter sermones privatos aliquando de difficultatibus, quae legenti sibi epistolas Paulinas crebrae occurrerent, questus esset, hoc responsum tulit: „Intelligo „te sapere.“ Nempe questus erat is, cuius commilitonibus, tantum non omnibus, libri N. T. pro ea, quae tum erat, vulgi opinione, facillimi esse videbantur. Horum nostri commilitonum vix quisquam, tantam veri

acute videndi recteque interpretandi facultatem, philosophando et mathematicas disciplinas tractando erat adsequutus, et ad cognoscendos libros sacros attulerat, quantam ipse, qui etiam bonarum litterarum praesidiis esset instructus; adeo ille iam tum inter caeteros eminebat. Habuerat autem in philosophia ducem Schlosserum, formulae Wolfianae philosophum, sed praeter caeteros elegantem, e cuius scholis tantum philosophiae amorem imbiberat, ut Lipsiam delatus cum Gesnero, in privata consuetudine, propemodum nil aliud, quam philosopharetur. Qui quum cognovisset et subtilitatem nostri et elegantiam, hortatus est eum atque impulit, ut matheseos et philosophiae initia latinitate donaret. Hauserat autem rerum mathematicarum scientiam non Vitembergae tantum e scholis Hasii, excellentissimi geometrae, sed etiam ex Hausenii nostratis: (quem vel ipse Kaestnerus ille praeceptorem sibi contigisse laetari solet.) Eius frequentavit praelectiones de mathesi sublimiori, cum duobus tribusve commilitonibus, in quibus Hermannus erat, nunc in aula Dresdensi concionator primarius, vene-

randus senex, quum caeteri sodales, qui ab initio scholarum amplius quadraginta erant, fuga molestiae ac difficultatis, ut fit, signa deseruissent. In theologia Boernerum ac Deylingium sequutus est; eloquentiae Germanicae praecepta tradentem audivit Gottschedium, qui tum in eo genere optimus ac paene unicus habebatur. Hoc curriculum emensus est triennii spatio, cuius dimidium tamen hic Lipsiae ne totum quidem studiis suis impendere potuit, avocatus ac districtus liberorum Stiglitiae domus institutione, quam provinciam ille in itinere domum faciendo, transiens per hanc urbem, Freytagio suo ipsum commendante, susceperat. Adeo celeriter proficitur ab iis, qui bene praeparati, nec nimis iuvenes, ad academicas doctrinas accedunt *). Ad hoc usque tempus cathedrae ecclesiasticae totum se destinaverat, quum ecce Stiglitius, praeclarus ingeniorum spectator, locum Conrectoris in Schola Thomana ei offert, quem, diu cunctatus, agnito tandem nutu divino, alacriter speique plenus, adiit. Quae

*) Aureolum hoc praeceptum utinam nunc minus negligerent. FR.

igitur studia in subsidium tantum adhuc theologiae, ac velut ministros *) usus, tractavisset, ea iam profiteri et propter se ipsa colere praecipua cura et opera, novo isto vitae genere cogebatur. In hoc munere administrando, utut iuvenis quatuor et viginti annorum, cui regendus esset coetus alumnorum, inter quos conspicerentur haud pauci, multo, quam ipse, aetate provectiores, tamen, auxilio divino confisus, prosperrimos successus habuit. Quae ille divinae providentiae documenta singularia, inter lacrymas infinitas praedicavit, quum ante hos tres et viginti annos, collegis coram et universo coetu, moderamine et cura illius scholae sese abdicaret: quam quidem inde a Gesneri in Academiam Gottingensem discessu, summa omnium cum laude sustinuisset. Huic tanto viro, Gesnerum dico, annum ipse

*) Mihi admodum verisimile est, Ernestium scripsisse *ministris*: quamquam multis exemplis probare possum, quod iam docuit Franc. Sanctius Minerv. III, 3. pag. Scheid. 505. sq., (cf. Corn. Front. tom. II. pag. 489. et 547. ed. Ang. Maii) antiquiores Romanorum quum scriptores tum poetas *uti*, *abuti*, *frui* et similia verba saepe cum accusativo casu iunxisse. Cf. Ramshorn. Gr. Lat. §. 144. 4, 2. pag. 269. FR.

agens septimum et vicesimum successor tum datus fuerat, a patronis quidem sapientissimis, nec ulli sumptui, in arcessendis vel e longinquo viris doctis, quod et in Gesnero ante factum esset, parcentibus. Sed enim cui rectius cura illa demandaretur, non erat; et ille per omnia doctrinam, industriam, prudentiam denique suam patronis, nominatim Stiglitio suo, abunde probaverat. Neque dedisse se nostro beneficium: Stiglitius postea saepe dicebat, sed ab eo accepisse. Ita virtute duce, comite fortuna, immo divino favore, doctrina denique conciliatrice, adolescens consequutus est, quod non nisi a viris praestantissimis expeti posset. Ab hoc iam tempore fama et existimatio eius indies invaluit, non modo apud nostrates, sed inter exteros etiam. Quam enim de se exspectationem commoverat, eam, licet gravem saepe adversariam, adolescenti utique, eique feliciori, semper egregie, non sustinuit modo, sed plane vicit. Edito quidem eius opera Cicerone, Olivetus ille, Ciceronis editor et ipse doctissimus, et interpres elegantissimus, prior ad eum scripsit, nec quidquam iam non magni

ab eo exspectari fas esse pronunciavit. Similibus huic pluribus plurimorum de ipso iudiciis adeo parum abusus est ad arrogantiam sumendam, ut incitamenta illa sibi subiiceret ad industriae ac sollertiae progressum atque constantiam. Itaque praeter morem receptum, qui in schola senatoria docentibus aditum ad cathedram academicam eo tempore intercludebat, tulit noster etiam Patriae Parentis iudicium honorificentissimum, quum iuberetur ante hos undequadraginta annos extra ordinem litteras humaniores iuventutem academicam publice docere, cui privatis praelectionibus tum philosophicis, tum antiquariis, tum denique philologicis iam per aliquot annos egregie profuisset. Tum vero maior indies ad eum multitudo confluere, sive historiam catholicam, Romanasque antiquitates enarraret, sive Graecos Latinosque auctores interpretaretur, nova quidem hos ratione, id est, ea, quae accommodata esset ad ostendendam et exponendam cogitandi subtilitatem, ad excitandum sensum universae elegantiae, ad mentem rerum cognitione ditandam, ad animum denique virtutis amore imbuendum,

postremo ad verum usum docendum legitimae interpretationis sacrarum litterarum, quin et legum civilium, aliorumque librorum, quorum vera cognitio, verus usus verteretur in subtilitate interpretandi. Namque litterae humaniores, propter inscitiam aut perversitatem eas profitentium, a philosophiae, historiarum, optimarum denique artium cognitione alienissimae. tum putabantur, quum ad syntaxin grammaticam, ad vocum formarumque dicendi commutationem, ad contortarum traiectionum ineptias, ad imitatiuncularum crepundia, ad orthographicas aliasque his similes lites et minutias vulgo revocarentur: quae quidem profecto non possunt esse ingenii atque animi alimenta. Enimvero quum, quidquid Graecia Latiumque monumentorum transmisit ad nostram aetatem, plenius ac melius deinceps cognovisset, plane ut sensum atque ingenium vimque omnem veterum ipse adsumeret atque indueret; quum rei ecclesiasticae accuratam cognitionem ex ipsis fontibus hausisset; quum denique philologiae sacrae et interpretandorum librorum divinorum veram rationem, a Grotio praemonstra-

tam, priscorum loquendi usu notando, et LXXvirali versione comparanda, inire didicisset, doctissimis ecclesiae patribus, praecipue Graecis, in eo genere ducibus usus, quid mirum, in theologicis eum et acutius videre et rectius sentire potuisse? quid mirum, si, quicumque deinceps aliquid feliciter et recte conati sunt in libris sacris interpretandis, auctorem illum sui sensus et habuerunt et lubenter praedicaverunt? Tali autem consensu tantum non omnium doctrinae partium esse vere censendum theologum sibi persuaserat. Crediderat scilicet mature Philippo Melanchthoni, vel e poetis veteribus sensum veri, etiam in theologia, petendum esse: qui quidem, auctore Victorino Strigelio *), dicere solebat: „Post lectionem bibliorum nulla lectio utilior est, quam tragoediarum, Aeschyli, Euripidis, Sophoclis et „Senecae" etc.

Hanc ille facultatem rei sacrae usum iuvandi, quod ab initio sibi propositum habuis-

*) in locis theologicis, quibus loci communes Phil. Melanchthonis illustrantur etc. Neap. Nem. 1582. 4. pag. 27.

set, collectam tot annorum studio, et philosophiae inprimis ac bonarum artium intelligentia comparatam, in lucem tandem proferre destinavit, docendo scribendoque ea, quae ad libros sacros, praecipue N. T. recte interpretandos pertinerent. In quo quum experiretur calumniam multorum, verae laudis comitem, qui abstinendum ei fuisse dicerent a rebus theologicis, quarum docendarum facultatem habere nullo modo posset, ut qui honores theologicos capessere non esset ausurus: non tamen a vero tramite deflecti aut deiici se passus est, satis certus, qui suae scientiae confidere posset, consiliumque sequeretur probum, simplex et salutare, quod neque alio modo efficeretur, neque ab aliis rite teneretur, eum vero curare talia dicta non debere, ne tempore suo infructuose abuteretur, quod in sacrarum litterarum posset emolumentum conferre. Et edebat scripta varii generis, nullo non theologo orthodoxo dignissima: cuius rei, ex omnibus, unum nunc nobis argumentum sit, quod Anti-Muratorius eius Catalogo librorum prohibitorum Romano insertus est: qui honos plerisque eorum, qui

vulgo sibique ipsis orthodoxi videntur, quod ab eorum scriptis non ita error sibi metuere debet, haud facile contingit. Ac ne quis hoc ita positum calumnietur, quod et in impie scriptis idem fiat, age, quis umquam heterodoxi quidquam in nostro notavit, aut ei obiecit, aut ab eo propositum ostendere potuit, atque adeo voluit? Quippe qui et contra secus sentientes veram formulam subinde subtiliter, sed modeste, vindicatum ierit, ut in *vindiciis arbitrii divini in religione constituenda* *), et in *brevi repetitione et adsertione doctrinae de S. coena* **).

Quum igitur exteri nobis monstrassent theologum nostratem atque invidissent, ut periculum esset, ne nobis eriperetur, tum vero arctius eum Academia nostra complecti coepit, aulae procerum cura atque intelligentia: primo per eloquentiae professionem ei datam, deinde per locum inter professores theologos. Atque illud quidem munus quum per quatuordecim annos ornasset, quo non alius dignior

*) Lips. 1756. et 1762. III. Part. 4. FR.

**) Lips. 1765. 4. FR.

veram eloquentiae vim commonstravit: quod vel scripta eius Latina loquantur, quorum vera elegantia tulit, ut Germanorum Cicero diceretur; et rhetorica eius, initiis doctrinae solidioris subiecta: quumque primus plane inter nos exstitisset verae ac virilis elegantiae auctor, a cuius conditione plurimas ineptias segregarit, plura idem ad eam pertinere ostenderit, quae neminem ante advertissent: ne vernaculae quidem linguae aut inscius aut negligens, cuius simplicem puritatem graviter vindicarit, sibique et aliis caverit ab ineptiis corruptorum: eloquentiae ergo docendae provinciam, coniunctam sustinens cum professione theologica, quasi duplici personae non sufficeret, sedulo administratam in manus indulgentissimi Principis sponte reddidit. In theologorum autem ordine ad primam usque cathedram deinceps evectus est, fuitque primarii professoris nomen in eo non fortuiti ordinis velut fatale beneficium, sed verae ac propriae dignitatis insigne.

In hac tam laboriosa vita quum inde a secundo et vicesimo aetatis anno singulis diebus complures horas scholis habendis in-

sumeret; tantum tamen temporis ei supererat, ut libris scribendis, et veterum scriptis edendis vacare posset. Tot ergo ingenii sui monumenta condidit, quibus doctrinae divinae humanaeque complures partes illustrarentur, ut libri totidem ab aliis bene multis vix legendo cogniti fuerint. Tantum autem illius scripta plausum tulerunt, ut typographias Belgicas, Anglicas, Francicas eorum repetitio exerceret. Tam avide vero expetebatur eius opera, optimis auctoribus veterum impensa, ut librariis exteris satisfacere omnibus haudquaquam posset. Sed enim haec fere omnibus vulgo nota. Illud fortasse minus notum fuerit, quam facile, quam lubenter, quam feliciter operi vacarit: cuius rei testes habuit eos, quibus interdum in aliqua philologica indagatione adiutoribus utebatur. Ipse praedicare solitus erat divinum quoddam adiumentum, quo sibi vel offerrentur in tempore, vel subiicerentur, quibus ad tollendam aliquam in solidiori doctrina dubitationem, aut ad locum aliquem vel difficilem interpretandum, vel obscurum illustrandum sibi maxime opus esset. Nam ad casum talia semper referenda quis dixe-

rit? Etsi non minimum ei adiumentum aderat sensus ille et destinatio usus, ad quam, velut ad formulam aut normam sic omnia iam tum in legendo notata retulisset, ut ea per ipsas animi humani leges, quum usus posceret, ex similitudine et consociatione ipsi tamquam instaurata obversarentur.

Sed habuit et alia laborum suorum vel adiumenta, vel adlevamenta, inprimis a matrimonio, quod septem et triginta annos natus inierat cum Rahele Friderica Amalia Dathia, venerandi Dathii nostri sorore natu maiori, virgine ornatissima bonis omnibus sui sexus, quacum laeta ei concordia viguit. Quamquam parum diuturna haec ei felicitas fuit, ut quae primo uxoris puerperio abrupta finiretur. Eo diuturnior ei fuit laetitia e prole inde suscepta. Hanc ille filiam, Sophiam Fridericam, utriusque parentis veram imaginem, adeo diligenter educavit, ut desiderium suavissimae coniugis indies ipsi magis minueretur, haberetque illam mature sociam vitae alteram. Hanc neque ad iustae doctrinae formulam plane fingi atque excoli, neque indoctam utique torpere voluerat, maximeque

ad obeunda munera, illi sexui adsignata et propria, adsuefaciendam curaverat. In quo certe utrique maxime consultum fuit. Pater enim habebat, cui administratio rei domesticae rectissime committeretur. Filia autem, pro pietate in patrem indulgentem singulari, et ipsa habebat, in quo sibi maxime placeret, quum et levaret eius curas, et consuetudine sua atque adloquio eum exhilararet. Sed tamen neque se tali filia satis beatum, neque illam patre theologo dignam existimabat, nisi etiam, quos tenellae adhuc informaverat sensus verae religionis, ii denique in pietatem adversus Deum veram et non fucatam evaluissent: id quod summo cum gaudio factum animadvertebat. Talem enim et sibimetipsi olim hereditatem unam, sed longe amplissimam et omnis hereditatis instar, ab utroque parente venisse saepenumero praedicabat, eoque nomine ipsi memoriam illorum sanctissimam esse, ut verbis non adfirmaret, lacrymae obortae disertius comprobabant. Felicem vero etiam nunc Ernestium nostrum tali educatione et accepta et data. Datae fructum uberrimum hunc quoque tulit, utut

magnam partem inscius, quod inter preces et amplexus filiae Deo carae ipse Deo carissimus exspiravit.

De hoc vitae exitu morboque praegresso antequam plura dicantur, quibus parentibus illam debuerit, quibus institutis ac moribus compositam rexerit, paucis nunc exponendum videtur.

Natus est Tennstadii, in Thuringis, anno huius seculi septimo, d. IV. Aug., patre Io. Christophoro, S. theol. Doctore, ecclesiae Tennstadiensis antistite et ecclesiarum scholarumque ephoro, quae tum per dioeceses Thuringicas, Salzensem, Visenensem et Sangerhusanam, Electoralis ditionis essent; matre Catharina Sophia Hedena, Arnstadiensi. Hi eum tum ipsi praeceptis et exemplo religionem ac mores docuerunt, imbueruntque sensu honestatis et erga Deum pietatis, tum, postquam acceperat a praeceptoribus domesticis rudimenta, scholae oppidanae tradiderunt, litteris Latinis, Graecis, Hebraicisque erudiendum: in quibus illic, duce inprimis Ittershagio, tantum profecit, ut patre defuncto, sedecim annos natus in Scholam Portensem de-

duci posset, ubi per quatuor annos sub praeceptoribus, quos ante nominavi, meruit. Accepto ingenii cultu pleniori et amoeniori Vitembergam, solidioris ac robustioris doctrinae caussa, profectus est, unde, ditatus a praeceptoribus, quos et ipsos supra laudavimus, adiit hanc fortunae suae sedem, laudisque hoc domicilium certum, quod, utrum eum ornaverit magis, an ab eo magis ornatum atque illustratum fuerit, aliis arbitrandum relinquimus.

Sane plurimum illustrata est a beato Lipsia nostra, (quid enim impedit, quo minus ex hoc genere addamus nonnulla, quae superius a vitae curriculi angustiis non capiebantur?) per scripta eius potissimum theologica. De scholis enim theologicis quis nescit nostratium aut dubitat? Institutionem quidem interpretis N. T. Albertus ille, theologus et litterator Lugduno-Batavus, quum inter suos *plane aureolam* dixisset, adeo non suffecerunt exempla illuc transmissa, ut continuo nova libelli editio a typographis Belgicis paranda esset: cuius formula quot non modo studiosis rei tantae, sed et magistris, quasi

signum sustulit, viamque aperuit recte in ea versandi? Bibliothecam autem theologicam in extrema Scotia lectitatam esse, litterae theologorum quorundam Edimburgensium ad nostrum datae docuerunt, quibus litteris adiunxissent nonnihil scriptorum suorum, quorum in bibliotheca illa mentionem fieri vellent. Sed, ne Vobis, *Cives*, vestraeque scientiae, (nostis enim, ut de hoc genere tantum dicam, praeter Scotos aliquot, multos e Belgio, Dania et Suecia fuisse inter Vos, qui Ernestii audiendi caussa huc venissent) ne igitur scientiae vestrae, aut etiam ipsis laudibus viri beati, ubique personantibus, diffidere atque adeo derogare videamur, pluribus huiusmodi adferendis supersedemus.

In ipsa autem arte theologica θεολογεῖν malebat, quam τεχνολογεῖν, quum putaret, veritati et simplicitati maxime consulendum esse. Itaque in ipsa formula non unius doctrinae plura immutavit, salva tamen caussa atque sententia librorum sacrorum: qua re malam gratiam iniit ab illis, qui systematis arbitrarii tenacitate orthodoxiam censerent; plebeculae similes, quae, cantionibus sacris in me-

lius mutatis, cultum divinum in deterius mutatum, ipsamque religionem detrimentum fecisse opinatur. Ipse contra lenis admodum et facilis, etiam adversus illos erat, qui merito corrigendi ac notandi essent, diligenterque discernebat hominis personam et eius errores aut lapsus; nihil magis decere theologum ratus, quam servare praeceptum librorum sacrorum, iubentium comiter et blande in viam reduci eos, qui ab illa aberrassent. Itaque facillime patiebatur diversam tum theologiae tradendae, tum libros sacros interpretandi rationem teneri ab aliis, quamlibet in ipsum essent iniqui, ut pro heterodoxis falsisque haberent, quae a sua ratione desciscerent: maxime in vulgari adhuc plurium locorum interpretatione, e quibus perperam intellectis eiici atque incidi nervos argumentationis infirmae aegre passi, dogma ipsum convelli ab eo calumniarentur, quod non effici ex vero sensu dicti argueret, utut aliunde certum constare minime negatum iret; immo aptiora subinde et firmiora praesidia commonstraret. Hos, non tam Christi, quam suam gloriam spectantes, tamen, ut maius

vitaretur malum, ferendos, neque irritandos esse statuebat. Vel iniuriis lacessitus, etiam a discipulis malevolis et ingratis *), eamdem constantiam et animi aequitatem servabat.

In docendi munere summam diligentiam, breviter et perspicue omnia explanandi, nemini non probabat, saepe professus inter suos, numquam se, nisi commentatum, in cathedram escendere, in qua concionari, declamitare et vociferari non solerent, nisi qui aut sibi placerent, aut inopiam doctrinae studerent utcumque velare. Illud etiam constanter servabat, ut temporis angustiis, hoc est, singulis binisve semestribus, se suasque lectiones coerceri non pateretur, immo auditoribus et se plane satisfaciendum pronunciabat, et eorum, qui praelectiones et scholas properando absolverent, aut bene docendo vel in dimidia earum parte subsistere cogerentur, hos excusatius peccare dicebat. Nec vero eamdem

*) In istis Schellerus quoque notandus videtur, qui quemadmodum in praeceptorem suum Ernestium animatus fuerit, quum ex aliis eius scriptis, tum ex prooemio primae ed. lexici, ex praeceptis stili, ex observatt. ad priscos scriptores quosdam, facile poteris cognoscere. FR.

quasi cantilenam usque ingerebat, sed, quae aut legisset interea, aut notasset subtilius, aut etiam rectius vidisset, lubenter et simpliciter ac benigne cum auditoribus communicabat.

In concionando quantam subtilitatem popularitate et gravitate temperatam, quantam et rerum et verborum copiam argumento cuique accommodatam, exseruerit, alienum sit pluribus commemorare. Illud dissimulare non licet, plus temporis eum in commentando absumpsisse, quam, pro istis eloquentiae praesidiis, ab eo requiri videretur; in hoc etiam similis magno Clarkio, cui non suffecisse constat unius hebdomadis spatium ad conficiendam unam orationem ecclesiasticam; neque enim iuvari quemquam, edoceri, firmari, incitari, erigi noster existimabat recitandis iis, quae unicuique a teneris innotuissent; facile vero effundi tales sermones, sed magno cum auditorum damno, qui officiorum non satis admonerentur, certe non edocerentur, quid esset verum in rebus summis, quid tenendum, et cur tenendum esset, qua via et ratione in religionis cognitione, adultis quidem

hominibus digna, quibusque vitae institutis in virtutis christianae studio, usuque continuo, proficiendum esset: quam quidem institutionem disciplinamque optime ex suo ipsius usu promebat. Qui unam eius concionem audisset, quin animo uteretur noster vere christiano planeque theologico, dubitare non poterat; quod idem omnis eius vita clamaret. Moribundis amicis lubenter aderat, eiusque adloquium in ea caussa a nonnullis expetitum est. Stiglitius nominatim, quem et ipsum adiuvit moribundum, quum diu ante cum nostro de morte sermones aliquando seruisset, „Bonum factum" inquit: „ergo tibi „debeo, quae quum aliis, pro eo ac par erat, „debere vellem, frustra anquisivi." Viduis et orbis promptus auxilium praebebat, ex occulto ille quidem, nec consilio tantum, sed re quoque et opera; etiam adversus alios liberalis, quibus vere consuli beneficentia posse videretur. Sed praecipue, quotiescumque usus publicus aliquid suae opis desideraret, liberalis erat, dando, commodando, laborando, defendendo. Amicis, qui calamitate aliqua oppressi non satis expeditas rationes haberent,

ultro largam ferebat opem, in eoque sibi mirifice placebat. In se contra suosque minus liberalis, minus benignus et quasi adstrictior erat: sed enim sibi ipsi severus quum esset, erga suos videri non poterat malignior. Cognatos non de alieno, sed de suo sustentabat, non obtrudebat muneribus, aut ambitiosis precibus commoda iis expugnabat, sed non immeritos excludi a muneribus nolebat. In disciplina domestica referebat ad honestatem, elegantiam, mediocritatem omnia, temperantiae et rite adhibendi temporis studio metiebatur omnium rerum ordinem. Ita factum est, ut in occupatissima vita tranquille tamen et hilariter ageret. Quae quidem res ei caussa fuit et robur vitae longioris, quam in remissiori minusque frugali vivendi genere attingere datum non fuisset.

Defectus virium ante septuagesimum eius annum non magnopere comparuit. Etenim ad hoc usque tempus omnia ille munera strenue obire, alacriter etiam incedere adhuc poterat, ut qui senilis infirmitatis genere laboraret prorsus nullo. Enimvero sensim ab eo termino vitae humanae, hoc est vigoris seni-

lis, gradus eius retardari, incurvus ipse deinceps trahere magis pedes, quam proferre. Ille vero, difficultates et impedimenta omnia omnis generis superare solitus, etiam huic malo resistebat, non cedendo nec succumbendo, sed, quum ceteroqui non langueret, intendendo vires, et deambulationibus excitando, eaque pertinacia certe hoc effecit, ut serius aliquanto ad prodeundum plane deficeret. Sed moram ingravescenti malo iniecit etiam usus aquarum Lauchstadiensium aliquoties repetitus; praesertim quum antea thermas quoque Carolinas semel iterumque adiisset. Enimvero vitam tantum illa remedia, non item virium robur, aut conservare, aut excitare potuerunt. Ad scribendi etiam negotium tardior factus; manus enim, quas per omnem vitam tanto exercuerat magis, quanto pedes minus, idem diversa de caussa negabant. Interea tamen scholas habere, colloquiis tentare ministerii sacri candidatos pergebat, et id genus alia pro more facere. Sed paene obmutuisse, recordantibus oris eius facilitatem flumenque orationis pristinum, videbatur, memoria item omnique vi

ingenii minus valere; idque magis magisque adparebat. Ipse autem quum non posset non sibi conscius esse, quantopere a semetipso descivisset; tamen, quidquid residuum erat virium, id omne, ecclesiae bonisque litteris inserviendo, consumere cupiebat; quoad lectulo non adfigeretur, agere tantum, quantum posset, destinabat, professorem ratus docentem mori debere. Ita utrimque vires plane confici; ut ad extremum, praeter id, quod mortale habuerat vir immortalis, propemodum nil eius restare videretur.

Felicem vero illum, qui, quum finis vitae adpropinquaret, neutra parte sui maiorem adhuc vigorem retinuerit. Quid enim factum esset animo tam sollerti, salvo quidem eius vigore, cui non pareret corpus infirmum torpore suo atque hebetudine? Quam dignum Ernestio corpus idem, quantumvis sanum, fuisset, quod non regeretur ab animo integro suique prorsus compote? Sed nos quoque felices, quibus utcumque incolumis aliquamdiu mansit ille, licet utraque sui parte vehementer adfectus. Profuit nobis idem etiam ultimo lustro mirum quantum publice

privatimque. Aderat nobis eius consilium, et vivi fama splendorem huic Academiae servabat: denique preces eius utramque hanc civitatem Deo commendavere. Succurrebatur ei a discipulis, disciplina Ernestiana dignissimis, qui ore suo Vos, *Carissimi Cives*, ab illo doceri vellent. Intellectum est, mortui disciplinam fore salvam, quae vivo tam officiose conservaretur. Sane aliquanto plus detrimenti passa esset Academia nostra, Ernestio iam ante hoc quinquennium, in prima oppressione morbi, erepto, quia se minus a repentino et damno et dolore recipere potuisset. Ipsi quoque tam lentus ac mollis exitus singulari beneficio divino contigit. Nam quum essent ei antea sensus acerrimi, ne malis et incommodis suis ipsius, domesticis, alienis magnopere adficeretur, isto torpore optime provisum fuit. Ad extremum nihil omnino ei molestum erat, ne remedia quidem, corpus alias vel fatigantia vel torquentia. Et requiem talem a laboribus indefessae industriae viro destinarat summa Dei benignitas, quae omnes dolores corporis ab eo prohibuisset, nec nisi senectutem ipsam ei mor-

bum esse vellet: ipse autem ne olim, ad Dei solium transiens, ullis animi doloribus perturbaretur, diligentissime per omnem vitam curarat. Quum denique paucis ante mortem hebdomadibus resolutionem sinistri lateris expertus esset; plane suarum rerum negligens totus in se convertebatur. Illud quidem e sermonibus, subinde ab eo certe inchoatis, intelligebatur, de amicis mortuis eum, nominatim de coniuge, cogitare, quibuscum una esse, in quorum habitationibus degere cuperet. Neque tamen, posteaquam ab illa resolutione sinistrum latus sollertissima cura revocarant medici, nulla spes restabat suis, fatum imminens ad tempus revocatum iri. Sed pectus pituita oppletum timere iubebat, ne suffocatione aliqua omnis vis vitalis opprimeretur, ipseque exstingueretur; id quod accidit. Quum enim die undecimo mensis Septembris, ad sextam usque horam matutinam, placide somnum carpsisset, repente per insolitos rhonchos spiritum difficilius ducere animadvertebatur. Tum vero periculum adesse videbatur ei, qui cubantis lectulo adsidebat. Acciti medici, quod diu timuissent,

id plane evenisse, dicere, remediis nullum amplius locum esse, suffocatione et apoplexia paucis post horis animam exhalatum iri: isque vitae finis hora septima vespertina consequutus est, iis, qui aderant, „Have sancta anima!" pie adclamantibus.

Huius tanti viri reliquias quum Vos, *Carissimi Cives*, in pompa funebri tanta frequentia talique officio prosequuti sitis, ne memoriam eius umquam elabi ex animis vestris patiamini, hortatione apud Vos non magnopere opus esse intelligimus. Et sunt nobis adhuc alia huius in illum amoris vestri, atque etiam pietatis, pignora, quae nos plane iubent sperare, fore, ut, quemadmodum per ingenii sui monumenta perpetuo victurus sit Ernestius noster, ita per Vos quoque, vestramque illius virtutum aemulationem, nobis quodammodo restitutus, nunc, olim, videri queat. P. P. Dom. XXII. p. Trinit. A. C. CIↃIↃCCLXXXI.

INDEX SCRIPTORUM ERNESTIANORUM

1. Dissert. de emendatione voluntatis per saltum. Lips. 1730. 4.
2. Lobrede auf George Nitsch. ibid. 1731. 4.
3. Diss. philos. philol. qua philosophia perfectae grammaticae asseritur ad Quinctil. Instit. Orat. Lib. I. Cap. 9. ibid. 1732. 4.
4. Progr. de intereuntium humaniorum litterarum caussis. ibid. 1736. 4. Rep. 1756. 4.
5. Pr. de ingenio et artificio librorum Ciceronis de oratore: acc. castigationes quaedam emendationum Pearcii. ibid. 1736. 4.
6. Initia doctrinae solidioris. ibid. 1736. Edit. II. 1742. III. 1750. IV. 1758. V. 1769. VI. 1776. VII. 1783. VIII. 1796. 8.
7. Comment. de negotiatoribus Romanis. ibid. 1737. 4. (In Germanicum sermonem vertit I. F. Krickow, cum Blasii Caryophili *Betrachtungen ueber die Handlung der Alten.* ibid. 1772. 8.)
8. Progr. Explicatio quorumdam locorum Ciceronianorum in libb. de Nat. Deorum. ibid. 1737. 4.
9. Xenophontis memorabilium Socratis dictor. libri IV. recensuit, emendavit, illustravit. ibid. 1737. Ed. repetita Oxon. 1741. cura Bolt. Simpson. Edit. II. 1742. III. 1755. IV. 1763. V. 1772. 8. (Ernestio in edendis Memorabil. successit Zeunius.)
10. M. Tullii Ciceronis opera omnia, ex recens. Ioh. Gronovii; acced. varietas lectionis Pearcianae,

Graevianae, Davisianae, cum singulorum libror. argumentis et indice rerum historico verborumque philologico-critico. Curavit etc. ibid. 1737—1739. 6 Voll. 8. Edit. II. Halae 1757. III. ibid. 1776. sq. 7 Voll. 8. Vol. VII. continetur Clavis, quae separatim prodierat sic inscripta:

Clavis Ciceroniana, sive indices rerum et verborum philologico-critici in opera Ciceronis; accedunt Graeca Ciceronis necessariis observatt. illustrata. Lips. 1739. 8. Ed. II. longe auctior. Halae 1757. III. ibid. 1769. 8. (Ed. nov. ibid. 1818.)

Ed. noviss. opp. Cic. prodiit 1820—1824. Halae: Cic. opp. omn. ex rec. I. A. Ern., cum varietate lect. Gruter. et clave Ciceron. Accedit praeter fragmenta nuper in Italia reperta edd. Oxon. et Neapol. codicumque ad has collatorum lectionis divers. 5 Tomi. 8. quibus addendae:

Praefationes et notae I. A. Ern. ad Cic. opp. omn. editionem maiorem. P. I. et II. ibid. 1806. 1807. 8.

11. Pr. pro barbaris philosophis et contra eosdem. Lips. 1738. 4.

12. Pr. de finibus humaniorum studiorum regundis. ibid. 1738. 4.

13. Pr. acad. quo demonstratur, maius utiliusque esse Latinos auctores intelligere, quam probabiliter Latine scribere. ibid. 1738. 4.

14. Pr. Popularitas erudita commendata. ibid. 1739. 4.

15. Comm. de necessitate revelationis divinae adversus eos, qui eius cognitionem rationi humanae adsertum eunt. ibid. 1739. 4.

16. Epistola ad Io. Matth. Gesnerum, de locis qui-

busdam Plinii, in eius edit. epistol. Lips. 1739. 4. Edit. II. ibid. 1770. 8.

17. Pr. Elogium Casp. Boerneri, grammatici, philosophi, mathematici et theologi Lips. clarissimi. ibid. 1740. 4.

18. Pr. Quibus litterarum disciplinis et quatenus chalcographia prosit. ibid. 1740. 4.

19. Pr. Defensio veterum philosophorum adversus eos, qui methodum mathematicam ab iis vel ignoratam vel male neglectam contendunt. ibid. 1741. 4.

20. In consulatum Christ. Lud. Stiglitii elegia. ibid. 1741. 4.

21. Pr. de glossariorum Graecorum vera indole et recto usu in interpretatione. ibid. 1742. 4.

22. Oratio de humanitatis disciplina. ibid. 1742. 4.

23. Pr. Lectionum Callimachiarum specimen. ibid. 1742. 4.

24. Pr. de grata negligentia orationis. ibid. 1743. 4.

25. Pr. de solariis. ibid. 1744. 4.

26. Pr. de actorum S. P. Q. R. diurnorum origine ad Sueton. Caes. Cap. 20. ibid. 1745. 4.

27. Diss. de Lucae et Iosephi in morte Herodis Agrippae consensu, ad Act. Apost. XII, 19—23. et Ant. Iud. XIX, 7. ibid. 1745. 4. Rep. 1761. 4.

28. Diss. de fide historica recte aestimanda. ibid. 1746. 4.

29. Pr. pro Fabio historico adversus Polybium disputatiuncula. ibid. 1746. 4.

30. Pr. de privata veterum Romanorum disciplina. ibid. 1747. 4.

31. Christiani Frid. a Kragh orat. panegyr. in Friderici V. Daniae Regis inaugurationis et coronationis sollemn., Lipsiae in templo acad. recitat. scripsit.

Lips. 1747. Fol. (Ernest. opusc. orat. nov. vol. pag. 227. sqq.)

32. Pr. de difficultatibus Novi Test. recte interpretandi. ibid. 1748. 4.

33. Caius Suetonius Tranquillus, ex recens. et cum animadverss. I. A. Ernesti. ibid. 1748. 8. Edit. II. emendatior. ibid. 1775. 8. (In Ernestii locum postea successit editor Frid. Aug. Wolf.)

34. In consulatum primum Gotfr. Guil. Kuestneri elegia. ibid. 1749. Fol.

35. Io. Zach. Platneri orationes acad. cum praefat. et elegia. ibid. 1749. 4.

36. Pr. pro grammatica interpretatione librorum inprimis sacrorum. ibid. 1749. 4.

37. Epistola ad Io. Aug. Bachium, cum notis in Xenophont. Oeconom. ibid. 1749. 4.

38. Pr. de vanitate philosophantium in interpretatione Novi Test. ibid. 1750. 4.

39. Initia rhetorica. ibid. 1750. et 1783. 8.

40. Pr. Animadversiones in librum Francicum de caussis legum. ibid. 1751. 4.

41. Orat. de doctrinae accuratae et promtae laudibus. ibid. 1751. 4.

42. Pr. de templo Herodis M. ad Aggaei II, 10. et Iosephi Ant. Iud. XV. ibid. 1752. 4.

43. C. Cornel. Taciti opera, cum notis integris Iusti Lipsii et Io. Fr. Gronovii, quibus et suas adiecit. ibid. 1752. Edit. II. ibid. 1772. 8. Denuo curavit Ier. Iac. Oberlinus. 2 Tomi. ibid. 1801. 8.

44. Pr. de vestigiis linguae Hebraicae in lingua Graeca. ibid. 1753. 4.

45. Sebast. Corradi Quaestura — numquam antea extra Italiam edita. ibid. 1753. 8.

46. Aristophanis Nubes, cum scholiis antiquis, e recens. Ludolphi Kusteri, in usum lectionum. Cum praefat. I. A. Ernesti, in qua scholiis pluribus locis emendantur, illustrantur. Lips. 1754. 8. (ibid. 1799. 8. ed. Godofr. Hermann.)
47. Pr. de philosophia populari. ibid. 1754. 4.
48. Pr. de philosophia vitae. ibid. 1754. 4.
49. Pr. Specimen castigationum in Io. Iac. Wetstenii Nov. Test. ibid. 1754. 4.
50. Elogium Iusti Gotfr. Gunzii. ibid. 1754. 4. (Idem in Act. Erudit. et in Opusc. Orat.)
51. Graecum Lexicon manuale, tribus partibus constans, hermeneutica, analytica, synthetica; primum a Beniam. Hederico institutum, post repetitas Sam. Patricii curas nunc auctum myriade amplius verborum, innumeris vitiis repurgatum, plurimisque novis significatibus verborum locupletatum. ibid. 1754. 8. Edit. II. ibid. 1767. 8. III. ibid. 1788. 8. cura Ch. L. Wendler. IV. 1796. 8. (Ed. V. Vol. I. hoc ipso anno ed. Gust. Pinzger.)
52. Anti-Muratorius s. confutatio Muratorianae disputationis de rebus liturgicis. ibid. 1755. 8.
53. Pr. de difficultatibus interpretationis grammaticae Novi Test. ibid. 1755. 4.
54. Diss. de Origene, interpretationis librorum sacrorum grammaticae auctore. ibid. 1756. 4.
55. Pr. Erisichthonis Callimachii et Ovidiani comparatio. ibid. 1756. 4.
56. Diss. Exercitationum Flavianarum I. de fontibus Archaeologiae. ibid. 1756. 4.
57. Diss. Exercit. Flavian. I. Coroll. I. de stilo Iosephi ad scripta eius intelligenda et emendanda profuturo. ibid. 1756. 4.

58. Diss. inaug. Vindiciae arbitrii divini in religione constituenda. Pars I. II. Lips. 1756. Pars III. ibid. 1762. 4. (In ling. Germanicam vertit C. F. Ludwig: Vertheidigung des Willkuehrlichen in der Religion. ibid. 1765. 8.)
59. Pr. Historia critica operum Ciceronis typographorum formulis editorum. ibid. 1756. 4.
60. Oratio Profess. Rhetor. adeundae caussa dicta: *Pectus est quod disertos facit*. ibid. 1756. 4.
61. Memoria Io. Christ. Hebenstreitii, theol. Doct. ibid. 1756. Fol.
62. Mem. Io. Flor. Rivini. ibid. 1756. Fol.
63. Pr. de coniunctione necessaria eloquentiae cum philosophia. ibid. 1757. 4.
64. Orat. de conversionibus eloquentiae. ibid. 1757. 4.
65. Pr. de epigrammate Callimachi in Arati Phaenomena. ibid. 1757. 4.
66. Vorrede zu Weismanns Lexicon *etc.* ibid. 1757. 8.
67. Mem. Io. Frid. Christii. ibid. 1757. Fol.
68. Mem. Ern. Aug. de Apfelstaedt. ibid. 1757. Fol.
69. Mem. Hier. Georg. Gloeckneri. ibid. 1757. Fol.
70. Pr. Orat. paneg. in diem natalem Friderici V. Daniae Regis. ibid. 1757. 4.
71. Praefat. ad Ovidium Fischeri. ibid. 1758. 8.
72. Pr. Exercit. Flavian. I. Coroll. II. de odio Iudaeorum veterum adversus litteras Graecas. ibid. 1758. 4.
73. Pr. de antro Platonis. ibid. 1758. 4.
74. Pr. de laudis et famae studio. ibid. 1758. 4.
75. Elog. Herm. Dider. Neddershofii, Riga-Livoni. 1758. Fol.
76. Mem. Christ. Gottl. Ioecheri. ibid. 1758. Fol.
77. Mem. Io. Ern. Hebenstreitii, med. Doct. ibid. 1758. Fol.

78. Mem. Beni. Gotil. Bosseckii. Lips. 1758. Fol.
79. Drei christliche Predigten vom Gebet und einigen dazu dienlichen Uebungen des Geistes. ibid. 1758. 8.
80. Pr. Narratio critica de editionibus orationum Ciceronis. 1759. 4.
81. Pr. de theologiae historicae et dogmaticae coniungendae necessitate. ibid. 1759. 4.
82. Orat. de institutis criticorum in studiis theologiae imitandis. ibid. 1759. 8.
83. Homeri opera omnia, ex recens. et cum notis Sam. Clarkii, accessit varietas lectionum MS. Lips. et editt. vett. cura I. A. E. qui et suas notas adspersit. ibid. 1759—64. 5 Tomi. 8. mai. (Rep. ibid. 1824. curante Guil. Dindorf.)
84. Memoria Car. Gotfr. Winckleri. ibid. 1759. Fol.
85. Mem. Frid. Aug. Sandelii. ibid. 1759. Fol.
86. Mem. Georg. Gotfr. Zemischii. ibid. 1759. Fol.
87. Mem. Gotthilf Aug. Graefii, Sondershus. ibid. 1759. Fol.
88. Neue theologische Bibliothek. 1—10 Vol. ibid. 1760—1769. 8.
89. Praefatio ad Plautum Gronovianum. ibid. 1760. 8.
90. Mem. Frid. Leber. Stolzii. ibid. 1760. Fol.
91. Callimachi hymni et epigrammata, cum notis var., latine vertit atque notas adiecit. Lugd. Bat. 1761. 8. mai. II Tomi.
92. Institutio interpretis Nov. Test. Lips. 1761. 8. Rep. Lugd. Bat. eod. anno. Ed. II. Lips. 1765. Edit. III. 1775. 8. Edit. IV. a C. F. Ammon curata eiusque observatt. aucta. ibid. 1792. Edit. V. 1809. 8.
93. Mem. Aug. Frid. Muelleri. ibid. 1761. Fol.

94. Mem. Io. Iac. Mascovii. Lips. 1761. Fol.
95. Mem. Christoph. Wollii. ibid. 1761. Fol.
96. Mem. Georg. Henr. Schmidii. ibid. 1761. Fol.
97. Praefat. ad Minucium Fel. Lindneri. Longosalissae 1761. 8. Edit. II. Lips. 1773. 8.
98. Oratio de studiis philosophiae discendae docendaeque regundis. Lips. 1761. 4.
99. Narratio de Io. Matthia Gesnero ad Dav. Ruhnkenium. ibid. 1762. 4. (In Opusc. Orat. pag. 307. sqq. Eadem repetita est Halae 1787. 8. cum Ruhnk. elog. Hemsterhus., itemque in Gesner. biograph. acad. Gotting. Vol. I. pag. 277. sqq. Halae 1768. 8.)
100. Opuscula oratoria, orationes, prolusiones et elogia. Lugd. Bat. 1762. 8. Edit. II. ibid. 1767. 8.
101. Mem. Iac. Christ. Scileri. Lips. 1762. Fol.
102. Mem. Gotfr. Guil. Kuestneri. ibid. 1762. Fol.
103. Pr. de vestigiis providentiae divinae in bello. ibid. 1763. 4.
104. Pr. Iusta funebria Friderico Augusto Polon. Regi habenda indic. ibid. 1763. Fol.
105. Mem. Car. Frid. Trieri. ibid. 1763. Fol. (Germanice vertit I. G. Eckius. ibid. 1763. 8.)
106. Mem. Io. Gotfr. Baueri. ibid. 1763. Fol.
107. Praefat. ad Xenophontem Thiemii. ibid. 1763. 8.
108. Pr. Orat. panegyr. in Fridericum Christianum Princ. Elect. Sax. ibid. 1764. Fol.
109. Orat. in exequiis Frid. Christ. dicta. ibid. 1764. Fol. (Germanice vertit G. F. Lindemann. ibid. 1765. 4.)
110. Mem. Frid. Guil. Schleusneri. ibid. 1764. Fol.
111. Opuscula philologica, critica, multis locis emendata et aucta. Lugd. Batav. 1764. Edit. II. 1776. 8.
112. Polybius cum notis variorum. Praefationem et

glossarium Polybianum adiecit. Viennae et Lips. 1764. III Tomi. 8.

113. Pr. de libertate iudicandi in caussa religionis. Lips. 1764. 4.

114. Pr. Dignitas et veritas incarnationis filii Dei asserta. ibid. 1764. 4.

115. Pr. de coniunctione rerum coelestium et terrestrium ad Eph. I. et Coloss. I. ibid. 1765. 4.

116. Pr. ad I. Cor. XIV. de dono linguarum. ibid. 1765. 4.

117. Diss. Brevis repetitio et assertio sententiae Lutheranae de praesentia corporis et sanguinis I. C. in coena sacra. ibid. 1765. 4. (In ling. German. vertit C. F. Stoessner: Kurze Wiederholung und Bestaetigung der Lutherischen Lehre von der Gegenwart des Leibes und Blutes Iesu Christi im heil. Abendmahle. ibid. 1766. 8.)

118. Mem. Io. Frid. Krumbharii. ibid. 1765. Fol.

119. Mem. Ferd. Aug. Hommelii. ibid. 1765. Fol.

120. Vorrede zur allgemeinen Weltgeschichte von Guthrie und Gray etc. ibid. 1765. 8.

121. Mem. Io. Zach. Richteri. ibid. 1766. Fol.

122. Mem. Io. Christoph. Gottschedii. ibid. 1766. Fol.

123. Elog. Soph. Reg. Ludwigiae. ibid. 1767. 4.

124. Pr. de avaritia ecclesiastica, et Salviani adversus avaritiam libello. ibid. 1768. 4.

125. Mem. Frid. Aug. Iunii. ibid. 1768. Fol.

126. Christliche Predigten zur Verherrlichung Gottes und Iesu Christi, und zur Befoerderung des innern Christenthums. Th. I. Leipz. 1768. 8. (Hae oratt. in Belg. ling. versae sunt Ultraiecti 1770. 8.) Th. II. Leipz. 1773. 8. Th. III. IV. Leipz. 1782. 8. (herausgegeben von I. C. G. Ernesti.)

127. Archaeologia litteraria. Lips. 1768. 8. Edit. altera emendata atque aucta opera et studio Ge. Henr. Martini. ibid. 1790. 8.
128. Pr. de Christo Rege Domino. ibid. 1768. 4.
129. Pr. de officio Christi triplici. ibid. 1769. 4.
130. Pr. in Actor. III, 21. ibid. 1769. 4.
131. Pr. Narratio critica de interpretatione prophetiarum Messianarum in ecclesia christiana. ibid. 1769. 4.
132. Diss. de disciplina christiana. ibid. 1769. 4. (Germanice Vratislav. 1773. 8.)
133. Horatius Tursell. de particulis Lat. orationis. Lips. 1769. 8.
134. Mem. Rud. Aug. Schubarti. ibid. 1770. Fol.
135. Mem. Gotfr. Heinsii. ibid. 1770. Fol.
136. Elogium Christ. Fuerchteg. Gellerti. ibid. 1770. Fol. (Germanice ibid. 1770. 8.)
137. Mem. Casp. Richteri. ibid. 1771. Fol.
138. Mem. Aug. Flor. Rivini. ibid. 1771. Fol.
139. Neueste theologische Bibliothek. 1—4. Band. Leipz. 1771—1779. 8.
140. Mem. Car. Christ. Deylingii. ibid. 1772. Fol.
141. Mem. Gotfr. Winckleri. ibid. 1773. Fol.
142. Mem. Io. Thom. Richteri. ibid. 1773. Fol.
143. Opuscula theologica. ibid. 1773. 8. Edit. auctior ibid. 1792. 8.
144. Fabricii biblioth. Lat. nunc melius delecta, rectius digesta et aucta. Vol. I. et II. ibid. 1773. Vol. III. ibid. 1774. 8. mai.
145. T. Livii historiarum lib. XCI. fragmentum ἀνέκδοτον, descriptum et recognitum a Cl. VV. V. M. Giovenazzio, P. I. Bruns, ex schedis vetustissimis bibl. Vat. Eiusd. Giovenazzii in idem

fragm. scholia. Cum praefat. I. A. Ernesti. Lips. 1773. 8.

146. Scriptores rei rusticae Latini ex edit. Io. Matth. Gesneri. Edit. II. cum praefat. I. A. Ern. ibid. 1774. 4.

147. Pr. de metu spectrorum per Lutherum sublato. ibid. 1774. 4.

148. Pr. Dom. Magnani sententia de anno nati Christi examinatur. ibid. 1774. 4.

149. Pr. de satisfactione Christi, ad I. Cor. XV. ibid. 1775. 4.

150. Pr. de trinitate. ibid. 1775. 4.

151. Pr. inaug. de doctoribus veterum. ibid. 1775. 4.

152. Pr. de emendatione scholarum per Lutherum. ibid. 1776. 4.

153. Pr. inaug. de Paschate Christianorum cum Iudaico concurrente. ibid. 1776. 4.

154. Pr. de vocabulis κατάλυμα et αὐλή ad Luc. II, 7. ibid. 1776. 4.

155. Pr. ad Phil. II, 6—11. ibid. 1777. 4.

156. Pr. de testimonio Spiritus Sancti, quod non sit in verbis, sed in rebus. ibid. 1777. 4.

157. Mem. Iac. Henr. Bornii. ibid. 1777. Fol.

158. Commentatio de vexillariis. } in Comment. Societ. Doctr. Gotting. Tom. I.

159. De navibus διπρώροις et διπρύμνοις. } in Comment. Societ. Doctr. Gotting. Tom. I.

Mortuo Ernestio alii ediderunt hos eius libros:

160. Theses theologiae dogmaticae. Lips. 1783. 8.

161. Anmerk. ueber die Buecher des neuen Test. Quedlinburg 1786. 8. (Ex Ern. bibl. theol. excerpt.)

162. Opusculorum orator. novum vol. Accessit elogium beati viri publice scriptum. Lips. 1791. 8. (Ed. Io. Christian. Theoph. Ernesti. — Germanice vertit G. F. Rothe. ibid. 1791. 8.)

163. Opusc. varii argumenti (ed. Theod. F. Stange.) ibid. 1794. 8.

164. Lectiones academicae in epist. ad Hebraeos ab ipso revisae, cum eiusd. excurss. theologicis. Edidit, commentarium, in quo multa ad recentiss. inprimis interpp. sententias pertinentia uberius illustrantur, adiecit Gottlieb Imman. Dindorf. ibid. 1795. 8.

165. Observatt. philologico-criticae in Aristoph. Nubes et Flav. Iosephi Antiq. Iud. Accesserunt Godofred. Olearii notae ad Suidam. (Ed. ab Io. Chr. Th. Ernesti.) ibid. 1795. 8.

166. Metaphysica et Logica; cum praefat., disputatione prooemiali et notis —. edidit Em. Ioach. de Condado. Madridi 1785. 8.

PETRI BURMANNI

ORATIO FUNEBRIS

IN

OBITUM

VIRI CLARISSIMI

IOANNIS GEORGII GRAEVII

MAGNAE BRITANN. REGIS HISTORICI. POLITICES, HISTORIARUM
ET ELOQUENTIAE PROFESSORIS ORDINARII

DICTA

TRAIECTI AD RHENUM

XI. KAL. MARTIAS MDCCIII.

[PETRI BURMANNI ORATT. PAG. 83 — 109. HAGAE COMITIS
1759. 4.]

ILLUSTRES AC PRAEPOTENTES CIVITATIS TRAIECTINAE ORDINES, ELECTI, EQUITES, ET MAGISTRATUS.

NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, URBIS HUIUS CONSULES ET SENATORES, ACADEMIAE CURATORES BENEVOLENTISSIMI.

MAGNIFICE RECTOR.

CELEBERRIMI ET ERUDITISSIMI OMNIUM ARTIUM ET DISCIPLINARUM PROFESSORES, COLLEGAE HONORATISSIMI.

DEFUNCTI GRAEVII GENER ET PROPINQUI, MOESTISSIMI, AMICI, OFFICIIS, USU ET CONSUETUDINE CONIUNCTISSIMI.

DIVINORUM ORACULORUM INTERPRETES CASTISSIMI ET FACUNDISSIMI.

OMNIUM SCIENTIARUM DOCTORES, INGENIO ET ERUDITIONE PRAESTANTISSIMI.

OMNIS ORDINIS ET LOCI, CIVES, HOSPITES SPECTATISSIMI.

TU DENIQUE, STUDIOSAE IUVENTUTIS FLORENTISSIMA CONCIO, PARENTUM EXSPECTATIO, PATRIAE SPES, NOSTRAE DELICIAE ET GAUDIUM.

Mene illaetabili hoc et funesto parentandi manibus Viri, quem unum omnium, aut numquam, aut, quia ferreus fatorum ordo id vetabat, longe serius mori oportebat, officio fungi debere? Mene, qui ad cogitationem tam acerbae mortis, quandocumque demum contingeret, mente concidere solebam, nunc sine ulla perturbatione, hanc concionem, quae, quanto olim studio, ad audiendum disertissimum omnium, post Ciceronem e medio sublatum, Virum confluere solebat, tanta nunc ad eius funeri iusta solvenda frequentia concurrit, et laudationem eius doctrinae et ingenio parem exspectat, sustinere? Creditisne, Auditores, mihi, non dicam verborum copiam et ornatum, sed ipsam vocem et murmur hodie suffecturum? Vel an animos vestros induxistis lacrimas et fletus, quibus interruptus strangulatur sermo, aliquo solamine iam abstersos et siccatos? Nolite,

quaeso, huius doloris modum, ex aliis et vulgaribus luctibus aestimare. Nullum a die, nullum a ratione in hac plaga levamen; sed longinquitate temporis producitur hoc malum, et ipsa mora crescit et augetur. Recens semper calamitatis sensus, in aliis rebus constantiae et fortitudinis laudem esse quaerendam, hoc in tristissimo casu non vehementer commoveri durum et inhumanum esse, clamat. Si privata et domestica damna me solum torquerent, paterer mihi consolationem quamdam adhiberi, quae si non sanare, saltem levare meum dolorem posset; sed non abducendum esse a luctuosissimi funeris imagine animum, communis et huius urbis et omnium, quotquot per terrarum orbem studia colunt, hominum consensus iubet. Idem omnibus est vultus, lacrimis et squalore foedatus, eadem concordia plorandi, et manifestum dolorem prodendi. Lugetis, Musarum et artium Patroni, et non simulati moeroris notas editis, qui obsequentissimum non modo civem et diligentissimum Professorem desideratis: nam haec forte laus cum aliis communicari posset; sed primam Academiae vestrae gloriam, sed sapientissimum

consiliarium, ex cuius sententia et consilio res Academicas componere, gloriam studiorum et dignitatem tueri gaudebatis, amisistis. Luget hoc sapientiae templum, et hi atrati parietes unicum suum decus et columen, a quo plus lucis et famae sibi adlatum, quam ab infinito aliorum, etiam doctissimorum virorum, numero, sine alicuius invidia, fatetur. Lugetis vos, Academici Patres, non collegam modo facillimum et suavissimum, sed fratrem concordissimum, qui sine ulla livoris, aut vitiosae aemulationis suspicione, amorem in omnes aequaliter dispensabat: ego vero, non collegam et fratrem, sed parentem carissimum, et fidissimum studiorum meorum ducem, cuius auspiciis et ductu hanc gravissimam, quam sustineo, provinciam suscepi, in cuius consilio et matura prudentia tutissime adolescentia mea requiescebat. Vos denique, cuiuscumque loci aut ordinis Auditores (non enim Graevius ullo discrimine quemquam vestrum habuit) ploratis amicum, omnibus aeque communem et obvium, cum quo nemo vestrum ullas umquam rixas aut simultates exercuit, cum quo nemo umquam in gratiam rediit. Sed praecipue vestra, Ado-

lescentes optimi, me calamitas movet, quos ubi primario et sine exemplo praeceptore orbatos conspicio; non possum [non] quin ingenti animi cum perturbatione vehementer defleam fortunas vestras. Ubi, aut quando, parem Graevio magistrum reperietis? cum quo omnis studiorum suavitas et venustas, omnium seculorum consummata cognitio, utriusque linguae nitor et elegantia perierunt, et eodem, quo ille, tumulata sepulcro iacent. Iam huius Lycei, ad quod fama tam illustris Viri, quae totum orbem impleverat, undique concurrebatur, vastitatem; iam urbis huius, quae uno Graevio, quem exteris monstrare poterat, supra reliquas patriae nostrae urbes, hospites alliciebat, solitudinem prospicio et deploro. O ingentem et nulla seculorum longinquitate exhauriendum dolorem! O aeternis lacrimis deflendam iacturam! cuius magnitudo dum menti meae obversatur, quanto verius mihi, quam tibi olim, beate Graevi, cum parenti meo, fraterno tibi amore dilecto, summo cum animi dolore iusta persolveres, Metelli Macedonici verba hodie mea facere, et, quantum possim, exclamare fas est, Concurrite cives, concurrite, urbis et

Academiae nostrae moenia sunt eversa *). Sed si tibi pro amore tuo, tanti patris mei mors videbatur, ut cives Ultraiectinos, quibus tamen non omnibus flebilis occidebat **), ad publice complorandum sedibus suis excitaret, quanta mihi nunc vocis et lateris contentione opus esse video, ut ad tuum funus, cuius acerbitas, non civitatis nostrae moenibus, non Belgicae et Europae finibus continetur, sed quae utrumque orbis cardinem concutit et percellit, exclamem, Concurrite populi, concurrite ab ultimis terrarum terminis gentes, moenia non modo communis Athenaei, sed ipsa sapientiae sacraria corruerunt et subversa sunt: non enim Vir supra alios eruditus, non ingenii laude prae reliquis excellens, sed eruditorum princeps, imo ipsa eruditio et literae cum Graevio efferuntur et sepeliuntur.

Utinam modo, Auditores, hac confusa de-

*) Macedonicus enim Metellus quum interemptum Scipionem conclamari audisset, in publicum se proripuit, moestoque vultu et voce confusa, *Concurrite*, *concurrite*, inquit, *cives; moenia urbis nostrae eversa sunt: Scipioni enim Africano intra suos penates quiescenti nefaria vis illata est*. Valer. Max. IV, 1, 12. Cf. supra pag. 81. FR.

**) Horat. Carm. I, 24, 9. de Quinctilio:
Multis ille bonis flebilis occidit. FR.

ploratione, quae largam satis lugendi materiam daret, defungi et turbae plorantium immixto praesentissimum doloris sensum stupore exprimere, vel lacrimis levare liceret! Sed o duram provinciam! exigit collegii Academici auctoritas, poscunt miserarum filiarum, et generi adflictissimi preces, flagitat mea in defunctum pietas magnificam et amplam orationem. Sed si crudele existimetur, a filio in patris carissimi recenti funere disertas et compositas lamentandi formulas exposcere; quid iniquius, quam me, qui a Graevio fictus et formatus sum, quemque semper ut alterum parentem colui et observavi, in hoc tristissimi temporis articulo, ad praeclarum eius praeconium, quod copiosissimum ingenium exercere posset, compelli? Quid durius, quam hunc feralem campum, in quem nemo, nisi promtissimi ingenii, cum laude decurrat, torpenti et frigore quodam contracto aperiri? Cum tamen summum foret scelus, Virum ad universi generis humani exemplum natum, illaudato funere efferri, et videam simul nullam dicendi vim meritis ipsius parem, nisi alter nobis divino munere Graevius obtingeret, posse repe-

riri; sed si pro dignitate eius et excellentia esset aliquid dicendum, omnibus omnino, quotquot hodie vivunt, esse tacendum: praestat famam, quam pietatem negligere, et, si nihil nostra oratione ad laudem Graevii adiici possit, simplici commemoratione egregiarum dotum, satis magnam Viri admirationem posteritati relinquere. Cum autem nudum Graevii nomen singularem attentionem mereatur, ab eius suavitate, vestrum favorem et benevolentiam, quae alias ambitiose et verborum lenociniis eblandienda esset, exspectabo.

Non autem, quod in vulgarium funerum laudatione frequentari solet, in locos communes de patriae aut parentum nobilitate, de ornamentis fortunae, et iis, quae innumeros homines inter se aequant, delabar; sed de Viro, qui omnia sibi debet, et nuda virtute, et mente omnium scientiarum capacissima enituit, ea tantum, quae turbae illum exemerunt, proferre conabor, cum sic quoque longa satis sit exitura oratio; et certus sim, plures inter vos fore, qui dimissa hac concione, me quaedam omisisse indignabuntur, quam nimia enumeratione molestum fuisse succensebunt.

Natalibus suis illustravit Graevius non ignobile Saxoniae oppidum *), Naumburgum ad Salam, quod, etsi antiquitate sua, et longa Episcoporum, nobilitate sanguinis et eruditione, ut ea ferebant tempora, praeclara ornatorum, serie, ab Ottonis primi temporibus se efferre possit; licet popularibus suis, fertilitate circumiacentis soli, vini non contemnendi copia, cerevisiae per totam Germaniam celeberrimae gratia, frequentissimis nundinis et mercatu se commendet; has omnes laudes posthac obscurabit nobilissimi alumni natalis, qui lucem in illa adspexit primam die XXIX. Ianuarii anni supra millesimum sexcentesimum secundi et trigesimi. Parentes habuit honestissimi inter cives loci et ordinis, quorum maiores per duorum seculorum spatium enumerari possent, si id agendum nobis nunc esset. Avus, Petrus Graevius, ex Delitio, Misniae oppido, oriundus, in illo aedilitate, aerarii et operum publicorum curatione conspicuus vixit. Ex uxore Elisabetha Holtzmullera,

*) Sic ed. a. 1759. quam sequimur, quum antea (in ed. Io. Alb. Fabricii, Hamburg. 1707. 8.) legeretur: *non ignobile alias Sax. oppidum.* FR.

Wolfgangi, qui eumdem in urbe Delitio ante generum locum obtinuerat, quinque liberos suscepit; inter quos eminebat nostri parens, Georgius, qui, patre suo novem, matre vero quindecim annorum puer orbatus, non amplum satis virtuti suae theatrum patriam cum iudicasset, ad aulam Dessaviensis Principis se applicuit. Deinde in contubernium Electoris Saxonici adscitus, ad dignitatem sibi gradum iam fecisse videri poterat. Sed cum primos iuventutis annos deliciis aulicis magis frangi et debilitari, quam ad virtutem excitari videret, ad rerum civilium prudentiam necessariam peregrinationem per alias terras iudicavit. Quare, perlustrata optima Germaniae parte, vicina quoque regna, Ungariam, Poloniam et Moscoviam peragravit. Warsaviae dum versaretur, in amicitiam Illustrissimi Principis Iannusii Radzivilii se obsequio et comitate morum insinuavit, qui, perspecta eius fide et industria, rerum privatarum tabulas et calendarium suum curare eum iussit; brevique tempore tam charus Principi et universae eius familiae evasit, ut non modo constantissima voluntate eum Radzivilius, quoad viveret, complecteretur, sed

post eius immatura fata, vidua Elisabetha Sophia, ex Brandenburgica domo Princeps, commissa ipsi omnium rerum suarum cura, Georgii fide et diligentia viduitatem solaretur. Cumque illa secundis nuptiis iungeretur Celsissimo Principi Iulio Henrico, Angariae et Westphaliae Duci, eumdem per multos annos locum tenuit. Neque in adflictissima tunc Germaniae per intestinos motus et bella civilia conditione, ulla periculi praesentia, aut laborum molestia deterritus est, quo minus crebris itineribus, in disiunctissimis inter se regionibus dispersum Principis patrimonium obiret et tueretur. Anno 1627. Naumburgi forte aliquantum moratus, visa pulcherrima virgine, Anna Sabina, Valentini Prezschneri, mercatoris diligentissimi filia, eius amore exarsit, et post ambitas eius nuptias, tori et vitae sociam adiunxit. Sed non diuturnum satis et perpetuum id fuit gaudium. Primo enim partu, cum enecata doloribus puerpera non vitalem edidisset foetum, absente marito, quod dolores intendebat, diem suum obiit. Tanta delibati modo coniugii suavitas Georgio videbatur, ut, cum uxorem eluxisset, ad alteram men-

tem*) adpelleret, quae neque animi neque corporis dotibus priori erat inferior, sanguinis autem nobilitate eam longe vincebat. Ea erat Catharina, Viri Amplissimi Ambrosii Pfretzschneri, Consilii Caesarei, quod tunc Pragae circa Imperatorem erat, Assessoris, et Electoris Saxonici Consiliarii, et eius negotia apud Imperatorem curantis, filia; maternum huic matronae erat genus ex illustri in Iuliacensi regione Nerhoviorum ab Holderbergh, quae arcis nobilissimae est nomen, familia. Maiores autem eius, cum purioribus sacris essent initiati, ab horrendo illo et sanguinario Hispanorum tribunali bonis exuti, in Bohemiam concesserant. Hac uxore recreatus, et paullo post a vaga vita ad tranquilliorem conditionem traductus, et ab Illustrissimo Naumburgensium Canonicorum collegio aedilitate ornatus, Georgius, felicissimo liberorum proventu matrimonium suum ornari videbat. Quater enim et decies pater factus, novem filios et quinque filias, ex quibus tamen septem modo parentibus superstites vixere, procreavit. Maximus inter filios natu erat Ioan-

*) Ed. Fabric. *animum*. FR.

nes Georgius noster, quem singulare familiae suae ornamentum et decus futurum egregia iam et matura in puero indoles promittebat. In patria urbe postquam primis literarum elementis imbutus esset, ad Latinas Graecasque arripiendas in celebre tota Germania Gymnasium Portense mittitur. Saepe defunctum narrantem audivi, quam egregia cura et disciplina laudabili teneriores ibi formarentur mentes. Electores enim Saxoniae, discussis falsorum errorum tenebris, ex libidinis latebris ignavissimos ventres, et sola ignorantia turgentes Monachos extraxerant, et coenobia, regiis vectigalibus dotata, in bonae mentis palaestras converterant. Inter ea celeberrimum erat, quod ab Udone xi. *) Naumbur-

*) Immo *ab Udone primo.* Neque enim, quod sciam, praeter hunc et secundum Udonem alios huius nominis Episcopos Numburgum habuit. Udo ille, Ludovici Saltatoris filius, a. 1140. ordinis Cisterciensis fratres ex monasterio Schmollnensi (tract. Altenburg.) quod a Brunone Com. Misn., terrae Plissensis domino, a. 1127. conditum erat, in Cusanum locum (*Koesen*) traduxerat. Sed quum ne illic quidem devitare hominum iniurias possent, a. 1175. ab Ottone March. Misn. in eum locum, ubi nunc sita Porta est, deducti sunt. Denique ab Mauritio Elect. coenobium

gensium Episcopo ad Salam conditum, Porta Mariae dicebatur. Hunc ludum omnibus popularibus communem sapientissimi Principes, in quem parentes, felicioris ingenii pueros sumtu publico erudiendos mitterent, aperuerant. Nullo sanguinis aut fortunarum discrimine Comitum, Baronum et civium filii ibi severissima lege proficere iubentur. A quinta hora matutina, sive aestas dierum spatia extendit, sive hiems contrahit, ad solem occidentem continuo labore et exercitatione, modica modo intermissione data, occupantur. Non crudelis matrum indulgentia, non prava patrum facilitas flexibilem et proclivem ad ignaviam et otium iuventutem corrumpit. Credite, quotquot hic adestis, Patres, non mihi, sed omnis aevi sapientibus viris, sed ipsis proavis vestris, antiquae severitatis et disciplinae hominibus, non aliam huius seculi infelicitatis, et bonorum virorum penuriae causam esse, quam perversam illam lenitatem et educationis mollitiem, qua, dum puerorum tergis et corporibus metuimus, secure men-

illud in scholam provincialem mutatum est a. 1543. (1. Nov.) FR.

tem corrumpi permittimus; dum stulta nos torquet sollicitudo, ne delicati nostri filioli assiduo labore studiorum taedium et fastidium capiant, facile illos patimur deliciis et voluptatum illecebris infici et immergi. An rusticum laus diligentiae consequetur, qui, ne seges, dum herbescenti viriditate messem uberrimam pollicetur, in flore laedatur, omni cura providet; nobis sine crimine indolem puerorum, quae, si paterna cura erigatur, summa quaeque promittit, negligere licebit? Non ita parentis Graevii nostri erat institutum, qui prudentissime, si qua difficultas tenerrimo puero esset exhaurienda, brevi hanc in consuetudinem abituram, iudicabat. Sed vix egebat ignei spiritus puer his calcaribus, qui sponte ad industriam inclinans, non contentus, praescripta a magistris pensa absolvisse, in seram noctem non iussus vigilabat, ut si ingenio acriori forte pauci condiscipulorum praeterirent *), ille omnes labore et diligentia superaret. Saepe senem suavissima illius temporis, quod in eo Gymnasio egit, recor-

*) Ed. Fabric. *pauci condiscipulorum illum praeterirent, ille* etc. FR.

datione delectatum, memorare memini, maximam noctis partem Homeri et Hesiodi lectioni se impendisse, tantamque inde Graecae linguae facultatem adeptum, ut sine molestia versus, ad istorum principum poëtarum exemplar, funderet. Hinc quoque consuetudinem illam lucubrandi, quam constantissime ad fatalem usque horam servavit, sibi natam dicebat; ita ut a Gymnasio demissus, ab eius moderatore hoc singulare diligentiae testimonium tulerit, illum, non modo diurni laboris descriptione feliciter et gnaviter functum, sed lucubrationum etiam fumos bibisse. Graecis igitur et Latinis literis imbutus, in optimis ingeniis florentissimam Lipsiensem Academiam migrabat, ubi duce Andrea Rivino, magni tunc nominis literatore, et cuius doctrinae egregia adhuc supersunt monumenta, ad interiora literarum sacra admittebatur. Utebatur etiam familiarissime splendidissimo illo Germaniae lumine, Thoma Reinesio, qui in vicino Lipsiae oppido Altenburgo in summa dignatione vivens, iuvenem, quoties ad illum invisebat, ad alta surgentem, singulari cura et amore fovebat. Sed prae reliquis

traditus erat disciplinae summi Philologi et ICti Ioannis Strauchii, matris suae consobrini, qui eo tempore Lipsiae historiarum et Latinae linguae scientiam profitebatur, sed postea nobilissimas Germaniae Academias iurisprudentiae docendae summa peritia illustravit. Sub hoc coniunctissimo praeceptore primum profectuum periculum fecit, et, eo praeside, dissertationem secundam, quam Strauchius ad elegantissimum Taciti de moribus Germanorum libellum elaboraverat, contra diversa sentientes propugnavit. Quae dissertationes postea Institutionibus Iuris Publici, ab eodem Strauchio conscriptis, subiectae, adhuc hodie Graevii nostri nomine commendantur. Quamvis autem naturali mentis propensione ad sola humanitatis studia ferretur, parentis tamen monitu, et auctoritate Strauchii permotus, coepit iurisprudentiae operari. Sed cum animadverteret, ingratam illam et indotatam esse disciplinam, quae sine literarum elegantiorum ornamento, neminem, nisi viles quasdam animas, quae ex forensi et venali opera quaestum petunt, attrahere posset, fastidium eius cito, meliori gustatione

iam initiatus, contrahebat. Itaque divinitus paene ipsi accidit, ut pater, qui per negotia domo abesse non poterat, eum in Frisiam orientalem mittere decerneret, ut a Comite istius tractus, qui, ut Principibus fere mos est, lentum erat nomen, non exiguam pecuniae, a longo tempore debitae, summam exigeret. Nihil magis prima specie, ad abducendum a studiis videri accommodatum poterat, quam molestis negotiis implicare iuvenem; sed haec ipsa profectio caussa futurae magnitudinis, quam inter doctos postea consecutus est, fuit. Nam fideliter expedito nomine, capit impetum vicinam Bataviam, quae Viris, quorum nunc exempla perierunt, summis, Salmasio, Heinsio et Gronovio fulgebat, videndi. Daventriam, quam primam nostri iuris urbem attingebat, transiens, nihilque aliud cogitans, quam post diei unius aut alterius moram, recta Lugdunum contendere, salutatum accedebat I. F. Gronovium, cuius humanitate et praeclara simul eruditione inter sermones primos captus, mutare consilium, et eo doctore perversam studiorum rationem, quam in patria inierat, emendare constituit.

Adflaverat enim pestilens quoddam sidus omnes fere Germaniae Academias, quarum Professores, a nativo Latini sermonis nitore desciscentes, et deserto optimo bene loquendi magistro Cicerone, ad ineptam quamdam scriptionem se applicaverant. Eius corruptelae auctor fuerat Iustus Lipsius; qui, cum in reliquis eruditionis partibus facile omnes sui temporis doctos praeteriret, sola stili et dictionis elegantia Manutio, Mureto et paucis quibusdam aliis se inferiorem esse dolebat. Quare, ne cum aliis in ordinem cogeretur, relicto illis Cicerone, eos imitari ex Romanis scriptoribus coepit, quos alii in exemplum proponendos negabant. Sed quod in eo viro omnibus doctrinae copiis instructo, felix quaedam temeritas, et quam ipse aliis ne tentandam quidem monebat, videri poterat, in servo pecore imitatoribus eius *), qui literis inanes, sub onere labebantur, summa erat ineptia, et cum ignorantia coniuncta fa-

*) Horat. Epist. I, 19, 19.

O imitatores, servum pecus, ut mihi saepe
Bilem, saepe iocum vestri movere tumultus!

FR.

tuitas. Ex Ennii sterquilinio, ex Pacuvii sordibus antiqua et obsoleta verba eruebantur; Plauti plebeiae, et quae summam modo caveam olim delectaverant, voces et locutiones gravissimis etiam rebus accommodabantur. Argutis sententiis, et ridiculis acuminibus enervabatur omnis vis orationis; et affectata periodorum brevitate ieiuna per se et macra dictio, ut Absyrti*) corpus, lacerabatur. Abstulerant in partes suas incautum Graevium Lipsianae simiae, qui, antequam pectus plenissimo doctrinae et omnis antiquitatis fonte inundasset, laudem ex stili exercitatione, perverso ordine, ante omnia captandam sibi cum reliquis persuaserat. Periculum erat, nisi quis divinitus ad Gronovium accessisset, ne fons ille, qui limpidissima puritate Ciceronis flumen aliquando aequaret, limo et sordibus obductus exaruisset, vel in tenuissimas venas derivatus evanuisset. Gronovius ex sermoni-

*) Aeetae regis Colchorum hic erat filius, quem soror Medea cum Iasone aufugiens rigido perforavit ense, cuiusque divulsa membra per agros dissipavit, ut insequentem se patrem in colligendis exstincti artubus tardaret. Sed haec cuique satis nota sunt. FR.

bus privatis morbo iuvenis animadverso, et simul vim ingenii, ad meliora nati, perspiciens, rogabat eum, an etiam Latine loqui aut scribere calleret? Iniuriam sibi fieri credens iuvenis, qui non modo humanioris disciplinae curriculum absolverat, sed et ad legum studium accesserat, sibi eius linguae satis idoneam facultatem esse, respondit. Ergone, inquit Gronovius, Ciceronis epistolas iam tibi planas et intellectas credis? Magis miratus Graevius, sibi controversiam de facillimi, ut iactari a suis audiverat, et in quo legendo numquam haeserat, scriptoris intellectu moveri, periculum faceret, respondet. Adlato volumine, primam statim inter epistolas, quae vulgo familiares appellantur, praelegere iubetur, cuius verba Latina cum totidem Germanicis redderet, se non falsum iudicio, Graeviumque Grammatice, non Latine scire animadvertebat Gronovius. Coepit itaque pressius de vera vocabulorum vi et efficacia, quae ex plena historiae et rituum Romanorum cognitione dependet, cum eo agere, et ea stupenti enarrare, quae ille numquam audiverat: adeo, ut vi veritatis victus, et ad doctissimi

viri quadam obmutescens, nihil se scire fateretur, sed telam, quam absolvisse iam ante crediderat, hoc magistro se retexere paratum, ostenderet *). Discite ab illustri hoc exemplo, Iuvenes, quam male de vobis mereantur iuventutis corruptores, qui, cum ipsi veram ad eruditionem viam ignorent, inutili labore adolescentiam vestram exercent, et irreparabilis iacturae, et primae aetatis male collocatae vobis auctores existunt. Abiecto Graevius consilio in Hollandiam pergendi, et dimisso sterili legum studio, Daventriae manere constituit. Neque istius morae unquam postea poenituit, sed Gronovium deinde, ut alterum parentem, et unicum eruditionis, quam deinde est consecutus, auctorem semper est veneratus. Emendata studiorum ratione post biennium fere in Hollandiam abiit, et quia sublatis interea temporis doctorum principibus, Salmasio et Heinsio, nihil Lugdunum quo se iactaret, haberet, et omnes post Gronovium magistri sorderent, Amstelaedamum contendit, quam urbem, non modo totius orbis commeatu adfluentem, sed locupletissimam

*) Ed. Fabric. *paratum esse, ostenderet*. FR.

eruditionis officinam, et omni apparatu studiorum abundantem, praecipue adeundam *) iudicabat. Invitabant praecipue duo maximae famae viri, qui eam urbem ut sidera quaedam illustrabant, Alexander Morus, mellitae eloquentiae suavitate omnes suae aetatis superans, et David Blondellus, qui et sacrae et profanae historiae viva quaedam erat bibliotheca. His amicis et doctoribus, non ingens modo humaniori doctrinae incrementum accessit, sed coelestis scientiae, sine cuius dote nostrae literae plane frigerent, fontibus pectus irrigandum **), et civilium rerum annales sacris et ecclesiasticis scriptoribus esse sociandos, docebatur. Neque ex nuda divinarum literarum cognitione uberioris eruditionis famam satis magnum huius laboris pretium existimabat, nisi ad earum sanctimoniam mentem quoque emendaret. A natalibus et paterna institutione opinionibus, quibus Lutherus, magnanimus ille Heros, et tyrannidis Romanae primus concussor et eversor, Ger-

*) Ed. Fabric. *abundantem, peregrinis praecipue adeundam.* FR.

**) Ed. Fabric. *pectus suum irrigare.* FR.

maniam impleverat, adhaeserat quidem, sed quotiescumque secum in consilium secesserat, duriores et non satis exactas de sacrae Eucharistiae usu, et de divinis decretis, quae nos praecipue a Lutheranis disiungunt, opiniones concoquere non potuerat. In reliquis capitibus, quae levioris sunt momenti, solam de verbis pugnam superesse, quae facile tolli posset, si pervicax theologorum natio aliquid paci et concordiae vellet dare, iudicaverat. Itaque cum non multum inter utramque sectam interesse, nostram tamen magis pristinae simplicitati, a Christo et Apostolis institutae, respondere videret, Blondelli praecipue gravitate et auctoritate adductus, puriori religioni nomen dedit *). Nullus hic calumniae locus obtrectatoribus relinquitur, quasi ideo paternam disciplinam eiuraverit, ut facilius aliquem locum in nostris regionibus obtineret. Nihil hoc tempore Graevius venabatur, cuius omnis mens et cogitatio in studiorum profectu et incremento erat defixa. Cum in hac bonae mentis palaestra fere biennium

*) Cf. Casp. Burmanni Traiect. Erudit. pag. 114. FR.

egisset, fama eius eruditionis coepit late dispergi, et ad Athenaei Duisburgensis Curatores delata fuit. Decesserat ex ea Academia vir eruditissimus, et qui, si longior ipsi vita contigisset *), cum principibus in his studiis comparandus fuisset, Ioannes Schultingius. Commendatur a Curatoribus Serenissimo Electori Brandenburgico Graevius, cui probata eius eruditione, non contemnendis conditionibus invitatus, anno 1656. Duisburgum res suas transfert. Ex secessu et otio in lucem protractus, non modo opinionem, quam excitaverat, non fefellit, sed ita superavit, ut ad eius famam maiori celebritate, quam antea, Duisburgensis schola frequentaretur. Fixis laribus et domicilio constituto, nihil homini, literis operanti, molestius et operosius, quam culinam et rem familiarem curare, accidere animadvertebat: quare ad uxorem, quae domum in partem iuvaret, animo adiecto, ex vicina Dusseldorpio, elegit virginem, et generis honestate, et formae praestantia insignem, Ioannam Odiliam de Camp, quae et obsequio erga maritum, et sanctitate morum,

*) Ed. Fabric. *vita fuisset.* FR.

absolutum matronae exemplar expressit, et cum qua per XLVI annos sine ulla rixa et simultate vixit; quae rara foecunditate octies et decies Graevium quidem parentem fecit, sed ex tanto liberorum populo *) non nisi quatuor filias sibi et marito superstites reliquit: quarum tres innuptae, gravissimam orbitatis calamitatem sentiunt, quarta felicibus avibus iuncta Viro Amplissimo Matthiae de Roy, Electoris Palatini Consiliario, et militarium caussarum iudici primario, una cum marito, suavissimos parentes sibi ereptos deplorat. Huic matrifamilias diligentissimae delegata rei domesticae cura, totum se studiis tradidit, et diem, noctis parte producendo, tantas eruditionis copias contrahebat, ut iam eius nomen clarum per has terras haberi inciperet. Anno 1658. cum Academiae Leidensis Curatores, languentibus a Salmasii et Heinsii fato Musis, antiquum decus restituere vellent, Gronovium Daventria arcessunt. Qui, ne Daventrienses iacturam illam sentirent, et in se omnem Gymnasii sui gloriam amitterent, sua manu formatum Graevium illis di-

*) Cf. Iustin. Hist. X, 1, 6. ibique interpp. FR.

ligentissime commendat. Cuius iudicium secuti eius urbis magistratus, ad decessoris et magistri sui vices excipiendas Graevium sollicitant. Indignabantur quidem Duisburgenses, ex Academia in inferioris ordinis Gymnasium Graevium evocari. Ipse Elector amplificatione commodorum, et egregiis pollicitis, eum retinere studebat. Sed propendebat in liberae reipublicae suavitatem Graevii animus. Quamvis enim ingenio et moribus tam politis et aptis esset, ut si quis alius dexterrime Regibus et Principibus posset uti, et semper Aristippi sententiam prae mordacis Cynici *) ferocitate probaret, sciebat tamen, nihil lubrica aula esse insidiosius et fallacius, nusquam tranquillius et honoratius otium esse literatis, quam in libera civitate, ubi nemo, si modo legibus aequissimis obtemperat, alteri se in turpe servitium addicit, ubi ipsis magistratibus, qui sola dignitate reliquis superiores, iure vero omnibus civibus aequales sunt, nihil praeter reverentiam debetur; ubi unusquisque, quocumque vitae genere trahi-

*) Vid. Horat. Epist. I, 17. cum adnotatt. Wieland. FR.

tur, communis felicitatis parte fruitur: cum summum, quod votis apud Principes operae et laboris pretium peti possit, sit sub amplissimae dignitatis specie, magnificus et splendidus famulatus.

Daventriam sedibus translatis, toto fere triennio, non modo diligentia, qua iuventutis studia iuvabat, et eruditionis laude, qua Lycei famam augebat, proceribus satisfecit, sed suavitate vitae, et morum admiranda comitate, ita omnium animos et voluntates sibi conciliavit, ut eodem loco haberetur, ac si inter eos natus fuisset: imo, tam gratam sui memoriam reliquerit, ut et hodie, post tantum temporis intervallum aliqui supersint, qui sine veneratione Graevianum nomen nec audiant, nec appellent. Sed angustior erat Daventriae scena, quam ut in ea tam amplae eruditionis divitiae explicari possent; aperiendum erat illustrius theatrum, in*) quo proponeretur toti orbi tam singularis doctrinae apparatus. Ultraiectina Academia, recens quidem nata, sed quae inter finitimos iam magnam famam erat adepta, praecipuo

*) Ed. Fabric. omittit praepositionem. FR.

ornamento suo Antonio Aemilio erat orbata. Tanta fuerat in eo Viro eruditionis copia, tanta sermonis Latini suavitas et nitor, tanta facundia, ut gravissima successori persona imponi videretur, si eam digne tueri vellet. Solus erat Graevius, qui iam principum vestigia premere adsuotus, qui Schultingio et Gronovio, at quantis Viris! iam suffectus, illorum desiderium minuerat, cui Patres nostrae urbis Palladium suum credendum existimabant. Omnem movebant lapidem Daventrienses, ne tam insigne Lycei sui decus amitterent, commodis, quae ipsas Ultraiectinorum conditiones vincebant, eum aucturos, et quod vehementissimum eorum in Graevium studium declarat, magistratus urbani dignitate, hominem peregrinae originis, ornaturos se ostendunt. Sed neque pecuniae avidum, neque ambitione ita occaecatum, ut a studiis aliquid temporis sibi per curas publicas subduci pateretur, permovere ullo modo poterant. Addicit suam, exiguo sane pro eius eruditione et fama stipendio, operam Ultraiectinis, et solis promissis de incremento mercedis, ubi angustiae aerarii, quas caussabantur nostri, laxatae forent, contentus,

in hanc urbem a. 1661. commigrat. Digna iam in sede collocata erat Graevii virtus et doctrina, non iam ex vicinis pagis et urbeculis, sed ex toto Belgio, imo universa, qua patet, Europa, ad eum concurrebatur; iam domus eius, ut instructissima artium officina et mercatus, immensa iuvenum turba celebrabatur. Qui eius disciplinae traditi, non inutilibus et putidis doctrinis corrumpebantur, non perniciosissimorum compendiorum angustiis circumscribebantur, et molli via ad ignaviam et ignorantiam ducebantur: non canoras ineptorum Grammaticorum nugas, aut nudos verborum apices captare discebant, sed per omnis aevi monumenta, per amplissima literarum latifundia fidelissime circumducti ea hauriebant, quibus, ubi viri facti essent, suam dignitatem amplificarent, patriae et ecclesiae utilissimam operam exhiberent. Unicum ex literis fructum esse bene sapere, et civilis praesertim disciplinae cognitionem docebat; quam non ex tortuosis quaestiunculis, non barbaro sono tremendis definitionibus, non ex trivio narratiunculis, sed ex praeteritorum seculorum memoria et gravissimis exemplis arripiendam

monstrabat. Advertebant hoc sapientissimi Viri institutum nostrae Academiae Patres; quare, defuncto paullo post *) Berkringero, viro subtilis forte ingenii, sed qui semper in luto volutatus, unice conquisitis et fabricatis inauditarum vocum monstris excellebat, pannosam et horridam civilis prudentiae scientiam, Graevio, aucta etiam pro novo labore mercede, ut cultiori eam veste ornaret, committunt. Glande huc usque pasti adolescentes, mitioribus frugibus a Graevio nutriebantur, et ea, quae ad vitam sapienter instituendam, ad civitatem prudenter gubernandam faciunt, clare et perspicue percipere; et eadem ornate et diserte proferre ita discebant, ut ad quamvis postea dignitatem tuendam rite praepararentur. Neque hanc regiam artem, pueris paternas sordes olentibus, sed nobilitate sanguinis et fortunarum splendore illustribus adolescentibus praemonstrabat. Quis non huius civitatis gubernaculis a triginta fere, et quod excedit, annis admotus, se Graevii discipulum lubentissime fatetur? Quot non per universam Bataviam solertissimi civium rectores, ex

*) Ed. Fabric. *paullo postea Berckr.* FR.

sapientissimi Senis ludo, instructos ad habenas reipublicae prudenter flectendas prodiisse se gloriantur? Quis non vestrum, Auditores, non nostrae nobilitatis florem modo, sed iuventutis peregrinae Principes, regnorum et principatuum heredes ex universa Europa, ad Graevium, tamquam ad sapientiae oraculum, confluentes vidit? Nulla in Germania fere nobilioris prosapiae familia, nulla fere illustrior Baronum, Comitum, Principum, imo Regum domus, cuius non membra ab hoc artifice formata et expolita sunt. Decora et lumina gentium, Danicae, Saxonicae, Brandenburgicae, Hassicae, Anhaltinae, Nassaviae, Badensis, et quarum non! hodie populis salutaria apparent sidera, quod olim a Graevii, ut Achilles quondam a Chironis, ore pependerunt. Nonne ipse Gulielmus, Britanniae Rex incomparabilis *), qui iudicio suo illum elegerat, ut res suas eodem splendore et fama posteris traderet, qua ille eas spectante et stupente orbe gesserat, omnibus circumspectis, Grae-

*) Ed. Fabric. miram hanc praebet lectionem: *Nonne ipsum Guilielmum, Brit. Regem incomparabilem — laudavit.* FR.

virum unum dignum iudicavit, cui Principem Serenissimum Frisonem, unicam Nassaviae domus spem et incrementum, traderet; ut, quem ille bonorum heredem destinaverat, a Graevio virtutes et dotes, in Gulielmo conspiciendas, addisceret. Ite iam plebeii, et invidia et livore pallidi magistelli, et has literas, hanc humanitatis disciplinam verborum calumniis deformate, Regibus et Principibus amatam, populis salutarem artem notis maledictorum inurite. Venditate vos (neque enim invidemus,) cinnatis pueris, quos Chrysippeis *) nodis, et ineptis sophismatis constringitis, et quorum vim ingenii, si qua apparet, confuso cavillationum et argutiarum chao opprimitis et suffocatis. Ea erat Graevii, et eius disciplinae excellentia, ut si quis infeliciori nascendi sorte depressus, se ei traderet, omnem natalium humilitatem et sordes, nitore et elegantia literarum detergeret; si quis originis antiquitate commendaretur, ad maiorum gloriam ingentem sua virtute cumulum adiiceret. Quis iam vestrum, Auditores, non mirabitur tantae celebritatis et

*) De Chrysippo vide, si placet, Fabricii Bibl. Graec. Tom. III. pag. 546—549. ed. Harl. FR.

famae Viri possessionem tam diuturnam et perpetuam Ultraiectinis fuisse? Quis non aliarum Academiarum aemulationem, quis non Regum et Principum Attalicas conditiones *), tali Professore beatus, quotidie extimesceret? Et certe terruit saepe hic metus urbis nostrae Proceres, cum viderent et audirent, toties ambiri et tentari Graevium; sed vanum huic timorem nostro Senatui fecit elatus, et opum et honorum contemtor Graevii animus. Ad omnia studia, nullo blandimento, nullis illecebris, ut patriae in morem dilectam sibi Ultraiectum desereret, quam sua profectione omnem famam amissuram sciebat, poterat corrumpi. Non celebrata illa et singularis Amstelaedamensium magistratuum in eruditos liberalitas; non uberrimi aerarii, cuius angustiae numquam praetexi possunt, et ex quo stipendium, quale nulla in his terris civitas persolvere potest Professoribus suis, largissimum promittebatur, amplitudo; non si ipse mortalis esse desineret, viduae et desolatae familiae paratum in inclitae urbis proceribus praesidium; non summae libertatis, cuius eam urbem arcem esse dicere

*) Horat. Carm. I, 1, 11. ubi vid. interpp. FR.

consueverat; fructus, qui incolis praebetur, animum eius labefactabant: non Academiae Lugdunensis splendor, et prae nostra celebritas, non maioris emolumenti spes, quae ostendebatur; non ipsa Venetae reipublicae maiestas et antiquitatis gloria, quae raro exemplo tam longe, in doctorum virorum penes se penuria, dignum Octavio Ferrario successorem quaerebat, eum, ut fidem nostris datam solveret, adducebat: non Regis Borussorum, qui, ut omnibus eruditis prolixum favorem praestitit, Graevium tamen singulari amore et benevolentia amplectebatur, liberalissima et saepius iterata invitatio; non Palatini Electoris, qui in instauranda antiquissima Heidelbergensi Academia eius consilio uti, et renascentis scholae initia eius nomine et auspiciis consecrari optabat, sine exemplo liberalitas, a sententia sua dimovebat: imo, quod magis miremini, non ipsa, quae a. 1672. urbem nostram adflixit calamitas, non imminuti postea stipendii iniuria, quam exinaniti aerarii paupertas excusabat, a constantissimo amore, et perpetua erga hanc urbem propensione deduxit: quam per quadraginta et duos fere an-

nos, tamquam Sol, qui minora lumina obscurat, unus illustravit; cuius nomen et famam, ante vix finitimis cognitam, ultra Europae fines, imo ad mundi usque terminos produxit. Quam amplus hic mihi explicandae orationis campus aperiri posset, quam sine ullo indignationis et offensionis metu, Tibi, Traiectina Civitas, tam grati et civis et Professoris memoriam commendare possem. Sed supervacuam hanc orationis partem facit communis ille dolor et miseratio, quam nuper in repentino eius funere omnes uno ore testati estis; facit omnium, qui umquam literas attigistis, erga communem praeceptorem veneratio: vivet per totum terrarum orbem, donec literis honos constabit, Graevianum nomen, dum huic urbi incolae et cives supererunt, merita et virtus Graevii a seris nepotibus celebrabuntur. Utinam ipso Graevio diutius modo nobis frui licuisset, et Vir non communis sortis et ingenii, ordinem naturae aliquantum vincere potuisset! Quam non libenter, quam invito ad ultima huius Viri tempora oratio mea procedit, quam vellem, si id per vos liceret, hic dicendi finem facere, et non iterum tristissima

funeris imagine confundi. Sed non illustrium virorum natales, et vitam modo posteris in exemplum proponendam, sed ultimum illius actum praecipue spectandum esse, recte sapientes censuerunt. Quo tamen melius noscatis, qualem virum amiseritis, et quanta sit huius vulneris atrocitas, antequam ad finem Graevii accedam, prius per species, insigniores eius animi dotes enarrare conabor, quae cum tam benigna sit materia, ut vel longissimae orationi sit sufFectura, multa silentio praeterire cogar, ne commentarium, non orationem conscripsisse videar.

De eruditione, quae prima quidem, et summa eius dos fuit, sed prae reliquarum virtutum copia, ultima inter eius laudes merito haberi potest, ideo parcius dicendum, quia omnibus nota et testata, omne praeconium respuit. Nihil in Graecarum civitatum, nihil in Romanae reipublicae, nihil in antiquorum regnorum monumentis et annalibus erat, quod non perlustraverat; nihil tam in tenebris absconditum, quod non industria et labore investigaverat. Nullus fere in utraque lingua scriptor hodie superest, quem non diligentissime

legerat, cuius non loca obscuriora aliqua luce perfudit, cuius non ulcera medica manu feliciter sanavit. Neque angustis intra unius generis scriptores terminis diligentiam suam circumscribebat. Otium et subsecivas horas, maxime sacrorum voluminum lectioni impendebat, primae ecclesiae conditorum, et Patrum scripta studiosissime evolvebat: quia ex iis non fucatam sanctitatem, nec erroribus, qui postea castissimam religionem contaminarunt, obfuscatam pietatem petendam semper existimabat. Longum foret enumerare, quos in utroque sermone auctores, notis et animadversionibus doctissimis illustratos emiserit; nullus vacabat annus, quo non aliquem reipublicae literarum ingenii foetum donaret: neque, quae hodie est paedagogorum impudentia, millies ante dicta, et in triviis decantata recoquebat, aut novis appositis ansis refingebat. Non ex lexicis et ingenti illa thesaurorum *) copia, quae orbem literatum inundant, sine ulla industria, pannos consuebat; sed Herculeo labore veterum codicum et editionum comparatione instituta, pulcherrimis auctoribus insiden-

*) Ed. Fabric. *Illa Dictionariorum copia.* FR.

tas: labicis uti licebat. Unicum Ciceronem, si nihil aliud egisset, impensus labor, immortalem ipsi gloriam parare potuisset, in quo nihil desideratur, nisi quod universo isti exhauriendo vita non sufficerit. Quamvis autem in singulis humanioris disciplinae partibus ita excelluerit, ut aliis, qui se totos uni portioni per omnem vitam dederunt, par esse posset, nitore tamen et elegantia dicendi, omnes, quotquot a renatis literis vixerunt, superavit. Vis illa apte, proprie, pure et perspicue dicendi, tam singularis in eo erat, ut si aureo Augusti aevo natus fuisset, non aliter loqui, aut scribere potuisset. Non doctior desiderabat dictionis maiestatem et ornatum, non rudior obscuritate sermonis a legendo deterrebatur. Poterat sine tumore et adfectato splendore, divinum et sublime scribendi genus effingere; poterat sine sordibus, verborum vilitate et barbarie ad mediocritatem et iocos descendere; sed utraque dictio aeque nitebat, aeque animos et aures mulcebat. Non existimabat illud esse docte scribere, quod vix millesimus inter eruditos posset consequi. Primam stili dotem, perspicuitatem esse, et discipulis quotidie inculcabat, et exemplo suo praeibat. Ora-

tiones, quas ex hoc loco saepissime habuit, quovis melle dulciores; efficacia sententiarum, verborum veneribus, et omnibus gratiis commendatae, fluebant. Ad Principes et Reges, ut saepe solebat, si epistolas daret, documento erat, non tam horridas, ut vulgo habentur, esse Latinas literas, ut a Principum liminibus arceri debeant, sed tanto lenocinio eloquentiae, tam grato verborum honore, tam eleganti obsequii testificatione ornabat, ut frustra Gallicae urbanitatis magistri, quibus una per totam vitam ars et studium est, verbis amicos suos explere, unquam sperent se Graevium adsecuturos esse. Quid praeterea ad eruditos et amicos, quos fama ipsi per totum orbem conciliaverat, literarum dederit, quae ut gemmae et thesauri in scriniis et larariis servantur: quantum molestiae et laboris, quo sibi totos saepe dies perire querebatur, iis exarandis exhauserit *): quanti ipsi hoc commercium literarium steterit, ut quintam fere stipendii partem quotannis pro vectura mercedis absumeret; si singulatim recensere vellem, pa-

*) Ed. Fabric. omittit haec omnia: *quantum molestiae — exhauserit.* FR.

tientia vestra abuterer. Quotidie ex Anglia, Gallia, Italia, Germania et reliquis orbis partibus ad eum referebant de doctrinae capitibus eruditi, quibus promte et humaniter respondebat. Sed de eruditione, quae in clarissima luce posita est, ut parcior sim, faciunt rariores, in eruditis certe, eius virtutes, modestia et humanitas. Non turgebat paedagogico fastu, non inflatus opinione doctrinae, reliquos prae se contemnebat. Nolebat, quamvis in literis principatus omnium consensu ipsi deferretur, sibi ab aliis assurgi. In circulis, in conviviis, apud imperitiores, se non venditabat, sed communi et publico sermoni se accommodans, inter eruditos urbanissimus, inter urbanos eruditissimus habebatur. Saepe indignari eum vidi, cum semidoctos aliquos, inter aliud vitae genus profitentes, imo inter muliebres cathedras intempestivum de sacris musicis sermonem iniicientes audiret. Graevius omnium horarum homo, seriis iocisque accommodatus, qualem Asinium Pollionem *) commendat nobis antiquitas, omnes poterat

*) De eo legenda Thorbeckii commentatio, Lugd. Batav. 1820. 8. ed. FR.

perferre et pati, omnium studiis obsecundare, nemini vero adversari. Si inter doctos de literis sermo esset, ut de tripode sententiam ferebat. Si inter magistratus, aut qui aliquam reipublicae partem attingunt, versaretur, tam prudenter de civitatium *) et regnorum conditione respondebat, ut videri posset omnem vitam in magistratu egisse. Imo, ipsos milites, qui vulnera sua et praelia narrare gestiunt, et ferocientes vulgo creduntur, quam ut illis cum mitibus et castis Musarum sacerdotibus commercium intercedere possit, venustate loquendi et humanitate, ita emolliebat, ut primorum ordinum ductores suavissimi Senis sermones arrectis auribus haurirent. Si incideret in homines alicuius artis et scientiae peritiores, tam cupide et patienter se illis formandum et erudiendum praebebat, quam ipse alios molliter docere consueverat. Sed quod fidem superat, Auditores, si quis stolidior, de studiis, quae vix degustaverat, se praesente, sermonem iniiceret, et ineptia sua risum et mordaces aliorum sales provocaret, Graevius misello huic subveniebat, et, ne in ruborem daretur, ipsam imperitiae

*) Ed. Fabric. *civitatum*. FR.

suspicionem molliori interpretatione minuebat. Ventosos etiam literariae scientiae iactatores, quorum hodie insignis est copia, non statim refutabat, sed, ne per hanc labem reliqua ingenii vis corrumperetur, laudibus admixtis, gravi et amica exhortatione a mala mente abducebat. Denique, tanta comitate, tam singulari mansuetudine animi excellebat, ut neminem umquam praesentem dicto quodam tetigerit, de absentibus, qui opinione virtutis vel eruditionis clari habebantur, semper reverenter et cum honore meminerit, de aliis, qui vix in aliqua existimatione erant, taceret potius, quam cum contemtu loqueretur. O inimitabilem morum suavitatem, o omnibus praeconiis et monumentis celebrandam festivitatem! Renatus esse et reviviscere in Graevio, admirandus ille Socratis genius videbatur, quem divino suo ingenio, et illustribus eloquentiae coloribus olim Plato tam egregie depinxit, qui omnium, qui ei se dedebant, animos, inexpugnabili suada et orationis illecebra capiebat et possidebat. Quid vobis iam memorem candidissimum illud pectus, et mentem a vultu et verbis nihil dissentientem. Procul a patriciis ar-

tibus, non ferre poterat, qui per omnem vitam histrioniam agunt, qui semper sub blanditiarum larva animum insidiosum tegunt; pessimam illam esse faciem, quae interiores animi motus dissimularet, praedicabat. Non fucosa et fallaci amicitia, sed consensu et societate voluntatis, non erudito simulationis artificio, sed apertissima et ingenua simplicitate, omnium animos expugnabat. Morum antiquitate alliciebat alienas, retinebat partas, placabat dubias, mitigabat praeter meritum in se excitatas hominum voluntates. Dissidentibus communibus amicis, non in partes transibat, sed omnem operam, ut in concordiam et gratiam redirent, adhibebat: inter ipsos collegas, et alios eruditos, qui vel de rebus sacris, vel de humanis disciplinis, ut fieri solet, diversa saepe sentiunt, semper medius, ab utraque parte propter moderationis et concordiae studium amabatur. Potentioribus familiarissimus, nulli factioni, quae saepe contrariis erga reipublicae administrationem studiis eos dividere solet, se ita addicebat, ut non omnibus aeque amice uteretur. Non explorabat unius consilia et machinationes, ut alteri enunciaret, sed se

praesente dicta vel facta tam fideliter silebat, ut numquam curiosus aliquid potuerit expiscari. Imo, quod miraculo simile videtur, tanta eius erat prudentiae et fidei opinio, ut utriusque partis homines, eius ope et consilio uterentur. Hinc tanta et nulla ambitione parata Graevii potentia, ut quidvis apud magistratus posset. Sed pudor et tenerrima eius frons obstabat, ut nihil sibi, nihil familiae suae, quod tamen ipsi facillimum fuisset, emendicaret; sed favore et gratia procerum uteretur, ut aliorum necessitatibus subveniret, ut miseris et peregrinis patrocinium suum commodaret. Frequens ad limina potentiorum erat, ut Academiae splendor et decus amplificaretur, ut commendaret viros eruditione singulari praestantes, qui hanc cathedram ex dignitate studiorum ornarent. Ut Principum et nobilium filii, qui amoenitate huius urbis et incolarum humanitate adducti, huc concesserant, magistratuum cura possent retineri; ut suppeterent semper campi doctores, ut arma tractandi, saltandi, equitandi magistri, qui exercitationibus liberalibus iuventutis robur expolirent, quotidie suppli-

cabat. Non melius aerario publico rationes constare docebat, quam si liberali stipendio conducerentur artifices, qui iis studiis, quae scire aequum est liberum et generosum adolescentem, famam sunt alibi consecuti. Officinam esse, aiebat, Academiam, quae nullos emtores allicit, nisi omnis generis mercibus et copia sit instructa. Ex lucro et compendio, quod ex nobiliorum iuvenum sumtu cives faciunt, nummos ex eorum arcis ad aerarium, ut fluminum aquae in Oceanum solent, redire ostendebat. Maiorem certe publicorum vectigalium, quam privati quaestus ipsi curam fuisse, nemo vestrum, qui modo fando de eo audivit, diffitebitur. Quo enim libentius hic agerent ignoti et exteri, patebat unicuique, ut eius frons et animus, ita domus et mensa. Hospitio dulcissimo peregrinos; conviviis, non quidem nepotinis et damnosis, sed tamen apparatis, notos et familiares accipiebat, quae festivissimis sermonibus, sed Socratica gravitate temperatis, condiebat. Quot non fractas diei partes, honesti temporis fures ipsi subduxerunt, quot non vesperas inter dulcissimas et eruditas simul fabulas, in-

ter sobria pocula, et inter divinae istius herbae, quam singulari Dei munere maioribus nostris America ostendit, Tabaci, quovis ture et myrrha gratiores fumos, se condidisse apud suavissimum Senem, grate eius amici recordantur? Sed audire mihi iam videor quosdam tetricos et rugosae frontis Catones, qui hoc nomine minime laudandum Graevium contendent, qui omnes, qui sapientiam profitentur, a dulcedine convictuum et sodalitatum*) exclusos esse volent. Iam murmurare sentio se punientes illos lucifugas, qui semper genium suum iratum habent, et qui Regis Persarum fastigium aequaturos se credunt, si raro se conspiciendos praebent, sed domi semper, ut claudi sutores, sedent. Digni, mehercule, cum odio isto homines, qui in solas insulas deportentur, vel ab insanis istis solitariis, qui in vastissimis silvis inter feras, quam in celebribus urbibus inter homines versari malunt, in contubernium adsciscantur. Hominem se homini, amicum amico, convivam familiaribus, congerronem dulcissimum se urbanis praebebat Graevius. Nihil magis

*) Ed. Fabric. *societatum*. FR.

ad deponendum studiorum taedium, nihil magis ad domandam illam, quae eruditos merito apud alios in odium adducit, austeritatem et superbiam: nihil ad vires lucubrationibus et labore collapsas reficiendas, magis conducere credebat, quam liberaliter aliquando frontem diffundere, neque modica Bacchi munera *) contemnere. Neque tamen, ut multis alienae vitae reprehensoribus mos est, qui ita inter amicos aperte et sine simulatione vivebat, solus domi sibi delicias faciebat. Privata vita, quae optime alicuius mores profert, erat sobrietatis et mediocritatis tam admirandae, ut vel sexcentis Curiis et Fabriciis ruborem potuisset incutere. Cibum semel de die modo, ita a puero adsuetus, capiebat, et nisi gravior quidam **) nec facilis ad concoquendum stomacho infirmitatem minaretur, prandebat sine vino, cuius suavitas numquam tanta fuit visa Graevio, ut solus illud biberet; sed inter amicos, ne continentiam nimiam affectando ine-

*) Horat. Carm. I, 18, 7. FR.

**) Ed Fabric. *gravior quidam cibus, nec facilis.* FR.

ptus videretur; non fastidiose recusabat. Non minus alacris a mensa ad Museum redire, quam mane a lecto, somno recreatus, solebat. Sed facile Virum, qui, ut amaretur ab omnibus, omnes amabat, omnium benevolentia dignum iudicabitis, si, qua ratione domi cum suis vixerit, noveritis. Verissime enim Chaeronensis philosophus eos omnium amicitia indignos pronunciavit, qui neque cum uxore, neque cum liberis, neque cum familia concorditer aevum agere possunt *). Disciplina, qua domesticos continebat, non erat horrida, sed humanitatis et comitatis magistra. Maritus erga uxorem, cuius amor et consuetudo ipsum perpetuo vinculo tenebat, et de qua nihil doluit umquam, nisi mortem, optimus et benignissimus. Liberos, Micioni Terentiano, quam truculento et agresti Demeae **) similior, liberalitate et pudore potius, quam metu retinebat; qui vicissim sponte et non coacti officium et obsequium ipsi praestabant, ita ut eius domus concordiae et mutuae pie-

*) Quo loco hoc dixerit Plutarchus, mihi quidem reperire non contigit. FR.

**) Vide Adelph. FR.

tatis sacrarium et templum merito haberetur. Omnium autem virtutum fundamentum, in Deum pietatem, et venerationem summi Numinis, non modo recte de rebus divinis sentiendo, sed probitate, innocentissima vita, continentia, et integritate morum exprimebat. Non contentus publicas conciones et cerimonias obire, sacro codici, et scriptoribus, qui res Christianas literis consignarunt, diligentissime evolvendis, et precibus ad Deum fundendis, Christiani consummati numeros implebat.

Utinam, Auditores, diutius mihi vox, et vires, et vobis patientia sufficeret, si longius proveherer, et omnia, quae de incomparabili hoc Viro dici possent, enumerarem. Sed praetermittere plurima, quae non admirationem modo, sed stuporem mererentur, temporis ratio iubet: et ipsa virtutum turba, quae graviorem iacturae recordationem facit, me ab ulteriori enumeratione revocat. Nihil iam nobis ex tanto Viro, nisi laudabile, et ad imitandum semper propositum exemplum superest. Praeter nomen et famam, quae ipsa secula transibunt, omnia cum eius corpore exstincta et eversa iacent. Recrudescit do-

lor et acerbitas, ubi Graevium, qui de fortuna, de tempore, imo de ipsa morte triumphavit, morte prostratum video. Usus fuerat per omnem vitam, quae certissimum sobrie et caste actae vitae est argumentum, valetudine sine exemplo prosperrima, numquam infirmitate corporis, numquam capitis aut aliorum membrorum doloribus excruciatus fuerat, numquam febri aut graviori morbo decubuerat. Stomachi imbecillitate, qua omnes fere literarum cupidi infestantur, numquam laboravit. Semel modo ante aliquot annos calculi, sedentariorum hominum tyranni, vim, sed brevem senserat. Non videbatur, in robustissimum et longa continentia firmamatum corpus aliquid iuris coeli intemperies habere: non videbatur vis illa nervorum, nisi solo senectutis vitio, resolvi posse: imo, si laboribus continuis et pertinaci lucubrandi consuetudini temperare potuisset, ultra communem hominibus positam metam dies producturus videbatur. Sed dicta ab Imperatore summo dies, qua ab *) statione ad placi-

*) Ed. Fabric. *qua a stat.* Cf. quae dixi in Herzog. commentar. ad Caes. B. G. III, 9. pag. 166. FR.

dam quietem transiret, appropinquabat; quae, ne imprudentem opprimeret, praevia admonitione deficientem Senem, paterna Dei benignitas ad ultimum casum praeparabat. Duobus fere ante obitum mensibus subita capitis vertigine, quae a medicorum filiis maioris mali praenuncia censetur, corripiebatur; quae et *) ingressum firmiorem labefactabat, et oculis, et cerebro nebulas aliquando et caliginem offundebat. Accedebat, tanquam cumulus, carissimae uxoris, cum qua tot annos coniunctissime vixerat, post longissimi morbi moras, tristissimum funus. Ex praecepto medicorum studiis et laboribus, quantum poterat, abstinebat, et amici omnem dabant operam, ut suavitate colloquiorum animum eius exhilararent. Die XI. Ianuarii, cum somno, qui ab aliquo tempore se illi non satis praebuerat, largiori recreatus, surrexisset, et matutinas aliquot horas in instituendis Serenissimo Principe Nassaviae Frisone, et Illustrissimis Comitibus Isenburgicis, (quae eius erat in obeundo munere diligentia,) sine molestia collocasset, ad meridiem, ut

*) Abest *et* ab ed. Fabric. : FR.

cum communibus aliquot amicis apud me pranderet, domo egreditur. In via, aedes Cl. Pontani, collegae honoratissimi, praeteriens, ab eius uxore, quae forte in vestibulo versabatur, ut intraret, humanissime invitatur. Accurrens, ut gratissimum sibi amicum, cum quo XXIV annis sanctissime amicitiam coluerat, salutaret collega, solito maiorem maxillae sinisterioris tumorem, et sonum vocis perturbatiorem animadvertit. Cui interroganti, satisne salvus? nihil se incommodi sentire, respondit. Sed in proximum atrio cubiculum deductus, vix limen liberaverat, quin vertigines sibi redire dicens, in primum, quod ad manum erat, sedile collaberetur. Conturbata ad inopinum casum Cl. Pontani familia, medici arcessuntur; filiae, ut parenti laboranti adsistant, vocantur. Interim dum mens adhuc, et vox constabat, de divina voluntate, et fragilitatis humanae periculo eum admonere coepit amicus, cui se praeparatum ad omnia pectus habere, et in sola Dei benignitate et clementia, Christi Servatoris nostri meritis, et apud Patrem deprecatione peccatorum veniam, et salutis aeternae fidu-

etiam collocare profitetur. Sed dum plura efferre conaretur, inter loquendum omni linguae usu et corporis sensibus destituitur. Adhibentur a medicis, quae conducere videbantur, remedia, sanguinis detractio, quae in apoplexia vehementiori unica medela est, et vel sanat, vel iugulat, instituitur, et alia curationum genera desperato morbo corrigendo tentantur. Sed cum neque membris motus, neque menti sua facultas rediret, et laberetur in gravem lethargum, omni spe salutis praecisa, circa quintam fere vespertinam horam exstinguitur. Quae fuerit totius urbis ad rumorem tam acerbae et repentinae mortis consternatio, quis amicorum circumstantium stupor, nec verbis exprimi, nec cogitatione perpendi potest. Sed praecipue durissimo etiam et a sensu humanitatis alienissimo lacrimas excutere potuisset tristissima filiarum facies, quibus ne valedicere quidem morienti patri, aut eius mandata excipere licuit; quae pro parente, integro, ut rebantur, corpore, quem ab osculis et amplexibus dimiserant, frigidum cadaver domum reportant. Quis non ad cogitationem tanti casus

et luctus obrigescit? Quis non orbatas unico suo in hac urbe praesidio puellas miseretur, quae ab affine carissimo, qui illis patris loco esse posset et vellet: ab unico patruo, amplissimae dignitatis et splendoris in Lipsiensi republica Viro: a consanguineis et cognatis longo terrarum intervallo disiunctae: unico suo fratre, qui in decus paternum et eruditionis famam crescens, immaturo funere illis raptus iam olim est, destitutae gravissimam iacturam, quam tam funesta mors illis intulit, deplorant. Unica desolatae familiae spes in vestra, Patres patriae et Academiae, benevolentia et favore superest. Si Graevius quid bene de vestro Athenaeo, si quid de vestra urbe et incolis, si quid de vestris liberis, imo si quid de vobis singulis meruerit, ne in squalore adflictissimam familiam iacere sinatis. Hoc pro tanti Viri heredibus, omnes, qui hoc magistro usi fuerunt; omnes, qui studiis aliquem honorem habent, eblandiuntur. Procul erit ab extraordinariae benevolentiae significatione invidia et livor; imo vero accendi se et animari ad Academiae vestrae decus propagandum, sentient, quot-

quot erudiendae iuventuti praeficiuntur. Ipsae languentes hoc tempore et iacentes Musae hoc vestro favore se recreatas et erectas fatebuntur, ubi praeclarissimo sacerdoti suo, et manibus eius, aeternum a vobis, et pro suo in vos studio debitam gratiam haberi et referri viderint. Celebrabitur laudabilis illa erga literas voluntas per universum orbem, non ab eruditis modo, qui superstitem coluerunt, et mortui memoriam venerantur, sed a Principibus et Regibus, qui, si vivo Graevio frui potuissent, hanc sibi famae parandae materiam datam optassent. Sed desino, ne non tam meritis suis Graevius, quam mea deprecatione id ego obtinuisse viderer: et ne, si pluribus hoc agam, de vestra propensione, et erga bene de vobis meritos benignitate, me dubitare crederetis. Haec ipsa pro adflicta domo ambitio in vobis, Auditores, tristissimi funeris magnitudinem renovet, et, quae sit filiarum patre suavissimo privatarum, futura conditio, repraesentet. Perpendite, quaeso, quam irreparabile familiae damnum sit inlatum, quam vos omnes, quos aliquo officio Graevius prosecutus est, deceat eius filias ad-

iuvare, et orbitatis gravitatem amicitiae continuatione levare. Sed si forte aliquem vestrum duriorem non tangat Graevianae domus calamitas, quem non urbis et nostrae Academiae conditio commovebit? Flete, futurae solitudinis imagine commoti, quotquot Graevium florentem immensa illa discipulorum copia, et per eum Academiae felicissimum statum vidistis. Moerete nullo modo reparabilem iacturam, quae quotidie maior apparebit, et crescentem in dies doloris sensum numquam exarescentibus lacrimis significate. Denique, quod unum mortuo praestari potest, Celeberrimi Viri manes et memoriam semper debitis pietatis officiis colite et veneramini; et mecum hanc funebrem laudationem, quae pro more longior excrevit, sed pro dignitate Viri ieiuna et destricta apparebit, miserabili et lacrimabili*) lessu concludite.

*) Ed. Fabric. *miserabili hoc et lacrymoso.* FR.

Graevius ergo fuit! celerique ferociter ictu
Stamina fatales desecuere Deae.
Membra stupent, subito resolutis languida nervis,
Oraque mortifero sidere tacta silent.
Ora silent, Pylioque Viri quae melle fluebat,
Icta velut rapido fulmine, lingua riget.
O funesta dies, tenebrisque infaustior atris,
Aeternum fastis nigra notanda dies.
Cum tua moesta redit (semperque redibit) imago,
Nunc quoque perpetuis fletibus ora madent.
Cernere convivam, dextraeque innectere dextram
Sperabat vanis mens mea lusa modis.
Iam veniet cupidis, dicebam, magnus amicis
Graevius, et nobis fercula docta feret.
Iam suavi sermone diem producet, et inter
Sobria condetur vespera vina iocis.
Dum-loquor, atque moras iam non fero longius illas,
Turbantur subito gaudia nostra malo.
Desine iucundum, confusus nuncius inquit,
Desine festivum, Petre), manere Senem.*
Strata repentino torpet mens sanguinis ictu;
Concidit, ad vestram dum parat ire domum.
Compita confuso resonant ululata tumultu,
Murmura funerei carminis instar habent.
Traiectum gemitu impletur, turbataque se non
Invenit, et luctum non capit aegra suum.
Exit amicorum, strepitu commota, penates
Turba, nec admisso plangere teste pudet.

*) Ed. Fabric. *velle* pro *Petre.* FR.

Invidiamque facit coelo, fatoque rapaci,
Vixque putat curam Numinis esse bonos.
Obrigui, gelidumque stetit sine sanguine pectus,
Nec lacrimas oculi, verba nec ora dabant.
Filius haud aliter, nec opino funere patris,
Cuius in amplexus iam cupit ire, stupet.
Deficit ad famam sic coniugis uxor ademti,
Quem putat ad socium iam properare torum.
Sicut eram, egredior tectis, similisque furenti
Carpo viam, ut Bromio concita Baccha Deo.
Sed frustra propero: morituro membra rigebant,
Lingua dabat nullas mentis, ut ante, notas.
Pallebant graciles, detracto sanguine, venae;
Nullus erat, vita iam fugiente, color.
Lumina, perpetuis posthac damnata tenebris,
Praevia condebat mortis opaca quies.
Hei mihi, quae facies, quis circumstantibus horror!
Quid consternato tum mihi mentis erat?
Sedula praescriptas non dextera miscuit herbas,
Praebuit aut succos officiosa manus.
Aegra salutifero lenimine membra fovere,
Nec potui ad tristem pervigilare torum.
Ultima non licuit cara mandata Magistri
Excipere, et madidis verba suprema genis.
Non oculos licuit vicina morte madentes
Claudere, non fida fingere membra manu.
Oscula non gelidis repetita infigere labris,
Non fugientem animam suscipere ore pio.
Non licuit, gemitu medias rumpente querelas,
Dicere, in aeternum, Gloria nostra, vale.

Si mea cessavit pietas, ignoscite manes,
Aspera vis fati, non mea culpa, fuit.
Ne tamen officium tua nunc desideret umbra,
Manibus inferias, quas licet, ecce fero.
Nec tumulum nexis mihi mens ornare corollis,
Turen nec tepido mittere dona rogo.
Non ego relliquias vino fragrante, sed, udis
Qui cadit ex oculis, imbre lavare volo.
Carmina cum lacrimis do, veri signa doloris,
Carmina non artis, sed pietatis opus.
Testor honoratam, cineres quae continet, urnam,
Ossaque, de busto quae super nna tuo.
Numina, confectae quae mentis conscia, testor,
Funere non alio me doluisse magis.
Non mihi cum primis pater eriperetur in annis,
Non tegeret fratris cum lapis ossa mei.
Omnis enim periit mea, te pereunte, voluptas,
Condita sunt tumulo gaudia nostra tuo.
Et studia et Musae, quae, te vivente, placebant,
Incipiunt vestra morte placere minus.
Auspicio, quod dulce dabas, ductuque secundo,
Ibat in Aonium nostra Camena nemus.
Nunc duce destituor, certum nunc occidit astrum,
Per freta quod fidum caeca regebat iter.
Iactor, ut excusso quae tempestate magistro,
Iactatur dubiis naufraga puppis aquis.
O Pater! o nostrae decus et tutela iuventae!
Unica spes studiis praesidiumque meis.
Siccine discipulum, sic carum linquis alumnum?
Mene fugis, vestrum, magne Magister, opus?

Sed quid ego haec, proprio turbatus tristia damno
Verba cano, querulis associata modis?
Publica communem moveat iactura dolorem,
Qua patet in lacrimas, sic decet, Orbis eat.
Confluat ex terris huc omnibus agmen amicum,
Ut faciat tanto tristia iusta Viro.
Galle, precor, posita rabie paulisper et ira,
Exiguo Batavis tempore mitis ades.
Flebimus alternis, lacrimas miscebimus una,
Solaque de luctus pugna futura modo.
Sit licet ille ferox, veniet tibi iunctus, et arma
Ponet, ut exequias ducat inermis, Iber.
Squallidus Ausoniae flebit telluris alumnus,
Tuscia Musarum flebit honora domus.
Inclyta septena suspiria mittet ab arce
Roma, per Alpini frigora longa iugi.
Fundet in Oceanum, nostris advolvat ut oris,
Turbatam Tamesis fletibus aeger aquam.
Flumina Parrhasia, glacie concreta, sub Arcto
Nunc primum tepido saucia rore fluent.
Ipse pruinoso Boreas plorabit ab axe,
Per Scythicas curret nix liquefacta genas.
Una tamen vinces cunctos, Germania, planctus,
Moestitiam ingenti fassa stupore tuam *).
Nec tua damna queri, dum summum perdis honorem,
Nec poteris **), *nimio fracta dolore, loqui.*
Vos quoque, ne pudeat mortales, fundite fletus
Ad tumulum sancti, Dique Deaeque, Senis.

*) Ed. Fabric. *vincet — Germania — suam.* FR.

**) Ed. Fabric. *Nec sua damna — perdit honorem — Nec poterit.* FR.

Atria Castalidum, sacrataque templa Camenis,
Quaeque praees doctis, docta Minerva, viris.
Quique novem ducis, Latoïe Phoebe, sorores,
Et Venus, et Charitum turba venusta trium,
Tollite concordes ad Graevi funera questus,
Moestaque funesto dicite verba die.
Nec modus ingenti, nec sit lex ulla dolori,
Nec minuat fletus temporis ulla mora.
Saepe quidem sacris vates abstraxit ab aris
Invida Pierio mors et iniqua choro.
Saepe tamen lacrimis, quas vis inopina movebat,
Successor posuit, doctus et ipse, modum.
Nunc quis, Phoebe, tui pandet sacraria templi?
Quis tua sacra pari relligione colet?
Phoebe tot amissos quis iam tibi reddet honores?
Flebile qui damnum nunc reparabit, ubi est?
Una dies Graevi sine sanguine corpus, et artes
Contumulat, fato quae cecidere pari.
Quid tibi nunc animi, quae spes super ulla, peremto,
Quae tibi, Traiectum, gloria sola, Viro?
Cuius ad adventum schola se tuā credidit ortam,
Iamque dolet tristes mortis obire vices.
Nec tibi mendaces haec dicere, crede, poëtas,
Omnibus hunc sensum gentibus esse, puta.
Fama per extremas tua, Graevi munere, gentes
Sparsa fuit, muris ante retenta tuis.
Orbe quod Hesperio, quod sit tibi nomen Eoo,
Quod tuus implevit rumor utrumque polum.
Graevius una tui laus non moritura Lycei,
Hoc decus, hoc ingens nomen habere dedit.

Advena quod vestram multus properabat in urbem,
Causa fuit longae Graevius una viae.

Quod tua Principibus fervebant atria celsis,
(Non levis hinc vestrae fama parata scholae)

Quod Regum soboles, quod nata parentibus altis
Progenies venit tam numerosa tibi:

Maxima civilis prudentia praebuit artis,
Et decus Artificis nobilitasque dedit.

Flecteret ut quondam regni sapienter habenas,
Disceret et Princeps regia iura tener;

Unica Nectareae monstrabat gratia linguae,
Plenaque praeceptis pectora docta Senis.

Praeteriens quoties iam moenia vestra viator,
Non libet hac, dicet, nectere in urbe moras.

Non ego Daedaleis exstructa palatia dextris,
Nec stupeo turres, urbs modo clara, tuas.

Laeta suburbani non me viridaria ruris,
Non nemus, aut liquidae gratia tangit aquae.

Incola non comis, non purior aetheris aura,
Virgo nec incoeptum pulchra moratur iter.

Dos tua, Traiectum, qua gentibus ante placebas,
Graevius, heu! mortis saeva rapina, perît.

Quemque peregrinis unum monstrare solebas,
Occidit, heu fati sors miseranda tui!

Una viatori restabit forte videndi
Causa tui, sed et haec causa doloris erit,

Ut fleat ad cineres communis et ossa Magistri,
Et legat: HIC SITUS EST GRAEVIUS, ORBIS AMOR.

Sed pudor! Obscura requiescit corpus arena,
Iustaque nec pietas scit sua solvat ubi.
Erige, Traiectum, monumentum grata perenne,
Bustaque fac titulo conspicienda brevi.
Nam licet exiguo signetur carmine marmor,
Et referat Graevi nomina nuda lapis;
Saxa tamen vincet Mausoli, Aegyptia vincet
Pondera, et Assyrii nobile Regis opus.
Nam plus Rege tegit. Regum monumenta peribunt;
Graevius, hac mundi mole cadente, cadet.

DIXI

INDEX
SCRIPTORUM GRAEVIANORUM

1. Is. Casauboni epistolae. Edit. secunda LXXXII epistolis aucta, et iuxta seriem temporum digesta. Curante Ioh. Georg. Graevio. Brunsvigae 1656. 4. (Invito Graevio typographus nomen eius in fronte libri inscripserat. Graevii in eo libro nihil est praeter epist. dedicator. ad Thom. Reinesium et brevem praefat.)
2. Io. Meursii Ceramicus geminus. Traiecti ad Rhen. 1663. 4.
3. Oratio de cometis, contra vulgi opinionem, cometas esse malorum nuncios: habita Traiecti ad Rhen. 1665. Edit. II. Accesserunt Andr. Buditii, Sam. Maresii, ut et nonnullorum eruditissimorum hominum de cometis dissertatt. et iudicia. ibid. 1681. 4.
4. Alb. Rubenii de re vestiaria, praecipue de lato clavo libri II. cum aliis eiusd. opusc. posthumis. Antwerp. 1665. 4.
5. Hesiodi Ascraei quae extant. Ex rec. Ioh. Geo. Gr. cum eiusd. animadverss. et notis. Accedunt notae ined. Ios. Scaligeri et Franc. Guieti. Amstel. 1667. 8. (Animadverss., quas *Lectiones Hesiodeas* vocavit Graevius, in aliorum edd. saepe repetitae sunt.)
6. Luciani Pseudosophista seu Soloecista. Cum notis et animadverss. I. G. Graevii. Amstel. 1668. 8.

7. Iustini Hist. Philipp. Ex rec. Io. Ge. Graevii, cum eiusd. notis et animadverss. Ultraiect. 1668. 12. Amstel. 1694. 8 min. (Saepe deinceps repetita est haec editio.)

8. Idem. Ex rec. Graev. cum eiusd. castigatt. His acced. integrae notae Iac. Bongarsii, Franc. Modii, Matth. Bernecceri, Is. Vossii, Tanaq. Fabri, Io. Vorstii et Io. Schefferi. Lugd. Bat. 1683. 8. (Wratislav. Siles. 1688. 8.) — Ex nova rec. Graev. cum eiusd. castigatt. His accedunt integrae notae Iac. Bongarsii *etc.* Edit. IV. auctior et emendatior. Lugd. Batav. 1701. 8. (Digna Graevio, sed admodum negligenter et vitiose expressa ab typographo.)

9. Animadverss. in Ausonium; in edit. Tollii, Amstel. 1671. 8.

10. Monumenta illustr. viror. et elogia aucta antiquis monumentis in agro Traiectino repertis. Traiect. 1671. Fol.

11. C. Suetonius Tranquillus. Ex rec. Io. Geo. Graevii, cum eiusd. animadverss. ut et commentario integro Laevini Torrentii, Is. Casauboni et Theod. Marcilii, nec non selectis aliorum. Traiecti 1672. Edit. II. auctior et emendatior Hagae - Com. et Traiect. 1691. 4. ibid. 1703. 4.

12. Io. Meursii libri posthumi de Cypro, Rhodo et Creta. Traiect. 1675. 4.

13. Oratio funebris in obitum Viri Cl. D. Ioannis de Bruyn, Physicae et Matheseos Professoris in Traiectina Academia. Amstel. 1675. 4.

14. M. Tullii Ciceronis Epp. libri XVI ad familiares, ut vulgo vocantur. Ex rec. Io. Geo. Graev. c. eiusd. animadverss. auctis et notis integris Pet. Victor.

Paul. Manut. Hier. Ragazonii, Dion. Lambin. F. Ursin. nec non selectis Io. Fr. Gronov. et aliorum. 2 Voll. Amstelod. 1693. (Edit. I. Amstelod. et Lugd. Batav. 1677. et 1676.

15. Catull. Tibull. et Propertius. Ex rec. Io. Geo. Graev. cum notis integris Ios. Scalig. M. Ant. Muret. Achill. Statii, Robert. Titii, Hieron. Avantii, Iani Dousae patris et filii, Theod. Marcilii, nec non selectis aliorum. Traiecti ad Rhen. 1680. 8.

16. L. Ann. Florus recensitus et illustratus a I. G. Graevio. Traiect. Batav. 1680. 8.

17. Eiusd. epitome rerum Romanar. cum notis integr. Cl. Salmasii et select. variorum. Acced. I. G. Graevii annotatt. longe auctiores et correctiores, nec non numism. et antiqua monumenta, cum variantt. lectt. et indice. Additus est L. Ampelius. Amstel. 1692. 8. it. 1702. 8. ibid. — Graevii adnotatt. habentur etiam in edd. Duker. Lugd. Bat. 1722. et 1744. 8.

18. Oratio funebris in obitum Rev. Viri Francisci Burmanni. Ultraiect. 1680. 4. (Adiecta est etiam Franc. Burmanni orationibus. Traiect. 1700. 4.)

19. M. Tullii Ciceronis Epp. libri XVI ad T. Pompon. Atticum. Ex rec. I. G. Graevii cum eiusd. animadverss. et notis integr. Petr. Victor. Paul. Manut. Leonard. Malhespinae, D. Lambini, Fulv. Ursin. Sim. Bosii, Fr. Iunii, Aus. Popmae, nec non selectis Sebast. Corradi, Is. Casauboni, Io. Fred. Gronovii, et aliorum. II Tomi. Amstel. 1684. 8.

20. Animadverss. in Iuvenalem; in edd. Amstel. Wetsten. 1684. 8. et Henninii Ultraiect. 1685. 4.

21. Io. Meursii Theseus. Traiect. 1684. 4.

22. Meursii Themis Attica. Traiect. 1685. 4.
23. Oratio in natalem quinquagesimum Academiae Traiectinae, habita auctoritate publica. 1686. Fol.
24. Meursii de regno Laconico libri duo, de Piraeo lib. singularis, et in Helladii chrestomathiam animadverss. Traiect. 1687. 4.
25. Animadversiones in Rutilium Numatianum; in edit. Almeloveen. Amstel. 1687. 12. (it. in ed. Gruber. Norimb. 1804. 8.)
26. Luciani Samosateni Opp. Graec. et Lat. ex versione Io. Benedicti, cum notis integris Io. Bourdelotii, Iac. Palmerii a Grentemesnil, Tan. Fabri, Aegid. Menagii, F. Guieti, I. G. Graevii, I. Gronovii, L. Barlaei, I. Tollii et selectis aliorum. Acced. inedita scholia in Lucian. ex biblioth. Is. Vossii. Amstel. 1687. 2 Tom. 8.
27. M. Tull. Ciceronis de officiis lib. III. Cat. mai. Lael. Paradox. Somn. Scip. Ex rec. I. G. Graevii cum eiusd. notis, ut et integris animadverss. Dion. Lambini, I. Ursini, Car. Langii, Francisci Fabritii, Ald. Manutii, nec non selectis aliorum. Accessit Favonii Eulogii Rhetoris Carthaginiensis in Ciceronis Somnium Scipionis disputatio, nec non Caelii Calcagnini disquisitt. in de officiis libros. M. Antonii Maioragii decisiones contra Calcagninum. Iacobi Griffioli defensiones Ciceronis contra eundem. Amstel. 1688. 8. 1691. 8. correct. cum indicc. locupletiss. Lugd. Batav. 1710. 8. (Omissis varior. interpp. adnotatt. iidem libri prodierunt ex rec. I. G. Graevii cum eiusd. animadverss. Amstel. 1691. et 1699. 8 minor. vel 12.)
28. Eiusd. Epist. ad familiares, cum Graevii animadverss. Amstel. 1689. 12.

29. Petri Petiti Homeri Nepenthes, sive de Helenae medicamento, luctum animique omnem aegritudinem abolente, et aliis quibusd. eadem facultate praeditis, dissertatio. Traiect. ad Rhen. 1689. 8.

30. M. Tull. Ciceronis de Off. libr. III. Cato mai. Lael. Paradox. Somn. Scip. Ex rec. I. G. Graevii. Amstel. 1689. (sine adnotatt. Graev. aliorumve.)

31. De humanae rationis imbecillitate, unde proveniat et illi quomodo possimus mederi, liber singularis; auctore Georg. Mackenzeo. Ultraiect. 1690. 8. 8. (it. Ienae 1691. 8. Francof. 1700. 12.)

32. Bernhardinus Ferrarius de ritu sacrarum eccles. vet. concionum. Cum praefat. I. G. Graevii. Traiect. 1692. 8.

33. Notae in Lactantium de mort. persecutor.; in ed. Pauli Bauldri. Traiect. ad Rhen. 1693. (1692.) 8.

34. Franc. Iunii de pictura veterum libri III. (Praemissa est vita Iunii, a Graev. scripta.) Roterod. 1694. Fol.

35. Pet. Dan. Huetii poemata, quotquot colligi potuerunt. Traiect. ad Rhen. 1694. 8. Auctiora 1700. 12.

36. Alberti Rubenii diss. de vita Flavii Mallii Theodori. Ultraiect. 1694. 12.

37. Thesaurus antiquitatt. Roman. Traiect. ad Rhen. 1694—1699. XII Voll. Fol. (Venet. 1732—1737. XII Voll. Fol.)

38. Thesaurus antiquitatt. et historiar. Italiae, collectus cura et studio I. G. Graevii, et ad finem perductus a Pet. Burmanno. Lugd. Bat. 1704—1723. IX Tom. 30 Voll. Fol.

39. Thesaurus antiquitatt. et historiar. Siciliae, Sardiniae, Corsicae etc. digeri coeptus cura et stud.

I. G. Graevii, cum praef. Pet. Burmanni. Lugd. Bat. 1723—1725. 15 Voll. Fol.

40. Callimachi Hymni *etc.* (Graec. et Lat.) ex. rec. Theodor. Graevii cum eiusd. animadverss. Acced. varior. commentarius et annotatt. Ezech. Spanhemii. Ultraiect. 1697. 2 Voll. 8. (Graev. fil. praematuro fato exstinctus patri absolvendum hunc libr. reliquerat. Cf. Casp. Burmann. Traiect. Erudit. pag. 114.)

41. Matth. Martinii Lexicon philologicum. Ed. et subiecit Isidori Glossar. a se emendatum. Traiect. 1697. Fol.

42. C. Iul. Caesaris quae exstant, cum notis et animadverss. Dion. Vossii, Io. Davisii aliorumque var. notis, ut et qui vocatur Iul. Celsus de vita et rebus gestis C. Iul. Caesaris. Ex museo I. G. Graevii. Lugd. Bat. et Delphis 1713. 8 maior. 2 Voll. (Edit. I. Amstel. 1697. 8.)

43. M. Tull. Ciceronis orationes. Ex rec. I. G. Graevii, cum eiusd. animadverss. et notis integris Franc. Hottomanni, Dionys. Lambini, Fulvii Ursini, Paulli Manutii et selectis aliorum, ut et Q. Asconio Pediano et anonymo scholiaste. Amstel. 1699. 8. VI Voll.

44. Danielis Eremitae aulicae vitae ac civilis libb. IV. Eiusd. opuscula varia. Cum praef. I. G. Graevii. Ultraiecti 1701. 8.

45. Syntagma variar. dissertationum rariorum, quas viri doctissimi superiore seculo elucubrarunt. Ex Museo I. G. Graevii. Ultraiect. 1701. 4. (Id lib. prodiit (Traiect. Bat.) 1716. 4. cum hac inscriptione: Collectio dissertatt. rarissimar. historico-philologicarum.)

46. In obitum Guilielmi III. Magnae Britann. Galliae et Hiberniae Regis oratio, habita d. V. Maii 1702. (Etiam in hoc libro: Funebres laudatt. quibus Guilielmo III. clarissimi in Batavis oratores iusta suprema solemniter fecerunt. Lipsiae 1703. 8.)

47. Praefatt. et Epist. CXX. Ed. Io. Alb. Fabricius. Adiuncta est Petri Burmanni oratio dicta in Graevii funere. Hamburg. 1707. 8.

48. Basil. Fabri Thesaurus eruditionis scholasticae cum notis Buchneri et Cellarii et observatt. posthumis I. G. Graevii. Lips. 1710. Fol.

49. Orationes. Ed. Pet. Burmannus. Lugd. Bat. 1717. 8. (Idem Tom. III. et IV. Syllog. Epist. varias Graev. epist. publicavit.)

50. Gruteri inscriptt. antiquae totius orbis Rom. nunc curis secundis eiusd. et notis Marq. Gudii emendatae et cura I. G. Graevii recensitae. Acced. annotatt. appendix et indices, ut et Tironis et Senecae notae (cum praef. Pet. Burmanni.) Amstel. 1707. Fol. 2 Tom. 4 Voll.

51. Graevii dictata in Pomp. Melam habentur in ed. Tzschuck. quem vid. Tom. I. pag. CXLII. sq.

52. I. G. Graevii scholia ad Horatii odd. libros duo priores. Ex autographo scriptoris primum edidit Frid. Henr. Bothe. Heidelb. 1820. 8.

53. Francisci Petrarchae Testamentum. (Vid. Paulli Manutii commentar. ad Cic. Off. III. cap. 10. — Hoc testamentum nitori restituisse Graevius dicitur ab Io. Henr. Ackero in praefat. ad hunc librum: *Franc. Petrarchae vita ac testament. illa ab ipso poeta et Hieron. Squarzaficho profecta, hoc vero a Paullo Manutio et I. G. Graevio conservatum. Emendavit, notis ac singularibus quibusd. auxit*

I. H. Acker. Rudolstad. 1711. 8. Equidem Graev. editionem huius Test. fateor me nondum vidisse.)

54. Phaleuci in Abrah. Weselii commentar. ad novell. constitutt. Traiectinas. (Vid. Burm. Syll. Epist. Tom. IV. Ep. 175.)

55. Graevii nomine prodiit hic quoque liber: *Cohors Musarum, sive histor. rei litterariae, nec non histor. bibliothecalis, cum synopsi rei nummariae et ratione temporum: accurante Wolpherdo van Buren*. Traiect. 1715. 8. (Cf. Burmann. Traiect. Erud. pag. 122.)

56. *Historiam Gulielmi* III. iussus scribere, quum iam ad annum 1672. pervenisset, obiit. Etiam

57. *Praelectiones de iudiciorum Romanorum ordine* prelo paratae erant. Vid. Casp. Burm. Traiect. Erud. pag. 122. it. pag. 121. ubi alia quaedam opera enumerantur, quae edere Graevius in animo habuerit.

58. Richardi Bentleii et doctorum virorum [*etiam Graevii*] epistolae partim mutuae. Accedit Richardi Dawesii ad Ioannem Taylorum epistola singularis. Londini 1807. 4 max. — Ex ed. Lond. repetiit novisque additamentis auxit Frid. Traug. Friedemann. Lipsiae 1825. 8.

59. Adnotatt. in Cic. libb. de Legg.; in ed. Moseri et Creuzeri (Francof. ad Moen. 1824. 8.)

ELOGIUM

TIBERII HEMSTERHUSII

AUCTORE

DAVIDE RUHNKENIO

[EX ED. II. CASTIGATIORE LUGD. BATAV. 1789.]

PRAEFATIO

Cum mihi magistratum academicum deponenti publice dicendum esset, *perfectam Critici formam in Tiberio Hemsterhusio* spectandam exhibui. Quod orationis argumentum omnibus tam iucundum accidit, ut me nunquam meminerim attentius audiri. Erant etiam, qui hanc orationem quam primum edi cuperent, ut, quam voluptatem illa audienda ceperant, eandem illa legenda iterum capere possent. Quorum voluntati me facilem praebui. Sed

quoniam huiusmodi orationes, semel lectae, fere abiici solent, et in oblivionem abire, meae cavendum putavi forma eius sic immutanda, ut non tam oratio, quam elogium esse videretur. Elogium hac significatione non satis Latinum esse scio. Sed temporum nostrorum consuetudini aliquid dandum fuit.

Nulla facile ars ac disciplina plus vel invidiae, vel infamiae suscepit, quam quae a primario, quod in iudicando cernitur, munere Critica vocatur. Haec aliquando incidit in ingenia furiosa, quae nullo rationis tanquam freno coërcerentur, aliquando in ieiuna et angusta, †) quae non caperent tantae rei vim et auctoritatem. Duplex igitur, pro ingeniorum dissimilitudine, inita est critices exercendae ratio. Illi firma, nec ullo modo commovenda, temere convellebant, et certa incertis coniecturis vexabant: hi nihil aliud, nisi materiam e libris manu scriptis comportabant, in rebus ipsis et sensibus scriptorum explicandis muti, in verbis et formulis ad grammaticam normam exigendis loquaces et rixosi. Utrique cum sibi criticorum nomen arrogassent, et, facili plebe literaria, tenuis-

†) Pag. 6. ed. Lugd. Bat.

sent, hominum vitia, ut fieri solet, ad ipsam artem traducta sunt, et critica, modo temeritatis et audaciae mater, modo nugatoria syllabarum auceps, dici haberique coepit. Quam invidiam, non mirandum est, diutius in critica, quam in ulla alia †) disciplina, cui per similem iniquitatem labes adspersa esset, haesisse. Etenim ceterae artes, magnam partem populares, et communi intelligentiae patentes, facile inveniunt, qui, caussa cognita, calumniam depellant. Critica, plures difficultate et rerum discendarum copia et varietate deterrens, quam delectatione aliqua alliciens ad se et invitans, paucos omni tempore discipulos nacta est, paucos habuit patronos, qui caussam suam cognoscerent, innocentiam tuerentur, dignitatem et gloriam vindicarent.

Cogitanti vero mihi, quae tandem optima esset ratio tam praeclari studii commendandi, et iniuria, qua premitur, liberandi, nulla commodior et efficacior occurrit, quam quae perfecti et omnibus numeris absoluti

critici imaginem, †) ad vivum expressam, ob oculos ponat. Sic enim spero, futurum, ut, quicunque in hoc exemplar inspexerit, quam artem in contemtum vocare ausus sit, in ea liberalis doctrinae omnis fastigium esse fateatur.

Verum, ne cui videar criticum, qualis nec fuerit unquam, nec esse possit, fingere, exemplar eius ducam ab eorum aliquo, quibus omnes omnia summa in hac facultate tribuerunt. Nec ille longe quaerendus. Adhuc animis, vel dicam, oculis nostris inhaeret TIBERIUS HEMSTERHUSIUS. Vix dum lacrimae, quas in eius funere profudimus, exaruerunt.

Hic talis ac tantus vir in illis, quorum vix singuli singulis seculis in generis humani exemplum nascantur, praecipuum †) locum tenet. Quo magis, ut mediocri ingenio homines facile patimur cum libris suis occidere, sic Hemsterhusii memoria conservanda modis omnibus, et aeternitati aequanda est. Quanquam vero ad laudem eius magnificen-

†) Pag. 8.
†) Pag. 9.

tius, et ad communem utilitatem uberius futurum esset, si divina cum animi, et ingenii, tum doctrinae, et sapientiae bona, quibus cumulatus fuit, singulatim explicarentur, nobis tamen, quod omnia persequi infinitum est, ex ea maxime parte, qua gloriam suam inprimis fundavit, hoc est, ex critices scientia, spectandus videtur.

Critica veterum scriptorum libros, tanquam materiam, quam tractet, et in qua versetur, sibi subiectos habet: nec angustis certorum scriptorum terminis septa †) tenetur, sed per poëtas, oratores, grammaticos, historicos, philosophos longe lateque vagatur, ubique iudicium et censuram exercens. Quam provinciam tametsi proprio quodam iure tenet, tamen, si quando in graviorum disciplinarum auxilium vocata sit, non dubitat illos fines transire. Sane ex quo tempore Erasmus et Beza eam in theologiam, Cujacius, aliique in iurisprudentiam, saluberrimo instituto adsciverunt, ferme tam frequens est in his disciplinis, quam in regno suo. Censendi vero iudicandique munere sic fungitur, ut

†) Pag. 10.

vera a falsis et supposititiis discernat, fraudes suis vestigiis odoretur et demonstret, obscuris sive rebus sive verbis lumen affundat, depravata corrigat, laudet recta, reprehendat vitiosa. Has critici partes, tam difficiles, tam †) graves, qui recte sustinere et tueri velit, duplici praesidio instructus ornatusque esse debet, ingenio acerrimo, et eruditione prope immensa.

Ingenium in omnium artium, etiam leviorum, studiis valet plurimum. Sed ut aliud aptius est mathesi, aliud poëticae, aliud aliis artibus, sic critica quoque sibi deposcit proprium et peculiare. Eius autem vis omnis ex duabus animi facultatibus oritur, ex imaginum ante perceptarum celeri instauratione, et ex promta ac parata iudicandi subtilitate. Finge, criticum, qualem deformamus, impedito et corrupto scriptoris loco remedium quaerere, et diligenter attende, quibus mentis actionibus ad id, quod quaerit, perveniat. Altera animi facultas varias imagines ante haustas, †) quae ad talem locum

†) Pag. 11.

†) Pag. 12.

expediendum accommodatae videantur, et celeriter et in tempore offert: altera, quid res postulet, atque adeo, quid ex pluribus simulacris animo simul obversantibus deligendum sit, eadem celeritate videt ac decernit. Ergo critica vis maxime iudicatur mentis celeritate, quam Graeci *ἀγχίνοιαν* et *εὐστοχίαν*, Latini *sagacitatem*, *sollertiam*, *ingenii felicitatem* vocant. Haec autem sagacitas non in hominis potestate est, non studio, labore, exercitatione comparatur, sed rarum et singulare munus est unius naturae fautricis; licetque adeo, quod Democritus de poëta dixit, ad criticum transferre: *Criticus non fit, sed nascitur* *). Tali ingenio praediti cum perraro exoriantur, non mirum sit, magnam excellentium criticorum et nunc esse, et semper fuisse †) paucitatem **). Quod vero diximus, ingenium hac in re

*) Cf. Cic. de Orat. II, 46, 194. et quae ad eum locum attulit Muellerus. FR.

†) Pag. 13.

**) Lindemanno si credimus, Ruhnkenius h. l. imitatus est Ciceronem in his (de Orat. I, 2, 8.): *Sic facillime, quanta oratorum sit semperque fuerit paucitas, iudicabit.* FR.

plus valere, quam artem ac disciplinam, hoc argumento intelligi potest. Multi, iique praeclarissimi viri, cum studiorum genere, ad quod ab ipsa natura deducerentur, relicto, se ad criticam contulissent, eruditione sibi, quod natura negarat, parare conati sunt, ingeniique vicarium, artificium quoddam comminiscerunt. Quorum conatus, noli quaerere, quam infeliciter cesserit. Quanta eruditionis de Graecis fontibus ductae copia fuerit in Io. Meursio et Ez. Spanhemio, nemo ignorat, nisi qui ipsam antiquitatem Graecam ignorat. At illi ipsi, cum vim facere naturae, et criticam exercere instituunt, quam sunt dissimiles sui! Duo praestantissimi viri, N. Heinsius et P. Burmannus, omne studium suum in poëtis Latinis expoliendis †) consumserunt, pari uterque eruditione, sed dispari acute sentiendi et feliciter divinandi facultate *). Alter igitur poëtarum Latinorum sospitator dictus est, alter non potuit in tantae gloriae societatem venire.

†) Pag. 14.

*) His enim virtutibus Nic. Heinsius magis excellebat, quam Pet. Burmannus. FR.

Haec vero critici materies indolèsque in Hemsterhusio tanta fuit, ut natura, quid in tali ingenio fingendo posset, in eo potissimum experta esse videatur *). Omnes in illo talem oculorum aciem,' qualis lyncibus et aquilis tribui solet **), mirabantur. Sed profecto mentis acies multo miranda magis. Nihil tam abditum erat, tam nihil retrusum, quod eius acumen falleret. Nihil tam depositum ac prope conclamatum, cui non vitam et salutem redderet. Nihil tam artificiose simulatum, quin fraudem facile sentiret, †) et indiciis suis teneret.

Talis tam felicis critices illustre documentum dedit in Xenophonte Ephesio ***).

*) Corn. Nep. Alcibiad. cap. 1. *In hoc natura, quid efficere possit, videtur experta.* Simil. ap. Quinctil. X, 1, 109. Cicero dicitur dono quodam providentiae genitus, *in quo totas vires suas eloquentia experiretur.* FR.

**) Cf. Cic. ad Fam. IX, 2, 6. *Quis est tam lynceus, qui tantis tenebris nihil offendat, nusquam incurrat?* Apud Appul. Met. lib. II. pag. Oudendorp. 88. sunt *oculi aquilini.* FR.

†) Pag. 15.

***) Vid. Indic. script. Hemsterh. FR. — Illustria sagacitatis Hemsterhusianae specimina iam antea protulerat d'Orvillius ad Charitonem, pluribus locis, in primis pagg. 307. 322. 488. 552. 562. 686. 707. BERGMAN.

Hic scriptor, aetate demum nostra, mendose et negligenter editus in Italia, nativa sua venustate Hemsterhusium invitarat, ut non solum quae quid vitii traxissent, emendaret, sed plurium etiam verborum lacunas de coniectura suppleret. Post Dorvillius V. C. eundem scriptorem iterum ad Codicem MS. exigi iussit. Quid quaeris? Nullus unquam vates Hemsterhusio repertus est verior. Nam vetus codex lectiones et lacunatarum supplementa sic, ut ille divinando restituerat, plerisque locis repraesentabat.

Etsi vero permagnum critico praesidium est in mentis vi et sollertia, nemo tamen omnia in eo posita putet. †) Comparandum est alterum instrumentum, eruditio; quae ut parum aut nihil sine ingenio, sic sine eruditione ne perspicacissimum quidem ingenium quicquam effecerit. Recte Crates Mallotes, quem haec ipsa ars nobilitavit, apud Sextum Empiricum*), in critico requi-

†) Pag. 16.

*) Lib. I. adversus Math. (cap. 3. adv. Grammaticos) §. 79. (pag. Fabric. 233.) *Καὶ γὰρ ἐκεῖνος* [*Κρά-*

rit omnis liberalis doctrinae, quam Graeci ἐγκυκλοπαιδείαν *) vocant, scientiam. Si igitur ad criticam adspirare velis, de Cratetis praecepto, ante grammaticam, non vulgarem istam, sed altiorem, percipias, habites in poëtis et oratoribus, peragres latissimum historiae campum, mente complectaris universam philosophiam, et his omnibus adiungas mathesin, maxime partes illas, quae mentem exacuunt ad verum cernendum. Ex tanta tot artium ac disciplinarum ubertate critica demum efflorescit et redundat: †) tali instructu ornatuque eam oportet esse comitatam **).

Equidem vereor, ne hac rerum discendarum multitudine commemoranda restinguam

της ὁ Μαλλώτης] ἔλεγε διαφέρειν τὸν κριτικὸν τοῦ γραμματικοῦ. Καὶ τὸν μὲν κριτικὸν πάσης, φησὶ, δεῖ λογικῆς ἐπιστήμης ἔμπειρον εἶναι, τὸν δὲ γραμματικὸν, ἁπλῶς γλωσσῶν ἐξηγητικόν κ. τ. λ. FR.

*) Vid. de hoc voc. Passovii Lex. Graec. FR.

†) Pag. 17.

**) Cic. de Orat. III, 6, 23. *Quocunque ingreditur* [oratio,] *eodem est instructu ornatuque comitata.* FR.

potius iuventutis studia, quam incendam *). Sed quid faciam? Non alius ad pulcerrimam artem aditus patet, nec aliis gradibus Hemsterhusius ad id, quod in illa summum est, escendit.

Iuvat igitur, non modo quam praestans et inusitata eius eruditio fuerit, sed etiam qua via et ratione ad illam pervenerit, explicare. Quod dum facimus, pars vitae Hemsterhusianae, ut ad cognoscendum iucundissimae, sic ad imitandum utilissimae, breviter attingenda erit.

†) Puerulus **) literarum initia cum ab

*) Similis est sententia Ciceronis in Orat. cap. 2. *In quo vereor ne, si id, quod vis, effecero eumque oratorem, quem quaeris, expressero, tardem studia multorum, qui desperatione debilitati experiri id nolent, quod se assequi posse diffidant.* FR.

†) Pag. 18.

**) Natus est Groningae 1. Febr. 1685. Ab a. 1704. Philosophiae et Matheseos Professor Amstelodami: ab a. 1717. Linguae Graecae, post etiam Historiae Patriae Professor Franequerae: ab a. 1740. eiusdem Linguae et Historiae Professor Leidae. Obiit 7. April. 1766. RUHNK. Exstat in Diario, cui titulus *Bibliothèque des Sciences et des beaux Arts*, Tom. XXVI. P. I. a. 1766. pag. 216. sqq. Gallice scriptum *Hemsterhusii Elogium*, lectu haud

idoneis magistris percepit, tum a patre, Francisco Hemsterhusio, qui salutarem *) artem, quam profitebatur, cum politioribus literis coniunxerat, et peregrinandi studio ductus, omnem fere Europam lustrarat. Vis ingenii

iniucundum, nec tamen, quod quis fortasse suspicetur, a Ruhnkenii manu profectum, quippe tantis in eo laudibus celebrati, quantas in se ipse numquam contulisset. In ista igitur scriptione Hemsterhusius natus esse dicitur, non ut h. l. 1. Febr. 1685., sed eiusdem anni 9. Ian. quod qua auctoritate nitatur, nobis obscurum est. Differt etiam annus delatae ipsi Philosophiae et Matheseos in Athenaeo Amstelodamensi professionis, qui ibi memoratur a. 1705. in quo consentientem secum habet scriptor brevem vitae Hemsterhusii notationem, proditam a Vriemoetio in Athenis Frisiacis pag. 782. sq. BERGMAN. De dissensione laudatoris Gallici, Hemsterhusium 9. Ian. natum contendentis, quod supra diximus, contulimus inscriptum Hemsterhusianae effigiei, quae in tabula picta servatur in Aedibus Academicis, elogium. Id autem revera sic se habet: *TIBERIUS HEMSTERHUIS, Groninganus. primum Philos. et Mathes. Prof. Amstelaed. ab a.* 1705. *dein Franeq. ab a.* 1717. *tandem Leidae Ling. Gr. et Hist. Patriae Prof. ord. ab a.* 1740. *natus* † 1685. *obiit* † 1766. Unde quid sequatur, facile unusquisque videt, nec nobis declarandum est. IDEM (in Add. ad Elog. Hemst. pag. 499. sq.)

*) Horat. Carm. Saec. vs. 62. sqq.

Phoebus — — —
Qui salutari levat arte fessos
Corporis artus. FR.

sic ante annos in Hemsterhusio nostro eluxit, ut multi, quibus carus erat, timerent, ne non vitalis puer esset, aut ingenium tam praecox ad frugem perveniret*). Quam sollicitudinem vanam fuisse, eventus docuit. Nam eundem mentis vigorem integrum et illibatum pertulit ad extremam usque senectutem, hoc est, ad aetatis †) annum octuagesimum secundum, qui vitae ultimus fuit. Una memoria, quanquam raro, lababat, ubi proprium hominis nomen subito edendum esset.

Decimum quartum annum agens, qua aetate plerique in tirociniis haerent, iam versabatur inter cives Academiae Groninganae, et praestantissimos quosque bonarum artium magistros audiebat.

Socrates apud Platonem omnia praeclara de Isocrate adolescente auguratur, quod natura philosophia quaedam inesset in eius mente **). Simillimam Isocraticae indolem

*) Siquidem, ut ait Cestius apud Senec. Controv. I, 1. pag. 90., *mature magnum ingenium non est vitale*, Cf. Quinctil. Institutt. Orator. VI. prooem. §. 10. FR.

†) Pag. 19.

**) Plat. Phaedr. pag. 279. a. Φύσει, ὦ φίλε, ἔνεστί τις φιλοσοφία τῇ τοῦ ἀνδρὸς διανοίᾳ. Cic. Orat.

Ioannes Bernoullius, mathematicorum longe princeps, in Hemsterhusio adolescentulo, simul atque eum in disciplinam receperat, sagacissime perspexit. Iccirco nihil antiquius habuit, †) quam ut philosophiae semina, quae in eius mente laterent, proliceret, et recta cultura firmaret. Nec Hemsterhusius Bernoullii augurium fefellit. Nam tanta celeritate altiorem geometriam percepit, et in intimos philosophiae recessus penetravit, ut magister fateretur, se, quem cum eo compararet, inter discipulos habere neminem. At-

cap. 12. (Orell. cap. 13.) *Isocrates videtur testimonio Platonis aliorum iudicia debere contemnere. Est enim, ut scis, quasi in extrema pagina Phaedri his ipsis verbis loquens Socrates: „Adolescens etiam nunc, „o Phaedre, Isocrates est; sed quid de illo augurer, lu-„bet dicere. Quid tandem, inquit ille. Maiore mihi „ingenio videtur esse, quam ut cum orationibus Lysiae „comparetur. Praeterea ad virtutem maior indoles: ut „minime mirum futurum sit, si, quum aetate processerit, „aut in hoc orationum genere, cui nunc studet, tantum, „quantum pueris, reliquis praestet omnibus, qui unquam „orationes attigerunt; aut, si contentus his non fuerit, „divino aliquo animi motu maiora concupiscat.* Inest „enim natura philosophia in huius viri mente quaedam." *Haec de adolescente Socrates auguratur.* FR.

†) Pag. 20.

que haud scio, an multum fallamur, si altos illos et magnificos de rebus divinis humanisque sensus, qui postea se omnibus Hemsterhusii dictis factisque protulerunt, magnam partem a Bernoulliana disciplina repetamus. Ipse quidem, Bernoullium divino munere sibi praeceptorem obtigisse, cum gaudio, quod vultu et oculis proderetur, fateri solebat.

Ita cum aliquot annos exegisset in †) Academia patria, Leidam venit, invitatus praecipue fama Iacobi Perizonii, qui cum ceteras humanitatis partes egregie, tum veterem historiam elegantius, quam quisquam ante eum, tradebat. Leidae tum casu quodam disiecti erant publicae Bibliothecae Codices MSS. Horum in ordinem redigendorum cura ab Academiae Curatoribus demandatur Hemsterhusio *). Quod Curatorum de tantulo adolescente iudicium tam felix omen in posterum tempus faciebat, ut nemo unus dubitaret, quin is aliquando Iacobo Gronovio in Graecarum literarum Professione successurus esset. Verum, vacante illa

†) Pag. 21.

*) Vid. eius praefat. ad Polluc. pag. 24. a. et b.

FR.

provincia, res secus cecidit, non Curatorum voluntate alienata, sed artibus eorum, qui, ne luminibus suis obstrueretur, metuebant *). Data est Professio Havercampo, si minus Academiae, †) at ipsorum rationibus accommodata. Sed haec latere, melius est, quam cum auctorum ignominia et dedecore in lucem proferri. Leidae cum Hemsterhusius studiorum spatia decurrebat, vix dum expleto decimo nono aetatis anno, Amstelodamum, ut iuventuti studiosae viam ad mathesin et philosophiam praeiret, honorifice invitatur. Quis est, qui talem provinciam nactus, non totam studiorum rationem commutasset? non humaniores literas, veluti crepundia, abiecisset? Talis stultitia in alios, ab angustiis doctrinae compendiis profectos, cadere poterat, in Hemsterhusium non poterat, qui praeclare sciret, quo societatis vinculo hae disciplinae inter se devincian-

*) Significantur cum alii pauci, tum praecipue P. Burmannus Senior, tunc temporis Eloq. Ling. Graec. et Histor. Professor: id quod ex ipso huius Elogii scriptore sese audivisse refert I. G. Te Waterus in narratione de rebus Acad. Lugduno Batavae Sec. XVIII. pag. 212.
BERGMAN.

†) Pag. 22.

tur *). Ac reperit Amstelodami, quorum consuetudine elegantiorum literarum studium non mediocriter aleret. †) Ornabat tum illam urbem ingeniosus poëta, et disertus poëtarum Latinorum interpres, Ianus Broukhusius. In eadem tum aliquot annos degebant Stephanus Berglerus, et Ludolphus Kusterus, ille veteris philosophiae scientia, hic critica facultate, uterque Graecis literis tam excellens, ut ambiguum posteris reliquerint, uter utri ea laude praestaret. Quorum amicitiam Hemsterhusius appetebat cupidissime, tenebatque eo constantius, quo magis ingenium talium virorum sermonibus ad omnis elegantiae sensum acuebatur. Hac tam felici velut contagione Broukhusius in eum transfudit Propertii, Kusterus Aristophanis amorem, salutarem deinceps utrique poëtae futurum. Sed iam ante intervenerat, quod Hemsterhusium cum Graecis Musis artius coniungeret. Destituerat vir †) do-

*) *Etenim omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, et quasi cognatione quadam inter se continentur.* Cic. pro Arch. Poet. cap. 1. extr. FR.

†) Pag. 23.

†) Pag. 24.

tus *) Iulii Pollucis editionem, quae Amstelodami parabatur. Quaeritur, qui destitutas partes excipiat. Itur ad Hemsterhusium. Is, Graevii auctoritate impulsus **), operis curam suscipit, et commentatione, iuvenili illa quidem, veruntamen iuvenis Hemsterhusii, eruditissimorum hominum oculos animosque in se convertit. Ipse auctor (quis enim tali aetate se ipsum contemnat?) de hoc opere satis bene sentiebat. Brevi post a Richardo Bentleio, Britanniae Aristarcho, literas accipit, quibus quidem opera Polluci navata eximie laudabatur. At caedem literae Bentleianas emendationes in Comicorum loca, quibus Pollux a se dictis fidem et auctoritatem conciliasset, complectebantur. In quibus †) locis restituendis Hemsterhusius quoque consumserat studii plurimum, pulchre intelligens, summam rei in illis verti. Enimvero, lectis animadversionibus Bentleianis, videt, inanem operam suam fuisse, alterum

*) Io. Henr. Lederlinus. Vid. eius praefat. ad Polluc. pag. 21. FR.

**) Vid. Hemsterh. praefat. ad Poll. pag. 24. b. FR.

†) Pag. 25.

omnia divinitus expediisse. Quo tum animo Hemsterhusium fuisse putas? Ita conturbatus est, ita sibimet ipse displicuit, ut Graecas literas in perpetuum repudiare statueret. Nec, per mensem unum et item alterum, ausus est scriptorem Graecum attingere.... Hoc si alteri evenisset, quam astute id dissimulasset, quam cautionem et diligentiam, ne in vulgus emanaret, adhibuisset? At ille, o callidum hominem! id narrare discipulis, et crebris sermonibus usurpare solebat. Nescio, quid alii sentiant. Mihi nunquam maior, quam cum haec de se ingenue fatebatur, visus †) est Hemsterhusius. Nam acer animi morsus indicat, quos quam altos et veram gloriam expetentes spiritus pectore gesserit, erroris confessio, quantam maximarum rerum fiduciam haberet. Eleganter et vere Celsus *) de simili Hippocratis confessione ait: *Levia ingenia, quia nihil habent, nihil sibi detrahunt. Magno ingenio, multaque nihilominus habituro, convenit simplex veri erroris confessio.*

†) Pag. 26.

*) Medicin. lib. VIII. cap. 4. FR.

Mox tamen Hemsterhusius, cum dolori successisset cogitatio, quam inique se adolescentem cum critico veterano, eodemque omnium principe comparasset, et secum in gratiam rediit, et cum literis Graecis. At Bentleianae admonitionis haec vis fuit, ut apud animum constitueret, non ante se in hunc praecipitem †) locum committere, quam artium omnium copiam mente et cogitatione comprehendisset, et, quoniam in hoc maxime reprehendebatur, Comicorum versus non ante tentare, quam varia metrorum genera, Comicis usitata, penitus percepisset. Nec alium, nisi illum ipsum monitorem suum, sibi imitandum sumsit. Hunc enim mirabatur unum, hunc in oculis ferebat, hunc omnibus memoriae nostrae criticis anteponebat, ne dissimulans quidem offensionem, si quis talis viri magnitudinem, quam consequi nulla ratione posset, per invidiam allatraret.

Inito igitur eruditionis locupletandae consilio, veteres, inde ab ingeniorum fonte, Homero, scriptores nunquam remisso studio legit:

†) Pag. 27.

legit? immo vero †) excerpsit, et in horrea sua congessit; ut, quicquid vel ad utriusque linguae rationem, vel ad historiam, vel ad ritus et mores gentium, vel ad priscam sapientiam pertineret, id paratum esset, ac, si res postularet, inde continuo depromeretur.

Quam vero consuetudinem ipse in legendo tenuerat, ut a veterrimo quoque scriptore gradum faceret ad eum, qui proximus esset aetate, eandem aliis etiam atque etiam commendabat. Nam primum, ut alias opportunitates omittam *), si hac via progrediaris, non verborum tantum, sed etiam significationum, singulis verbis et formulis attributarum, †) tanquam tempora certius constituas: cuius rei diligens observatio in linguis omnibus valet plurimum. Deinde satis constat, nihil vel bene cogitatum esse, vel bene dictum ab antiquioribus illis, quorum libros velut recte cogitandi scribendique legem et normam probamus, quod non sit variis modis imitata posteriorum sollertia. Cuius imitationis venustatem nec sentias, nec

†) Pag. 28.

*) Vide quae diximus Praef. ad Timaei Lex. Platon.

†) Pag. 29.

intelligas, nisi fontem, e quo profecta sit, cognoris. Thucydidis, ut hoc utar, reconditas exquisitasque sententias Hemsterhusius ita tritas notatasque habebat, ut, quid Polybius, quid Dionysius Halicarnassensis, quid Plutarchus, quid alii inde ad imitationem traxissent, e vestigio indicaret. Ex quo instituto quot quam praeclarae difficiliorum locorum et interpretationes natae sint, et †) emendationes, vel me tacente, intelligitur.

At qui tandem sunt illi scriptores, quos vir summus futuro critico maxime necessarios, quos legendos, quos ediscendos putabat? Quasi vero, dicet aliquis, nesciamus, criticos in poetis, oratoribus, grammaticis et historicis vitae velut tabernaculum collocare *).

Hic locus me admonet, ut iustum meum, vel Hemsterhusii potius, dolorem et querelam effundam. Veteres hoc humanitatis studium sapientissimo consilio tam late patere voluerunt, ut et mathematicas artes, et philosophiam

†) Pag. 30.

*) Cic. de Orat. III, 20. extr. *Neque tamen istis, qui in una philosophia quasi tabernaculum vitae suae collocarunt, multum sane in disputatione concedimus.* FR.

omnem complecteretur. Veterum auctoritatem secuti sunt viri immortales, qui seculis decimo quinto et decimo sexto, pulsa †) barbarie, pristinam bonis literis dignitatem restituerunt. Verum brevi post exorti sunt literatores, qui, finibus illis latioribus per summam ignaviam contrahendis, sibi servarent grammaticos, oratores, poëtas, historicos, valere iuberent mathematicos et philosophos. Sic humanitatis disciplina, rebus magnam partem ex ea sublatis, prope tota facta est disciplina verborum. Ex eo tempore philosophi eiusmodi literatores cum arte sua contemserunt: literatores de humaniorum literarum contemtione ad ravim usque *) declamarunt, ne illud quidem intelligentes, sua culpa literarum dignitatem concidisse. Hos si ad maiorum instituta revocare conemur, forsitan operam perdamus. Sed profecto, si rectis consiliis locum dare velint, una superest ratio, qua et literas et se-

†) Pag. 31.

*) Plautina formula est et leporis caussa a viro egregio huc translata. Praeter Plautum ab Apuleio aliquoties usurpata invenitur in simili argumento et dictionis genere. Respondet nostro: *sich über eine Sache heiser schreien*. LINDEMANN.

met ipsos a †) contemtu vindicare quecant. Revellant terrminos humanitatis, quos ignavia constituit, recipiant in artium chorum, quas inde eiecerunt, et, Hemsterhusii exemplo, literarum studium cum mathesi et philosophia coniungant *).

Geometria animum a sensibus ad ea, quae mente contuemur, intelligenda traducit, acuitque in vero iudicando. Et quisquam dubitabit, quin, qui hac disciplina ingenium subegerit, etiam in literis nostris, acutius cernat iis, qui nunquam attigerint pulverem eruditum? Hemsterhusio quid geometria profuerit, sciunt, qui vel scripta eius cognorint, vel sermones. Quicquid ex ore exibat, quicquid literis mandabatur, etiam in critico genere, facile prodebat ingenium adsuetum geometricae subtilitati. Nihil †) sumebat temere, sed a certó cognitis et perspicuis via et ratione progrediebatur ad ea, quae inde necessaria consecutione efficerentur.

‡) Pag. 32.

*) Lectu digna est ipsius Hemsterhusii oratio *de Mathematum et Philosophiae studio cum literis humanior. coniungendo:* ed. Friedemann. pag. 66. sqq. FR.

†) Pag. 33.

Sed alia quoque mathesis pars est, quam critico dedecori sit ignorare. Haec est astronomia, praesertim antiqua, sine cuius scientia nec Graeci, nec Latini poëtae, qui inde multa carminibus suis ornamenta petierunt, plane perfecteque intelligi possunt. Quo maius studium vir eximius ad eam cognoscendam attulit, nec, quamvis mitis et moderatus aliorum censor, sibi temperare poterat, quin suaviter rideret recentiores poëtarum interpretes, qui, ubi quid ex hac doctrina explicandum sit, vel turpiter haereant, vel in ioculareserrores labantur *).

†) Philosophiae studium eo flagrantius erat, quo magis ab ipsa natura ad illam impellebatur. Per eius vero partes omnes sic vagatus est, ut modo versaretur in sancto Pythagorae recessu, modo in Academia Platonis, modo in Aristotelis Lyceo, modo in Zenonis

*) Cf. Quinctilian. Institutt. Orat. I, 4, 4. *Tum nec citra musicen grammatice potest esse perfecta, cum ei de metris rhythmisque dicendum sit: nec si rationem siderum ignoret, poëtas intelligat; qui, ut alia mittam, toties ortu occasuque signorum in declarandis temporibus utuntur.* PR.

†) Pag. 34.

porticu, modo in hortis Epicuri, ubique cum admiratione quadam deprehendens permulta, quae aetatis nostrae vanitas audet ut recens inventa iactare. Plerique veteris philosophiae studiosi vel partem eius delibant, vel in locis amoenioribus, maxime in eo de moribus, commorantur. At Hemsterhusius ingenii sui magnitudini consentaneum iudicabat, etiam partem omnium difficillimam, quae metaphysicam complectitur, pervestigare. Nihil facile abstrusius reperias Platonis Parmenide, quo dialogo doctrina *de Ideis* explicatur. †) Ab eius lectione vir magnus semel, iterum, tertium idem abierat, qui venerat. Verum non prius conquievit, quam quarta lectione instituenda abditos philosophi sensus eruisset, ipsa difficultate non hebetante, ut fieri solet, sed acuente studium intelligendi. Nec satis habebat veteres cognosse, sed cum Platone Leibnitium, cum Aristotele Lockium, cum aliis alios coniungebat, ut, qui sermones cum illo de veteri philosophia contulisset, nihil nisi veteres, qui de recentiore, nihil nisi recentiores, legisse putaret. Ceterum in metaphysica quae vera certaque sint, et in

†) Pag. 35.

quibus firme consistere possis, apud veteres se reperisse omnia dicebat. Novarum opinionum subtilitatem ut facile agnoscebat, sic earum levitatem et inconstantiam vel hoc argumento demonstrabat, †) quod, quotiescunque novus metaphysicus existat, toties prior loco, quem tenuit, pellatur.

In variis autem veterum philosophorum familiis, earumque decretis cognoscendis, vehementer dolebat sortem historiae philosophicae, quae, tametsi criticis uberrimam ingenii exercendi materiam praebeat, tamen ad nullam dum criticam severitatem exacta sit, involantibus fere in illam, quasi in vacuam et caducam possessionem, compilatoribus, qui nec ingenio valeant, et literarum adeo rudes sint, ut e vitiosis antiquorum philosophorum versionibus sapere, et inde summam cuiusque disciplinae conficere cogantur *).

Quanquam ne gentium quidem historia,

†) Pag. 36.

*) Bruckerum hac reprehensione significari ait Bergmannus: illum enim in Ruhnken. dissertat. de Longino §. 3. diserte vocari *historiae philosophicae compilatorem*. FR.

†) cuius usus latius patet, meliore ipsi conditione esse videbatur. Haec quantum obscuritatis vel a vetustate, vel a scriptorum dissensione, vel ab aliis caussis traxerit, quam corrupta sit per partium studium, fraudem, superstitionem, et sciunt omnes, et fatentur. Veruntamen quotus quisque criticorum in hunc patentissimum campum excurrit? quotus quisque adhibet criticam, quasi veri obrussam? Signum ad hanc rem capessendam sustulerat Iosephus Scaliger in opere *de emendatione temporum*, et altero *Eusebiano*, utroque aeterno, sed laudato magis, quam lecto. At perpaucos, qui per eius vestigia ad eandem laudem contenderent, inventos scimus. Quo magis Hemsterhusius et ipse historiam critica ratione tractabat, et disciplinae suae alumnos ad eandem rationem †) amplectendam incendebat, exemplum, ad quod studium dirigerent, iis proponens severissimum reliquorum historicorum censorem, Polybium, cuius tanta admiratione captus erat, ut, si fieri posset, unum eius librum deperdi-

†) Pag. 37.

†) Pag. 38.

tum plaustris homiliarum SS. Patrum redimere vellet.

Antiquitatis eruditae, hoc est, Graecae et Romanae, studium non solum ad veterum scriptorum historiaeque intelligentiam referebat, sed etiam eo, ut ingenium, contuendis antiquae artis miraculis, acueret ad sensum elegantiae et venustatis, quae talibus operibus inesset. Nec quicquam vel cupidius, vel intelligentius spectabat, quam veteres gemmas, numos, vasa, anaglypha, statuas: cuius rei facultatem ipsi dabat soceri, †) Iacobi Wildii museum *), non paucas eius generis reliquias servans. Hanc animo insidentem pulcri et recti speciem ubi ad recentiorum artificum opera transtulisset, non temere reperiebatur, qui cum de pictura et statuaria nostrae aetatis, tum de architectu-

†) Pag. 39.

*) Singulari opere descriptum a Sigeb. Haverkampo, Amstel. 1741. cum antea ipse Wildius separatim deinceps edidisset Selecta Numismata antiqua, Amstel. 1692. Signa, ibid. 1700. Gemmas, ibid. 1703. Vid. Saxius Onomast. Liter. P. V. pag. 423. et VI. pag. 350. et cf. Broukhus. ad Tibull. III, 6, 2. Hemsterh. Praef. ad Polluc. pag. 43. et annot. ad Luciani Colloq. Select. pag. 79. BERGMAN.

ra; aliisque eiusmodi artibus elegantius iudicaret. Ac saepe mirabatur, oculos vulgo per pudendam negligentiam ad nullam rem erudiri, cum aliae corporis partes, quae minus sint praestabiles, et minus oblectationis animo praebeant, studiose excolantur, aures ad concentus musicos recte sentiendos, manus et pedes ad concinnum et liberalem motum edendum. Auctor igitur erat discipulis suis, ut lineari picturae, in qua artium, quas diximus, fundamenta sunt, mature operam darent.

†) Satis diximus de infinita rerum copia et varietate, quam mente complexus est Hemsterhusius. Verum ad rerum intelligentiam nullus aditus patet, nisi per exquisitissimam scientiam linguarum, Graecae praesertim et Latinae. Hic quid me attinet dicere, eum longa et accurata meditatione consecutum esse, ut Graecae linguae nativam indolem, proprietatem, et arcana omnia teneret? Notior res est et testatior, quam ut pluribus verbis explicanda esse videatur. Itaque complector brevi, et, non exaggerandae rei caussa, sed simpliciter et vere hoc dico, Hemsterhusium Graecarum

†) Pag. 40.

scientia literarum omnino omnes, qui inde a renatis literis excellenter in iis versati sint, ipsum etiam Isaacum Casaubonum, cui doctorum hominum consensus primas deferre solet*), longo post se intervallo reliquisse.

†) Quod si magna ingenia non nisi novarum rerum inventione metiamur, talem quoque sui mensuram vir summus, in hoc ipso linguarum studio, praebuit, inveniendа verissima originum Graecarum ratione, singulari linguae Graecae, adde et Latinae, praesidio et ornamento. Huius analogiae tanquam filo ductus, simplicissimas verborum formas, quae binis tribusve literis constarent, et una cum iis natas significationes indagavit, formas omnes et flexiones ad certam rationem revocavit, ex primariis notionibus secundarias, et consequentes elicuit, earumque non solum cognationem, sed etiam migrationes ostendit, commentitias anomalias, quibus grammatici omnia perturbassent, explosit, denique tenebras linguae per

*) Quinctil. Institutt. Orat. X, 1, 53. *Quamvis ei secundas fere grammaticorum consensus deferat.* De iis, quae statim sequuntur, cf. idem ibid. §. 51. FR.

†) Pag. 41.

tot secula offusas ita discussit, ut, qua lingua nulla est neque †) verbis, neque formis, copiosior, eadem iam nulla reperiatur ad discendum facilior. Sed huius rei subtiliorem et exemplis confirmandam explicationem non capit popularis scriptio. Gratulemur potius aetatis nostrae felicitati, quae, quod maiores nostri optarunt magis, quae sperarunt, id non tantum in Graecis, verum etiam in Orientalibus, uno tempore et inchoatum et consummatum vidit. Etenim quod analogiae lumen Hemsterhusius linguae Graecae, id eodem tempore Orientalibus intulit Hemsterhusii civis, aequalis, condiscipulus, collega, amicus, unicus literarum, quas profitebatur, vindex, Albertus Schultensius.

Hic forsitan dicat aliquis eorum, qui nolunt eundem hominem pluribus rebus excellere *): sit sane ita: habuerit Hemsterhusius †) Graecarum literarum scientia parem neminem. At Latinarum certe regnum penes alios est. Ego vero non dubitem contendere, eum

†) Pag. 42.

*) Cic. Brut. 21, 84. *Sed est mos hominum, ut nolint eundem pluribus rebus excellere.* FR.

†) Pag. 43.

Latine doctissimos non solum aequasse, sed, quod adiumenta quaedam haberet, nec cognita illis, nec usurpata, superasse. Recte vir magnus statuebat, Latinam linguam Graecae sic aptam et nexam esse, ut, qui alteram ab altera distrahat ac divellat, animi et corporis discidium inducere videatur. Quod cum sibi idoneis rationibus persuasisset, eandem Latinae, quam Graecae, operam dedit, atque adeo, quoniam eius proprium erat, nihil mediocriter scire, talem Latinae, qualem Graecae, facultatem consecutus est. Dicam, quod sentio, et, ut arbitror, dicam vere. Latinae linguae origines nemo mortalium ante Hemsterhusium recte †) cognovit. Viderant Varro et alii Romani, multa ex lingua Graeca in suam venisse. Aliquanto plura, quorum origo veteres fefellisset, ex eadem lingua repetierunt Scaliger et Salmasius. Sed adhuc dubia lux erat. Enimvero, inventa Hemsterhusii ingenio Graecae linguae analogia, simul etiam Latinae ratio diluxit, patuitque clarissime, quod pauci magis suspicati erant, quam intellexerant, totam fere Latinam linguam ab

†) Pag. 44.

Aeolica fluxisse. Restat, fateor, pars quaedam, quae invecta aliunde videatur. Verum aut fallor, aut exorietur aliquando vir doctus et ingeniosus, qui, Hemsterhusiana analogia adiutus, eam quoque partem ad Graecam ori ginem revocet, planissimeque demonstret, omnem Latinam linguam pulcrae matris Graecae pulcram filiam esse*).

†) Sed mittamus origines. Quantum Hemsterhusio praesidii esse debuit in Graecae linguae scientia ad Latinos scriptores rectius intelligendos? Constat inter omnes, scriptores, quos diximus, maxime poëtas, Graecam

*) Hoc nunquam fiet. Certo enim certius est, bonam partem vocum Latinarum originem suam non Graecae linguae, sed Germanicae cuidam dialecto, omni Germanorum nomini priori, debere. Cf. Daumius *de caussis amissarum quarumdam linguae Latinae radicum* cet. Cygneae 1642. [repet. in Graevii Syntagm. var. dissertatt. rarior. pag. 447. sqq.] Praschius *de origine Latinae linguae Germanica*. Ratisbonae 1686. Qui viri quod inchoatum reliquerunt non dubito fore, ut mox doceatur perfectius. LINDEMANN. — Caeterum haec verba Ruhnkenii legentibus facile occurrat Horatii (Carm. I, 16, 1.) versus:

O mater pulchra filia pulchrior. FR.

†) Pag. 45.

formam singulis prope verbis expressisse, et innumerabiles lepores veneresque ex Graecis fontibus nunc apertius, nunc occultius derivasse. Nec M. A. Muretus *) dicere dubitavit, *eos, qui Graeci sermonis expertes sint, ne Latine quidem scripta penitus percipere posse.* Iam si cogitatione tibi fingendus sit harum elegantiarum interpres, an doctiorem Hemsterhusio reperias? Ipse vir summus sese in Latinis intelligendis sic a Graecis adiuvari sentiebat, ut interdum negaret, poëtas eos, qui se totos ad Graecorum imitationem contulissent, nominatim Propertium †) et Horatium, Graece imperitis valde placere posse. Adeo multa, quae venustissima et exquisitissima sint, eorum sensum intelligentiamque fallere. Omnibus igitur modis bene a maioribus constitutam rationem, qua utriusque linguae studium coniungeretur, tuebatur, ab

*) Var. Lect. II, 20. *Iam pridem enim persuasum esse existimo omnibus, qui versantur in literis, sine Graeci sermonis cognitione mancam omnem ac mutilam esse doctrinam, et qui eius expertes sint, ab iis ne Latine quidem scripta penitus percipi.* FR.

†) Pag. 46.

eaque non semel descitum esse vehementer dolebat. Sub ipsa Academiae incunabula Leidae bonas literas docuit Iustus Lipsius, perfectus literis Latinis, Graecarum mediocriter peritus. Is dicere ausus est, Graecas literas homini erudito decoras esse, necessarias non item. Quod stultissimum dictum Isaaco etiam Casaubono *), quo non fuit lenioris naturae criticus, vehementer bilem †) movit. Sed bonum factum, quod tam perniciosa literis opinio nullas radices egit. Mox enim tanquam coelo missus Iosephus Scaliger, cui Batavi prope omnem rectum ingenii cultum, quem ex eo tempore ceperint, si grati esse velint, acceptum referre debent, Scaliger igitur cum ceteras ingenuas artes, tum Graecas literas, earumque cum Latinis coniunctionem, in his regionibus fundavit. Scaligerana disciplina per Grotios, Heinsios, Gronovios, Graevios, et alios usque ad patrum nostrorum memoriam propagata est. Tum rursus plerique literatores, Graecis vel neglectis, vel

*) Vide Casauboni Epistol. 291. et 294. et Lipsii Epist. 356. in Syllog. Burm. Tom. I. pag. 376.

†) Pag. 47.

leviter delibatis, in unis scriptoribus Latinis habitare coeperunt. Altero igitur Scaligero opus erat, qui Musas Graecas fugam parantes sisteret, atque iterum cum Latinis artissimo foedere consociaret. †) Is fuit Hemsterhusius, quo bonarum literarum tutelam suscipiente, brevi tanta rerum commutatio facta est, ut Athenae in Bataviam commigrasse viderentur, nec tamen quicquam de summo Latinarum literarum studio remitteretur.

Sed Latine quam doctus fuerit Hemsterhusius, etiam scribendi genus declarat, purum, emendatum, luminibus frequens, bene vinctum, inprimisque proprietatis studio et verborum delectu commendandum. Una orationi facilitas deest, non comparanda illa, nisi saepe multumque scribendo: cuius rei facultatem raro dabat Graecarum literarum Professio. In iuvene, velut in laetis herbis, se profundebat luxuries quaedam, quam postea ratio et anni depaverunt *).

†) Pag. 48.

*) Cic. de Orat. II, 23, 96. *Multo eius oratio esset pressior; in qua nunc interdum, ut in herbis rustici solent dicere, in summa ubertate inest luxuries quaedam, quae stilo depascenda est.* FR.

†) Hactenus virum egregium vidimus Graeciae Latiique monumenta ita tractantem, ut nunquam illa de manibus deponeret. Quo studio quantas eruditionis opes sibi comparit, supervacuum sit dicere. Eas cum primum in animadversionibus ad Lucianum protulisset, homines eruditos in stuporem et admirationem rapuit, expressitque omnibus confessionem hanc, ut dicerent, nihil simile ullam aetatem in hoc genere vidisse; magnam quidem copiam in Salmasii libris esse; sed ibi temere sacco fundi *), hic omnia cum acerbo delectu, prope in mathematicorum modum, explicari.

Atque his cum ingenii, tum eruditionis fundamentis, tam firmis, tam alte positis, tandem Hemsterhusius verae et legitimae critices velut aedificium superstruxit. †) Sed critica disciplina quomodo usus sit, non alienum fuerit, eruditae iuventuti, quae eius vestigia persequi studeat, paucis exponere.

†) Pag. 49.

*) Proverbiale est, ductum de Graeco Corinnae:
Τῇ χειρὶ σπείρειν, μηδ' ὅλῳ τῷ θυλάκῳ. FR.

†) Pag. 50.

Cum scriptori sive Graeco, sive Latino crisin suam impertire constituisset, primum iustam cum eo familiaritatem contrahebat, hoc est, cum res ipsas, tum verba, similibus locis inter se comparatis, quanta maxima fieri poterat diligentia, cognoscebat, recte iudicans, suî quemque scriptorem optimum interpretem esse, et, qui non saepius totum scriptorem uno tenore legisset, eum in emendando explicandoque turpissime labi. Tali notitia contracta, omnia ad certam rerum, sermonisque normam exigebat, difficilis, suspicax, semper verens, ne quid sibi fallaciae vel a librario, †) vel ab interpolatore strueretur. Tametsi quis poterat fallere illum sensum et natura sagacissimum, et multo literarum rerumque usu callidissimum? Tenebrio nobili scriptori foetum suum subiecerat? Statim fraudem certis vestigiis tenebat. Versificator magnorum poëtarum versibus furtim interposuerat suos? Spurios obelo configebat. Librarius lectionem corruperat, vel sciolus corruptam fucarat? In promtu erant omnes veri indagandi viae.

†) Pag. 51.

Sed, quamvis summam ingenii fiduciam habere potuisset, tamen Codicum MSS. fide inprimis nitebatur, et, quod huius disciplinae expertibus mirum videatur, ex eorum vel contaminatissima scriptura pulcerrimas lectiones eliciebat. Nosse modos permutandorum in libris †) priscis verborum, utile putabat; posse enim tardiora ingenia talibus adminiculis sublevari: sed nimiam in his diligentiam contemnebat, docens hoc etiam argumento, parum inde utilitatis redire, quod, ut quisque plurimum operae in librariorum aberrationibus notandis posuisset, iisque margines librorum opplevisset, ita nullam magnopere critices laudem tulisset. Vero critico vim ipsius sententiae, et sermonis proprietatem bene perspectam, facile id, quod res postulet, suppeditare. Hic etiam locum habere illud Asinii Pollionis: *Male eveniat verbis, nisi rem sequantur* *): vel illud Horatii, ex Asiniano expressum:

†) Pag. 52.

*) Legitur in vet. Schol. ad Horat. a Iac. Cruquio ed. pag. 633. (Plantin. Rapheleng. a. 1611.) Locus Horatii est in Art. Poet. vs. 311. FR.

Verbaque provisam rem non invita sequentur.

†) Sed duos inprimis scopulos, multorum naufragiis infames, et ipse fugiebat, et alios, ut fugerent, monebat, temeritatem et superstitionem. Furorem iudicabat, quod non intelligas, statim urere et secare; amentiam, aegri capitis somnia *) in contextum invehere, abolita veterum librorum scriptura. Nam, si hoc modo grassari liceret, brevi futurum, ut calamitas, quam Gothi et Vandali bonis libris importassent, prae hac levis et tolerabilis videatur. Iccirco in locis desperatis, ubi nulla ratio esset difficultatis expediendae, medicinam ab integrioribus libris exspectandam, et omnino nihil in contextu, nisi vetustarum membranarum auctoritate, movendum censebat, ne Bentleio quidem veniam dans licentiae, quam sibi sumsit in Manilio recensendo.

†) At vero, qui nullum audaciae locum daret, non minus repudiabat anilem religio-

†) Pag. 53.

*) Cf. Horat. Art. Poet. vs. 7. FR.

†) Pag. 54.

nem, quae se imperitis modestiae nomine commendare audet, et semper vulgatae, quamvis futilis et absurdae, lectionis patrocinium profitetur. Sed quae, malum! est lectio, quam tantopere iactant, vulgata? Num ex vetustis et spectatae fidei libris profecta? Num certis emendandi legibus constituta? Minime. Illa est *), quam in suo quisque libro reperit; quae, ut aliquando veteres et bonos codices auctores habeat, saepius tamen e libris vitiosis et interpolatis, immo ex editorum coniecturis, fluxit. Adeo, quid defendant, non intelligunt homines inepti.

†) Sunt alii, faciliores illi quidem in lectionibus, quae e membranis ducantur, admittendis, sed iidem in criticorum emendationibus probandis difficiles et duri. Qui cum, periculo facto, senserint, se non esse eos, qui in critica ratione excellere possint, in eam partem deferuntur, ut omnium locorum, qui ingenio tententur, se vindices ferant. Ac temerarios quidem confidentium ingeniorum

*) Vide Cl. Ernestum Praef. ad Tacitum.

†) Pag. 55.

impetus refutari, veterumque scriptorum monimenta sarta tecta conservari, quis, qui bonas literas amet, non vehementer gaudeat? Verum in hoc tam salutari instituto frequentius obtrectatio, quam aequitas et veri studium, versatur. Nec obscurae sunt talis iniquitatis caussae. Nam, ut sumus homines, quanto praestabilior et magis expetenda †) ingenii laus est, tanto impensius ei invidemus. Illi igitur, cum facile sentiant, sese, si laus omnis ingenii felicitati tribuatur, iacere, et vix honestos esse posse, statim se parant ad criticorum inventa ratiunculis quibusdam convellenda, moliuntur, sudant, misere se torquent, ut loco depravato potius qualemcunque sensum affingant, quam felix in vero reperiendo ingenium laudent. Ex qua obloquendi libidine, incredile dictu est, quot quam durae et contortae vitiosorum locorum interpretationes manarint; si interpretationes dicendae sunt, quae scriptorem nescio quas ineptias dicere cogant. Tales vindicias, tantum aberat, ut Hemsterhusius probaret, ut illis doctam aliorum audaciam praeferret. Sed

†) Pag. 56.

longe optimum †) et tutissimum censebat, medium sequi, quod tum a temeritate, tum a superstitione esset seiunctum.

Etsi vero vir magnus, usu sensuque edoctus, praeclare sciebat, Icaris non esse aptandas alas, hoc est, iuvenes non temere ad criticam adducendos esse, tamen sagacioris indolis adolescentes mature huius artis veluti gustu quodam imbuebat. Quorum vires, ut erat acer et perspicax ingeniorum existimator, ante sic explorabat, primum, ut eos iuberet cogitate meditateque legere illustrem aliquem veteris scriptoris locum, v. c. Livianam praefationem, vix imitanda arte conscriptam, et post, quid in tali loco maxime animum pepulisset, quid maxime placuisset, sibi referre. Tum, ubi linguae scientiam et pulcri sensum †) sibi probassent, in scriptore, ad talis aetatis captum accommodato, locum demonstrabat, qui vitium haberet nemini animadversum, idque investigare iubebat. Reperta corruptela, quam reperire interdum dif-

†) Pag. 57.

†) Pag. 58.

ficilius est, quam corruptis mederi, praesertim ubi mendosa scriptura tolerabilem, nec a re abhorrentem sensum efficiat; sed reperta corruptela, lene et blandum ab ingenio remedium postulabat. In quo ut eos, qui nullum dum critices usum haberent, sublevaret, ipse interdum vias quasdam, quae ferre ad verum inveniendum possent, indicabat. Si rem acu tetigisses, candide plaudebat sollertiae tuae, et acerrimum laudis stimulum adhibebat: sin minus, suam ipse emendationem promebat, ut quaerendi et coniectandi finis fieret. Hac ratione usurpanda vir summus †) non solum discipulis suis facultatem dabat critices cognoscendae, sed eosdem etiam consuefaciebat in legendo iudicii severitatem adhibere, et semper animum, quid intelligat, quid minus, interrogare. Et miramur, ex eius disciplina plures acutioresque criticos, quam e cuiusquam ante illum, prodiisse? Nolim singulos ambitiose commemorare. Facile, qui sint, velut propria quadam nota, intelligendi et iudicandi subtilitate cognoscuntur. Unum tamen silentio praeter-

†) Pag. 59.

ire non possum, germanum inprimis Hemsterhusii discipulum, L. C. Valckenarium. Hic enim, quam a magistro accepit disciplinam, ante Franequerae, nunc Leidae, ita tuetur et propagat ingeniis feliciter formandis, ut, Hemsterhusio de vita sublato, nunquam defuturi sint, qui literas Hemsterhusiana †) ratione colant. Hic utriusque linguae analogiam, quam vir immortalis impertiit quidem discipulis, sed literis mandare neglexit, ita quasi per manus tradit aliis, ut, etiam si nemo illam literis prodat, tamen ad seram posteritatem perventura videatur.

Quemadmodum vero aliis disciplina, sic aliis profuit salubri consilio suppeditando. Libenter et ingenue fateri solebat vir summus, P. Wesselingius, hunc sibi studiorum recte instituendorum auctorem fuisse. Is Hemsterhusio collega datus, non prius Franequeram, quam in intimam eius amicitiam venit: quae ex illo tempore tam sancte et constanter culta est, vix ut aliud par amicorum coniunctius vixerit. Erat iam tum in Wesselingio magna et incredibili studio parta

†) Pag. 60.

†) doctrinae copia, sed aversus a critica ratione animus. Verum cum Hemsterhusius ei crebris sermonibus demonstrasset, nullam eruditionem, quamvis variam et copiosam, esse veram et accuratam sine critica disciplina posse, totam studiorum rationem commutavit, et post illa ipsa arte, quam ante oderat, nomen suum immortalitati commendavit.

Paullo ante de ea critices parte, quae in depravatis corrigendis versatur, quantum satis est, disputavimus. Sed eiusdem etiam artis est, veterum scriptorum obscuros sensus aperire: in quo, praeter vim iudicandi, maxime cernitur illa nullis circumscripta terminis eruditio. In hac autem interpretandi ratione, quanquam alio modo, non minus vulgo, quam in illa emendandi, peccatur. Saepe †) et Hemsterhusii et aliorum querelas audivimus, cum dicerent, scriptorem, quem quis interpretum enarrandum suscepisset, onerari iis, quae ad quemvis alium scriptorem scribi possent, explicari, quae nemo sibi explicari velit, in difficilioribus destitui lecto-

†) Pag. 61.

†) Pag. 62.

res, res et sententias negligi, nihil nisi loquendi formulas enarrari, et ne illarum quidem notiones ad normam, quam perfectus criticus, I. F. Gronovius dedisset, distincte et enucleate tradi, sed temere misceri et confundi. Hemsterhusius vero ipsum scriptoris argumentum amplexus, obscuriorum locorum tenebras modo ex historia et antiquitatis memoria, modo ex temporum ratione, modo ex interiore philosophia, modo ex aliis artibus dispellebat: fontes, unde quidque haustum esset, locos aliorum auctorum, †) quos scriptor, quem tractaret, vel imitando expressisset, vel in transitu respexisset, demonstrabat: exquisitior verbi aut formulae vis si enarranda esset, non ille diversarum significationum, ut ita dicam, confinia confundebat, sed tenuissima et aliorum sensum fugientia discrimina tam perspicue accurateque definiebat, ut in his etiam geometricam elegantiam facile cognosceres.

Animadversiones, quas scripsit, habent beatam quandam et felicem rerum ubertatem.

†) Pag. 63.

Nec tamen quicquam in illis alieni est, vel longius arcessiti. Omnia et apte et suo loco dicuntur; ut mirari subeat, tam longas animadversiones scribi potuisse. Sed talis copia facilis erat ei, qui omnes interiores Graeciae Latiique recessus teneret. Ne multa: habent †) eius commentarii in Aristophanem, Lucianum, Xenophontem Ephesium, Hesychium, Thomam Atticistam, alios, verissimam bene interpretandi disciplinam, qua non extat exemplum perfectius. Quo vehementius et iustius dolemus, Coam Venerem, Lucianum dico, ab eo non esse absolutam *), omninoque pauciora, quam exspectare par erat, ex tam perenni et inexhausto doctrinae fonte ad communem utilitatem permanasse.

Huius rei quae caussae fuerint, cum saepenumero quaeri soleat, videor mihi reperisse has duas. Primum vir summus tanto legendi meditandique studio tenebatur, vix ut inde avelli posset, et ad ea, quae per nimis multa, ut nobis quidem videtur, adver-

†) Pag. 64.

*) Vide indicem Operum Hemsterhus. FR.

sariorum volumina †) sparserat, digerenda traduci. Ne ipse quidem diffitebatur, se ad labores, praesertim iussos, quibus sibi liquida illa meditandi voluptas eriperetur, paulo esse tardiorem. Deinde cum nihil, nisi quod omnibus numeris expletum esset, a se exire vellet, maiorem posteritatis, quam aetatis suae, ducens rationem, lapsus est, ut fere solent excellentissimi quique artifices, in quandam calumniam sui, ut, quantumcunque adhibuisset curae et studii, tamen nihil satis putaret. Ita, quod Plinius *) de Protogene, pictore, dicit, *in summa artis intentione minor erat fertilitas.* Huc accedebat, quod, quamcunque rem tractandam sumsisset, eam ita excutere, et cum pulvisculo exhaurire studeret, ut, qui posthac idem agere institueret, omnem ††) sibi materiam praereptam fateretur. Quibus de causis memoriae suae, fidissimo ceteroquin omnium, quae semel legisset, audivissetve, cu-

†) Pag. 65.

*) Hist. Nat. 35, 10, 20. *Summa eius paupertas initio, artisque summa intentio, et ideo minor fertilitas.* FR.

††) Pag. 66.

stodi, irasci solebat, si vel leve quiddam, quod eodem pertineret, sibi post editum librum suppeditaret.

Fuerunt, quibus in Luciano ornando nimis cunctatus videretur: a quibus petimus et quaesumus, ut eius cunctationem comparent cum alterius, qui post ad eumdem scriptorem edendum accedere ausus est, festinatione. Reperient profecto, illum cunctando rem restituisse *), hunc festinando perdidisse.

Ille autem tot vigiliarum et tot annorum fructus si minus publice apparuit, †) non tamen iccirco vel exiguus esse, vel periisse existimandus est. Nam vix ullus sive Graecus sive Latinus scriptor est, in cuius margine non tales emendationes, quales a principe criticorum proficisci par erat, notarit. Pleni sunt castigationum, ut paucorum recensione defungar, Aristophanes **), orato-

*) Nota sunt verba:

— — *Tu Maximus ille es,*
Unus qui nobis cunctando restituis rem.

Notum itidem, a quo acceperit Virgilius. FR.

†) Pag. 67.

**) Passim commemorantur Hemsterhusii emendationes et animadversiones ineditae, ab eius discipulis Valcke-

res Attici *), Theocritus, Apollonius Rhodius **), Harpocration: pleni ex poëtis Latinis, Propertius, Manilius ***), Valerius Flaccus. Hinc igitur praesidia, hinc ornamenta editionibus a se curandis petant critices studiosi. Neque verendum est, ne talis thesaurus in dominos literarum rudes incidat, aut dissipatus pereat. Adhuc illum integrum servat Franciscus Hemsterhusius, unus ex tribus filiis superstes, paterni ingenii, animi, et oris imago, qui †) philosophiam et mathematicas artes cum antiquitatis eruditae scientia ita coniunxit, ut, qua illarum magis excellat, difficile sit existimare.

naerio, Ruhnkenio, aliis: in Aristophanis quidem Scholiastam emendatio exstat in illius Diatr. Eurip. pag. 131.
BERGMAN.

*) Speciminis loco conferantur, quae attulimus ad Isocrat. Areopag. pag. 9. et 71. BERGMAN.

**) Vid. Ruhnkenii Epist. Crit. II. pag. 190. sq. sive Opusc. Tom. II. pag. 600. 601. sq. Ex alio genere sunt, quae protulit ibid. Ep. Cr. I. pag. 68. et II. pag. 214.: posteriore quidem loco ex Hemsterhusii *Schediasmate* inedito *de verborum formis Doricis, Laconicis*, caet.
BERGMAN.

***) Exemplum exstat in Ruhnk. Praefat. ad Schelleri Lex. pag. VIII. voc. *Exarmo*. FR.

†) Pag. 68.

Sed idem inusitata liberalitate totum illum thesaurum Bibliothecae publicae Leidensi, post fata sua, donare constituit, iam nunc fidem suam per me omnibus ita astringens, ut haec publica voluntatis declaratio testamenti vim habere possit *). Sic facere decebat filium, qui nobis patrem cum aliis virtutibus, tum animi magnitudine reddit.

Satis multa de Hemsterhusii ingenio et doctrina diximus. Nunc animum contemplemur, utrique facultati vel parem, vel superiorem. Nec alienum est, qui critici nostri animus et mores fuerint, †) quaerere, praesertim cum de criticorum moribus ea inveteraverit opinio, ut nullum eruditorum genus ferocius, truculentius, magisque contentiosum habeatur. Equidem negare non possum, tales et olim fuisse, et fortasse etiam nunc esse. Addo etiam, ridiculas istorum pugnas de verbis et parvi

*) Vix cuiquam credibile esse ait Lindemannus, quot veterum scriptorum exemplaria, plena doctissimarum observationum marginalium, summorum ex omni aetate virorum manibus scriptarum, in Leidensi bibliotheca publica asserventur. Asseverare idem, qui id facillime nosse possint. FR.

†) Pag. 69.

momenti rebus criticam non leviter infamasse. Veruntamen quis tam iniquus iudex est, ut hominum vitium ad artis contemtionem trahat? Nisi vero iurisprudentia contemnenda est, quod inter iurisconsultos rabulae, aut medicina, quod inter medicos circulatores reperiuntur. Nolim huius opinionis levitatem cum pari coniunctam iniquitate, pluribus verbis refellere. Sunt Hemsterhusii mores optima criticorum apologia. Cuius enim †) famam et existimationem ille unquam scriptis suis laesit? Cuius dissensionem, in tanto doctrinae fastigio, non facile ac leniter tulit? Ne tum quidem, cum res et locus postularent, superbiam maximis meritis quaesitam sumsit *). Quid? tantum abfuit, ut aliorum errores exagitaret, ut stultitias etiam patientius ferret, quam necesse videretur. Erat theologus, qui saepe in circulis, ipso praesente, Pindaros, Sophocles et Demosthenes, quos nunquam legerat, loqueretur, eosque velut in lance positos modo tolleret iudi-

†) Pag. 70.

*) Horat. Carm. III, 30, 14.
— *Sume superbiam*
Quaesitam meritis. FR.

cio suo, modo deprimeret, omninoque, ut in Latinorum proverbio est, spectante Roscio, gestum in scena ageret *). Cum Ioannes Albertus, et ceteri, qui aderant, intentis in Hemsterhusium oculis exspectarent, ut hominis vanitatem et †) impudentiam comprimeret, ille ne verbum quidem. Cur enim, dicebat, hunc minus patiar ingenio suo frui, quam alios, coram me et Schultensio, in pari inscitia, de pulpitis iactantes Graecarum et Orientalium scientiam literarum?

Sed non est, quod magnopere miremur aut aliorum intolerabilem fastum et superbiam, aut huius amabilem humanitatem. Illi enim ex his studiis nullum, nisi eruditionis, fructum petunt: cuius vis quae potest esse in animum et mores? Hic non unam eruditionem, sed inprimis vitae et morum elegantiam, omninoque veram sapientiam inde sibi hauriendam ducebat. Ac morum quidem venustas non so-

*) Cic. de Orat. II, 57, 233. *Soleo saepe mirari eorum impudentiam, qui agunt in scena gestum, spectante Roscio. Quis enim sese commovere potest, cuius ille vitia non videat?* Cf. quae dixi ad Vol. II. pag. 205. FR.

†) Pag. 71.

lum per eius libros fusa †) est, sed etiam in sermonibus, omnibusque vitae actionibus ita lucebat, ut non tam sibi et Musis vixisse, quam inter fortunatos beatosque homines aetatem egisse videretur. Sermo familiaris etsi tam accuratus et eruditus erat, ut meditatum diceres, tamen nihil habebat affectationis molestae. Immo haec gravitas temperabatur incredibili humanitatis festivitatisque condimento. Nam et ipse naturae vi abundabat sale atque urbanitate, et praeterea omnem leporum et facetiarum florem ex antiquis et novis scriptoribus libarat. Itaque vix alium ex eruditorum ordine vidimus, cuius consuetudo a principibus etiam viris impensius expeteretur. Non habet patria proceres illustriores, prudentiores, et bonis artibus ad omnem humanitatem magis †) excultos, quam fratres, Guilielmum et Carolum Bentinckios. Atqui illi fateri et prae se ferre non dubitant, se nunquam, nisi meliores aliqua parte et doctiores, ab Hemsterhusio discessisse. Ac nescio, maiorine gloriae sit Hemsterhusio,

†) Pag. 72.

†) Pag. 73.

Bentinckiis placuisse, an Bentinckiis, Hemsterhusii virtutes intellexisse.

Animus eius erat, qualem esse oportebat tot sapientum praeceptis conformatum, unius verae et solidae virtutis admirator, contemtor rerum fluxarum et humilium. Roboris quantum in eo fuerit, hoc documento cognoscere licet. Venerant ad eum Franequeram nobilissimi e primaria gente Wassenaria hospites, biduum hilare sumturi *). Cum omnes †) accubuissent, animis ad laetitiam remissis, ecce, literis fit certior, filium summae spei, Iacobum, qui sibi decus ex militia navali petebat, procul a patria morte immatura periisse. Quid ille? Vultu nihil mutato seponit literas, simulat hilaritatem, acerbissimumque dolorem per biduum pectore premit, quod iucunditatem, cui se hospites dederant, muliebri et nihil profutura eiulatione contaminari nolebat. Tali constantia germanus ille

*) Terent. Adelph. II, 4, 23.
— *quando hoc bene successit, hilare hunc sumamus diem.*

Cf. Bentl. FR.

†) Pag. 74.

Socraticae disciplinae alumnus, Xenophon, nuntiata inter sacrificandum filii Grylli morte, luctum distulit, dum solemne sacrificium peregisset *).

Ostentationem et inanem pompam oderat cum in reliqua vita, tum in docendo; ut exteri, qui ad eius lectiones †) venissent, vix crederent, hunc esse illum Hemsterhusium, de quo tot ac tanta praedicari audivissent. Famae et magnae de se opinionis prope negligens erat, minime omnium curans plausum vulgi, cui propterea paene ignotus vixit. At quo minus gloriam venabatur, eo magis ad eum sponte veniebat **). Quis enim nescit,

*) Narraverunt Plutarch. Consol. ad Apollonium pag. 118. F. sq. (Wyttenb. Tom. I. pag. 466. sq.) Aelian. Var. Hist. III, 3. Diog. Laert. II, 54. Ioann. Stob. Serm. VII. et CVI. Ioh. Chrysost. in Iohann. Homil. 62. (Tom. VIII. pag. 373. D. ed. Montfaucon.) Valer. Max. V, 10. ext. 2. Dia ante Xenophontem idem, nunciata Androgei filii morte, fecisse dicitur Minos. Vid. Apollodor. III, 15, 7. Simile quid de Dione, Platonis discipulo, narrat Aelian. Var. Hist. III, 4. Cf. etiam Hieronymus in Epitaph. Nepotiani ad Heliodor. pag. 268. (Tom. IV. Part. II. ed. Ioh. Martianay.) FR.

†) Pag. 75.

**) Similis in hoc erat Catonis Sallustiani (Catil. cap.

omnes omnium gentium eruditos una voce, una sententia regnum in literis ad ipsum detulisse?

Prudentia, dubito, an unquam maior et praestantior fuerit in ullo homine erudito. Credebat Epicharmo, nervos et artus prudentiae esse, non temere credere *), tenebatque, si quis alius, artem difficillimam tacendi suo tempore, et loquendi. In consilio capiendo cautus, †) consideratus, et, si quaeris,

54.) quem, *quo minus gloriam petebat, eo magis sequebatur.* FR.

*) Apud Stobaeum Serm. III. Tom. I. pag. 104. ed. Lips. (Gaisf.)

Νᾶφε, καὶ μέμνησ' ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.

quae verba Grotius sic reddidit: *Vigila, neu quid temere credas; nervi hi sunt prudentiae.* Nos: *Wach' und lerne, nicht zu trauen; denn dies ist der Klugheit Nerv.* Caeterum *Epicharmeum illud μέμνασ' ἀπιστεῖν*, (verbis utor Wyttenbachii in Vita Ruhnk. pag. 259. ed. LB.) *in quo Hemsterhusium tantopere laudabat, ipse non satis tenebat; facile aliorum sermonibus credebat; promissa sibi, quamvis ab hominibus minime certis facta, atque adeo speciem promissorum in amicis, uberius interpretabatur, datae fidei et iurisiurandi instar censebat. Plane in eo apparebat Demosthenis dictum: ὃ γὰρ βούλεται, τοῦθ' ἕκαστος καὶ οἴεται.* FR.

†) Pag. 76.

lentus: quippe omnes in utramque partem rationes videbat, et magno iudicio ponderabat: sed idem, ubi semel quid decrevisset, constans et firmus. Alienus a suspicionibus: sed idem latebrarum, quae in animis hominum sint, sagacissimus explorator.

Sed prudentia, quae vitam privatam attingit, si in eo summa et singularis fuit, forsitan minus mirum videatur. Unde vero ille, qui nullam reipublicae partem attigisset, tantam hauserat rerum civilium scientiam? Nempe cum eam non experiundo sibi comparare posset, usus et experientiae vicariam adscivit philosophiam, inprimisque omnis priscae et recentioris aetatis historiam. Ex qua †) virtute Academia Batava uberrimum fructum tulit. Nactus enim amplissimum theatrum, in quo civilis illa prudentia spectaretur, foederatorum Belgarum historiam nova et inusitata ratione tradere coepit. Indagabat veras caussas, ex quibus res gestae penderent, remotis simulationum involucris, quibus tegerentur; consilia principum et populorum cur bene, cur secus cecidissent, explicabat;

†) Pag. 77.

quid expetendum, quid fugiendum esset, demonstrabat; efficiebatque adeo, ut disciplina sua prudentiae civilis magistra et esset et haberetur. Inprimis heroum Batavorum ingenia et mores tanto artificio pingebat, ut non literarum Professorem, sed Polybium aut Tacitum cathedrae impositum dixisses.

†) Tali ingenio, doctrina et sapientia fuit Hemsterhusius, cuius similem criticum nos haud vidimus; posteri ut videant, bonarum literarum caussa vehementer optamus.

†) Pag. 78.

INDEX OPERUM
TIBERII HEMSTERHUSII

---

1. Iulii Pollucis Onomasticum. Graece et Latine. Post egregiam illam Wolfgangi Seberi ed. denuo emendatum, suppletum, et illustratum. Praeter W. Seberi notas acced. commentar. Gothofr. Iungermanni, Ioach. Kuehnii. Omnia contulerunt ac in ordinem redegerunt, varias lectt. et suas notas adiecerunt, editionemque curaverunt Ioh. Henr. Lederlinus et post eum Tib. Hemsterhuis. Cum indicibus novis iisque locupletissimis. Amstelaedami 1706. 2 Voll. Fol.
2. Luciani Colloquia selecta et Timon. Cebetis tabula. Menandri sententiae morales. Graec. et Lat. Lucianum notis illustravit Tib. Hemsterhusius. Amstel. 1708. 12. ibid. 1732. 12. Lugd. Bat. 1777. 12.
3. Notae et emendationes ad Xenophontem Ephesium; in Misc. Obss. in auct. vett. et recentiores Vol. III. IV. V. VI. Amstel. 1733—1735. (Habentur etiam in edd. Locellae ac Peerlcamp.)
4. Emendatio Io. Meursii in oratione Lysiae *κατὰ Παγκλέωνος, ὅτι οὐκ ἦν Πλαταιεύς,* reiecta et confutata; in Miscell. Observatt. Vol. VII. Tom. III. pag. 317—328. (Vid. Valcken. ad Herodot. IV, 145. extr.)
5. Adnotatt. ad Io. Chrysostomum; in Raphelii adnotatt. ad N. T. Tom. II. extr. pag. 77. sqq.
6. Luciani Samos. opera. Cum nova vers. Tiber. Hemsterhusii et Io. Matth. Gesneri, Graecis scho-

liis ac notis omnium proximae edit. commentatorum, additis Io. Brodaei etc. aliisque ineditis, ac praecipue Mos. Solani et I. M. Gesneri. Tom. I. cuius priorem partem summo studio curavit et illustravit Tib. Hemsterhusius. Ceteras inde partes ordinavit, notasque suas adiecit Io. Fred. Reitzius. Amstel. 1743. 4.

7. Aristophanis comoedia Plutus. Adiecta sunt scholia vetusta. Recognovit ad vett. membran., variis lectt. ac notis instruxit et scholiastas locupletavit Tib. Hemsterhuis. Harlingae 1744. 8. (Edit. novam, appendice auctam, curavit G. H. Schaefer. Lipsiae 1811. 8.)

8. Aristoph. Aves Latina interpretatione donaverat iam antea; in ed. Kusteri Amstel. 1740. 4.

9. Adnotatt. in Hesychii Lexicon; in ed. Io. Alberti Lugd. Bat. 1746. Fol.

10. Orat. Panegyr. ad Celsiss. Principem Arausii et Nassaviae. Leidae 1747. Fol. (De duabus oratt. ineditis cf. Bergmani annotat. ad Elog. Hemsterh. pag. 318.)

11. Adnotatt. ad Timaei Lex. vocum Platon.; in ed. Ruhnken. pagg. 45. sq. 71. sq. 107. 113. 120. 138. sq. 174. 178. sq. 183. 203. sq. 254. 264. sq. et alibi. (Vid. Ruhnken. Praef. pag. XXIIII. sq.)

12. Animadverss. in Thomae Magistri Eclogg.; in ed. Ioh. Steph. Bernardi Lugd. Bat. 1757. 8.

13. Adnotatt. in Callimachum; in ed. I. A. Ernestii Lugd. Bat. 1761. 8.

14. Animadvers. de voce εὐαγής; in Musgrav. Exercitatt. Euripideis (Lugd. Bat. 1762.) pag. 84. sq. (Repet. in ed. Eurip. ad Suppl. vs. 654.)

15. Animadverss. in Propertii libros duos prio-

res; in ed. Burm. pag. 203. a. 227. b. et pag. 92 —951. (Vid. Santen. in Praefat. ad ed. Burm pag. XIV.)

16. Tib. Hemsterhusii orationes (quarum prima est de Paulo Apostolo): L. Casp. Valckenarii tres oratt Praefiguntur duae oratt. Io. Chrysostomi in laudem Pauli Apostoli, cum vet. vers. Lat. Aniani ex cod ms. emendata. Lugd. Bat. 1784. 8. (Hemsterhus oratt. denuo ed. Frid. Traug. Friedemann. Vitebergae 1822. 8.)

17. Epistolae quaedam leguntur in Gesn. Biogr. Acad Gotting. Vol. III. it. in Meuselii Horreo Part. VIII. Cf. Bergman. annotat. ad Elogium Hemst. pag. 332. 345. sq.

18. Animadverss. in Theocritum; in ed. decem Idyll. Valckenar. pagg. 12. sq. 94. sq. 117. 143. 211. 366. sq. et al. (Vid. Valck. Praefat. et eiusd. Praefat. ad Theocr. Bion. et Mosch. ed. in cuius var. lect. saepe memoratur T. H. i. e. Tib. Hemsterhusius.)

19. Animadv. in Euripidem; in ed. Hippol. Valcken. pag. 224. et Phoeniss. pag. 351.

20. Anecdota Hemsterhusiana. Ex schedis mss., in Bibl. Lugd. Batava servatis, collegit, disposuit et edidit Iac. Geel. Pars I. Lugd. Bat. 1825. 8.

21. Animadverss. in Aristoph. Plutum, ex sched. mss. a Dobreeo editae; in ed. commentar. in Aristoph. Dindorfiana (Tom. VII. Lips. 1822. 8.)

22. — — in Hesiodum; in Gaisford. Poet. Graec. Minor. Tom. I. pag. 159 — 169. ed. Lips.

23. — — in Athenaeum propediem cum eruditis hominibus communicabit Dindorfius meus.

24. De Lennepiano linguae Graec. Etymologico satis omnia nota sunt.

IOANNIS IACOBI REISKII
DE VITA SUA
COMMENTARIOLUM

[EX TABULARIO SCHOL. NICOL. LIPS.]

Ego, IOANNES IACOBUS REISKE, natus sum die 25. Decembris A. 1717. Zoerbigae, quod oppidum est extremi agri Lipsiensis ad fines ducatus Anhaltini inter Halam, Delitsch et Bitterfeldt situm. Pater fuit BALTHASAR REISKE, de plebe homo, tenuis fortunulae, cerdo, illo de genere hominum, qui coria parant, unde calcei conflunt. Mater fuit Anna Christina, filia Simonis Cloossii, qui ludum puerilem in pago Zoeschen, ultra quadraginta annos moderatus fuit. Ille pagus haud procul Merseburgo viae publicae assidet, qua illuc Lipsia commeatur. Mater adhucdum in vivis superest; sed patrem iam annus 1735. abstulit. Hi parentes anno 1722. primam meam pueritiam erudiendam dederunt Ieremiae Berndio, iuveni sat literato et probo, Hirschbergensi Silesio, quem Senatus Zoerbigensis ludi publici puellaris primum mode-

ratorem paullo ante conduxerat. Eum, quum reditum in patriam pararet, ad obeundum sacrum munus vocatus, acutae febris vis A. 1726. rapuit. Quo facto parentes M. Weissigero, Bitterfeldensi, ludi Zoerbigensis publici Rectori, me in disciplinam dederunt; in qua quum unam hyemem transegissem, vere A. 1727. me ad avum maternum Zoeschenam miserunt, in cuius avi aedibus et oculis annum versatus sum, usus disciplina M. Christophori Meisneri, Altenbergensis, qui nunc quidem in schola Cruciana apud Dresdam Collegae quarti locum multa cum laude obtinet, tunc autem filium Meelthaui literis bonisque moribus informabat. Quem modo dicebam Meelthau, ille pastor erat pagi iam bis dicti, Zoeschen, eamque gratiam cum avo meo, tum Meisnero, V. C. tribuebat, ut quas horas a filii institutione vacuas haberet Meisnerus, illis sineret me ad Meisnerum, graecarum latinarumque literarum percipiendarum caussa, itare. Viro huic integerrimo prima graecae linguae elementa amorisque illius velut igniculos in animum meum coniectos debeo, quo tota paene reliqua vita in

huius linguae studium exarsi: et post multorum annorum discessum, ex quo domum ex itinere Batavico redii, multa magnaque beneficia optimo viro debere coepi. Nam praeterquam quod arctam sinceramque mecum amicitiam excoluit, et opera, consilio, vel numis quoque, me iniquissimis meis temporibus adiuvit, etiam proceribus Dresdanis accurate diligenterque me commendavit, famamque atque dignitatem meam tuitus est, et cum adversa fortuna luctantem sublevavit, et saepe labantem animum bona spe ostendenda confirmavit. Nimis cito avulsus ab optimo magistro fui. Nam anno 1728. Halam translatus et in orphanotropheum Glauchanum abditus sum. Cuius facti non semel me vehementer poenituit. Ut enim eo in ludo nonnihil in literis, praecipue latinis, profecerim, quod diffiteri nolim, est tamen, quod aegerrime tuli, a disciplinae inconsulta, quae ibi regnat, severitate meo animo adspersa et infixa tristitiae atque timiditatis veluti scabies, quam penitus expurgare et fibris evellere, ut multum laboraverim, adhucdum tamen nequidquam laboravi. Solet nempe illi-

beralis disciplinae severitas, ab immanitate et superstitione parum illa distans, eos, quibus a natura timidus et anxius angustusque animus obtigit, multo magis deiicere, et ita plane affligere, ut tota reliqua vita ad hilaritatem liberalitatemque humanae consuetudinis redire, et humo rursus se attollere, velut stratae procellis arbores, nequeant. Ea quoque ex parte mihi contubernium hoc Halense vehementer nocuit, quod, ut est humana natura praeceps et vaga, et facillime inter contraria natat, posteaquam Halae ridiculis et superstitiosis Deum colendi modis adsuevissem, deinde eo facilius inciderim in plagas, in quas qui non incidant iuvenes orbem terrarum peragrantes, oppido rari sunt. Nam in quibus regionibus integrum liberumque cuique est, de Deo rebusque divinis pro arbitrio statuere, difficile est hominum, quibus illae regiones scatent, insidias effugere, illorum, qui simplicem credulamque iuventutem licentiosis et protervis sermonibus aggrediuntur. Mirum itaque nemini debet accidere, me a superstitione Halense ad levitatem Belgicam decidisse, et in scriptis meis sparsisse

sententias, quas, a mente imprudente magis, quam mala, profectas, fuere tamen qui sinisterius interpretarentur, quam proiectae fuissent. Ego vero cautius in posterum mercari discam. Sed in viam redeo. In praeceptoribus ergo, quos Halae multos et in horas paene alios atque alios habui, nemini mea studia magis approbavi, neminemque amavi magis, quam Io. Martinum Wenkium, Wetteraviensem, ni fallor, aut Nassavicum, quem suspicor illum esse, qui nuper historiam graecam ex auctoribus in compendio historico Freyeriano excitatis contexuit. Haesi Halae quinquennium, quo peracto Lipsiam adii, vere A. 1733. B. Clausing, Academiae tum Rector Magnificus, in civium suorum numerum me retulit. Decreveram quidem initio studiis theologicis me dare, fuitque tempus, quum ab ore Clausingii eiusdem, et Hoffmanni, theologi celeberrimi, qui universitatem Wittebergensem ornat, penderem. Sed discendarum linguarum nescio quod vehemens studium imis medullis infixum, ad orientales, hoc est, ad Hebraeam et Arabicam maxime me impulit: quo in studio quum exegissem quinquennium,

arderemque cupiditate hoc in stadio ulterius procurrendi, Leidam Batavorum me contuli, qua in urbe sciebam celeberrimi nominis doctorem earum linguarum tum florere, Schultensium, et bibliothecam usui studiosorum patere tam splendide copioseque codicibus manuscriptis orientalibus instructam, ut haud sciam totiusne Europae locus sit ullus alius, qui eiusmodi codicum numero et praestantia cum Leida contendere queat. Harum itaque copiarum horumque fontium siti accensus acerrima, retineri amicorum obtestationibus non poteram, quin mense Maio A. 1738. iter in Belgium ingrederer. Proximi mensis Iunii die 6. Amstelodamum appuli. Sed Leidae potissimum egi aetatem, quam in Belgio egi; octennium puta; cuius quinque primos annos in excutiendis exscribendisque codicibus Arabicis consumsi, reliquos tres postremos arti medicae discendae dedi: cuius artis professores celeberrimos peritissimosque sedulus audivi, Albinum, fabricam corporis humani usumque partium exsequentem, et ipsas illas partes singulas artificiose dissectas in cadaveribus demonstrantem; tum Gaubium, her-

barum succos viresque, et metallorum commiscendorum et separandorum artificia sermoneque et ipso opere, in officina Chemica, ostendentem; Royenum denique seniorem, quibus morbi quique telis peti et expugnari velint, tradentem. Hemsterhusio quoque graecos auctores enarrranti, et Muschenbruckio physicam docenti, sedulam navavi operam. Victum gemino modo mihi Leidae comparavi. Nam ad hunc diem bonae mentis comes paupertas me nullo tempore deseruit. Locavi nempe operam partim iuvenibus Batavis, si qui graecis latinisque aut et arabicis literis imbui vellent; partim typographis ad menda e veterum auctorum editionibus, quas ipsi aere suo excuderent, eluenda. Munificum erga me in Batavis non reperi nisi unum hominem, sed eum, qui loco multorum unus esset. Dorvillius ille fuit, cuius ne reliquas virtutes commemorem, tanto fuit erga me liberalitas excellentior, quanto ea virtus est rarior in gente parsimoniae dedita. Magna mihi cum illo viro fuit negotiorum et studiorum necessitudo. Quem si aut voluissem, aut nossem, iis captare et tenere ar-

tibus, quibus adulatores et lucro magis, quam honestati servientes, emolumenta aucupantur, nae potuissem splendidam ad fortunam eniti. Anni 1746. mense Maio consilium cepi patriam repetendi. Quo tempore clarissimi professores medicinae Leidani voluntatis suae erga me amplissimae, diligentiaeque in arte discenda a me positae, perhonorificum et locuples hoc mihi perhibuerunt testimonium, ut honores in sua facultate summos ultro mihi deferrent, et abeunti veluti viaticum adderent. Itaque retuli Leida praeceptorum artis medicae nonnullam scientiam, sed eam usu destitutam. Quem usum quum scientiae adiungere instituerem, ab instituto me avertit, et ad aliud vitae genus detorsit, cum voluntas mea, tum casus aliquis. Nam quum invitus ipse, sed matris amicorumque obtestationibus fractus, huc concederem, hoc est, in ea urbe fortunarum mearum sedem certam ponerem, quae ut aliarum artium, ita medicae quoque magistris abundat dexterrimis; factum ex eo fuit, ut homo ab ostentatione mei, vulgique ambitione alienus, neque, quem iactarem, magnum habens artis medicae usum, forum ha-

berem frigidum. Ita natus est in animo meo primum ad hanc artem torpor, tum neglectus eum est insecutus, tandem oblivio eius me cepit, et paene odium. Quare totum me in literas humaniores abdidi, ad quas intelligebam animum mihi magis propendere. Quo in coepto me magis confirmavit Serenissimi Principis voluntas, quae ineunte anno 1748. docendi arabica partes mihi mandavit, attributo stipendio annuo centum thalerorum. Decem ex eo tempore nunc exierunt anni, quos in tradendis literis graecis latinisque et arabicis, edendisque maioris minorisque molis operibus, sed etiam in magnis rei familiaris angustiis consumsi. Quas angustias, ex quo Prussicorum armorum vis patriam oppressit, mirifica humanitas et liberalitas Ernestii V. C. sublevavit, qui per biennium ferme sibi me quotidianum convictorem esse voluit. Quod egregium et rarum beneficium ut summi facio, neque facere possum quin summi faciam, ita studebo modis omnibus efficere, ut hoc, quod apud eum contraxi magnum nomen, obsequio officiisque praestandis, grataeque voluntatis testificationibus quibus potero omnibus eden-

dis, diluam. Cavebo quidem diligenter, ut erga eum virum, qui tam insigniter de me meritus fuisset, (nam caetera eius summa de literis merita nunc non attingo) ingratus esse cuiquam ne videar. His in rebus eram, quum Amplissimo Ordini Lipsiensi placebat, quod felix, faustum, fortunatumque sit, urbanae scholae me Rectorem praeficere, quo non solummodo iacentem meam fortunam erexit, tutoque in loco collocavit, sed etiam de moribus, ingenio, studiisque meis tam honorificum tamque luculentum edidit testimonium, ut aliud excogitari aliquod illustrius nequeat, neque inveniam mortalium quemquam, qui de me magnificentius, quam Ordo ille Amplissimus, sit meritus. Intendam itaque nervos omnes eo, quo re strenue recteque gerenda Patronorum Optimorum Maximorum *) praeclarae de me conceptae opinioni atque spei respondeam et satisfaciam.

Scripsi Lipsiae d. 20. Iunii 1758.

*) Similiter ab Ernestio Stieglitzius appellatur *patronus optimus maximus*, in epistola notissima. Sed bene Aug. Matthiae: „Iovis appellatio, inquit, etsi postea „principibus etiam tributa, quomodo in Stieglitium con„venerit, vix dicas." FR.

* * *

Pag. 35. vs. 3. leg. *Balthasare.*

Pag. 100. vs. penult. dele punctum post num. III. Neque enim *ordinalis* numerus, sed *cardinalis* illic significandus erat.

In Hartmanni libraria hi quoque libri veneunt:

Xenophontis Hiero. Recensuit et interpretatus est C. H. Frotscher. 1822. 8. 12 Gr.

M. Fab. Quinctiliani institutionum orator. liber X. Ex recens. et cum commentariis C. H. Frotscheri. Acced. praeter indices necessarios, Dionysii Halicarn. quae fertur de veteribus scriptoribus censura cum adnotatt. interpp. 1826. 8. 1 Rthlr. 8 Gr.

— — idem liber. Ex recens. C. H. Frotscheri secundis curis emendatiore. Acced. diversitas lect. Spalding. et indices duo. 1826. 8. 8 Gr.

Observatt. critt. in quosdam locos M. Fab. Quinctiliani. Scrips. C. H. Frotscher. 1826. 8. 4 Gr.

TYPIS DESCRIPSIT
F. A. BROCKHAUS
LIPS.

ELOQUENTIUM VIRORUM

NARRATIONES

DE VITIS HOMINUM

DOCTRINA ET VIRTUTE EXCELLENTIUM

COLLEGIT

ET

IN USUS IUVENUM

LIBERALIBUS STUDIIS OPERANTIUM

EDIDIT

CAROLUS HENRICUS FROTSCHER

PHILOS. DOCTOR PRIV. IN UNIVERS. LITT. LIPS. ET AA. LL. MAG. SCHOL. NICOL. LIPS. COLL. III. BIBLIOTH. SENAT. PRAEFECT. II. SOC. OECONOM. LIPS. SODAL. SEMINAR. REG. SAX. PHILOL. ET SOC. LAT. IENENS. SODAL. HONOR.

VOL. II.

LIPSIAE 1826.

SUMPTUS FECIT ET VENUMDAT HARTMANNUS

IO. AUG. ERNESTII
NARRATIO
DE
IOANNE MATTHIA GESNERO
ET
IO. NIC. NICLASII
DE EODEM GESNERO
EPISTOLA FAMILIARIS

IN USUS IUVENUM
LIBERALIBUS STUDIIS OPERANTIUM
EDIDIT

CAROLUS HENRICUS FROTSCHER

PHILOS. DOCTOR PRIV. IN UNIVERS. LITT. LIPS. ET AA. LL. MAG. SCHOL. NICOL. LIPS. COLL. III. BIBLIOTH. SENAT. PRAEFECT. II. SOC. OECONOM. LIPS. SODAL. SEMINAR. REG. SAX. PHILOL. ET SOC. LAT. IENENS. SODAL. HONOR.

ACCEDIT MEMORIA GESNERI
AB IO. DAV. MICHAELE SCRIPTA

LIPSIAE 1826.
SUMPTUS FECIT ET VENUMDAT HARTMANNUS

VIRO MAGNIFICO

DOCTRINA ET VIRTUTE ORNATISSIMO

IOANNI AUGUSTO HENRICO
TITTMANNO

PRAECEPTORI SUO ET PATRONO
SUMME VENERABILI

LIBRUM HUNC

PUBLICUM PIETATIS MONUMENTUM

EXSTARE VOLUIT

CAROLUS HENRICUS FROTSCHER

IO. AUG. ERNESTI
NARRATIO
DE
IOANNE MATTHIA GESNERO
AD
DAVIDEM RUHNKENIUM V. C.

[ERNEST. OPUSC. ORATOR. PAG. 465—500. LUGD. BATAV. 1767.]

Acerbum dolorem renovare iubes*), RUHNKENI, Vir Celeberrime, cum Tibi de GESNERI vita, ingenio, institutis moribusque a me vis scribi: cuius obitum cum et literarum causa omnibus vehementer esse dolendum putas et mea quoque causa Te scribis dolere, et verissime iudicas et adversus me peramanter facis. Nam fuit profecto talis, qualem paucos ante annos descripsi in Homerici Operis praefatione, (quam ille in ultimis ad me literis ἐντάφιον suum appellabat,) *Graecarum omniumque bonarum literarum in Germania*, (addiderim, *non modo hac nostra, sed omni memoria*) *longe princeps, ingenii autem felicitate, doctrinae accuratae et exquisitae copia, orationis denique elegantia et dulce-*

*) Virgil. Aen. II, 3.
Infandum, regina, iubes renovare dolorem.
FR.

dine veterum optimo cuique simillimus: neque id Tibi, aut cuiquam, qui ingenium et doctrinam recte aestimare possit, dubium arbitror videri. Quodsi Tibi contigisset, illum coram videre et alloqui, cum eo diem unum et alterum exigere familiariter, ita Te adfectum ab eo discessurum fuisse confido, ut nostrum quondam Askeum *), Britannum V. C. †) qui cum in peregrinatione ab eo ad me venisset, ad primam nominis Gesneriani **) mentionem, in admirationem non modo doctrinae, sed humanitatis, sed elegantiae, sed suavitatis effusus, *Talem*, inquit, *virum numquam vidi.* Adeo ille ingenii et doctrinae magnitudinem etiam externis illis bonis aequabat. Ego autem quomodo non praecipuo et acerbo dolore excrucier in istius morte, qui me adolescentem, ut primum vidit, et de literis mecum collocutus est, ita adamavit et laudavit, ut omnibus aequalibus, etiam cum invidia quadam sua, palam praeferret; quocum tres ipsos annos in Schola Thomana coniun-

*) In prima ed. a. 1762. scriptum erat *Askewium*. FR.

†) Pag. ed. Batav. 466.

**) Ed. pr. *Gesneriani nominis*. FR.

ctissime et suavissime vixi, post autem per XXVII annos amicitiam sanctissime colui, animo denique, voluntate, ac sensu de literis ipsis et de rebus omnibus, ita coniunctus fui, ut ipse saepe miraretur tantam consensionem ingeniorum et animorum nostrorum, nec modo in literis ad me suis, sed etiam apud alios. Et nihil dixi de eius in me meritis, quae multa, et magna, et iucunda extiterunt. Quarum rerum causa quantopere illum amaverim, et in eadem illa epistola dixi, et ita vulgo notum fuit, ut etiam amicus quidam meus, cognita eius morte, statim ad me accurrerit, et per ambages me ad eam cognoscendam deduxerit, ne, repentino iacturae tantae nuncio, vehementius, quam opus esset, perturbarer.

Erat autem tum recens adhuc dolor alius e morte praeceptoris, unius de omnibus superstitis, et optime de me meriti, Frid. Gothilf. Freytagii, qui Scholam Portensem triginta amplius annos optime rexit, et eius veterem gloriam paene unus sustentavit. Erat enim, ut alia bona mittam, Graecarum et Latinarum literarum eximia scientia praedi-

tus, inprimisque *) exquisito iudicio elegantiae in scribendo valebat. Hic primus orationem meam limae suae severitate expolivit, intra iustos fines redigere et numerosam efficere docuit. Et habebat admirabile artificium effingendae orationis puerilis, non modo iis, quae scripta essent, castigandis, pro cuiusque ingenii et facultatis modo, sed etiam actum ipsum et quasi nisum scribendi et elaborandae orationis adiuvans, praecipiendo, admonendo, cavendo. Nec alii Graecarum literarum †) amorem debeo, quarum discendarum studium ille mihi, ab iis alieniori, quod ad consilium vitae futurae nihil admodum mihi profuturas passus eram mihi persuaderi, opportunitate aliqua usus, ita efficaciter iniecit, ut post etiam intemperantiam discendi coercere necesse habuerit. Denique me deduxit ille in domum Stiglitii, Consularis nuper civitatis nostrae, a quo quantopere adiutus, ornatus, denique etiam amatus sim, cum sciant omnes, sitque in eo pars magna dignitatis nostrae, non opus est dicere. Itaque morte eius co-

*) Ed. pr. *in primisque.* FR.

†) Pag. 467.

gnita, quamquam multarum rerum iucundissimarum, quas ante attigi, memoria subibat animum, tamen longe maior invasit moeror, quem etiam scholae illius fortuna, et identidem incursans et se immiscens Stiglitii memoria aggravabat, cuius prudentiam, gravitatem, constantiam, auctoritatem, civitati alienissimo tempore ademtam, nunc quoque lugemus.

Ad hunc ergo dolorem cum accessisset Gesneri mors, incredibile dictu est, quanto moerore fuerim oppressus. Quo magis abhorrui a consilio hoc scribendi, cum Tu, V. C., statim ab nuncio rei ad vos perlato, a me petiisses. Nunc cum, interiecto longiori tempore, resederit ille tumor, et Tu me subinde admonueris, suscepi Tibi describere imaginem viri: non quo id omnium maxime possem, aut quo confiderem plane exprimere tanti ingenii tantaeque virtutis pulcritudinem *), sed ut Tibi, cui virum non nisi de scriptis nosse contigit, adumbrarem utcunque totum ingenium illud et virtutem universam,

*) Ed. pr. *pulchritudinem*. FR.

quae longe profecto latius patuerunt, quam existimare possint, qui sibi imaginem eius e scriptis fingant. In quo mihi plane accidit, quod iis, qui uxorem cariorem acerba morte amiserunt. Etenim quae cogitatio ab initio, in viriditate luctus, ita perturbat ac moerore conficit animos, ut eos etiam avocare et avertere ab tali cogitatione necesse habeant, ea paullatim accipit suavitatem tantam, ut eam etiam oblectationis causa sibi proponant, eique libentissime indulgeant. Profecto haec dum scripsi, recensendis animo et intuendis viri bonis, tanta non modo voluptate perfusus sum, ut Tibi saepe gratias tacitas egerim, qui me ad hanc scriptionem impulisses, sed etiam caritate viri incensus, ut, cum maxime amarim, †) tamen multo magis, quam antea, amare Gesnerum viderer. Itaque Te quoque, et quicunque haec legerint, ita adfectos ab hac lectione discessuros confido, ut ad pristinum de Gesnero iudicium, quamquam praeclarum, benivolentiamque *), magnam accessionem factam sentiant.

†) Pag. 468.

*) Ed. pr. *benevolentiamque.* FR.

Natus est anno superioris seculi uno et nonagesimo in Franconiae villa prope Noribergam, sed Anspacensis ditionis, patre Io. Samuele, qui ibi sacra faciebat magna cum sanctitatis laude. Huius de maioribus etsi nihil certi possum tradere, unde planum fiat, an cum magno illo Conrado *) communes origines noster habuerit; tamen ab eo memini mihi ante multos annos scribi, se vestigiis quibusdam eo duci, ut ab eadem se stirpe ortum crederet: itaque non dubitasse, Conradum imitari, quatuor elementorum figuras in epistolis signandis usurpando, praesertim hortante Io. Iacobo Gesnero, Tigurinae Scholae clarissimo ornamento. Hoc autem ille scripserat mihi, quia **) vitio dederat nescio quis, quod eo signo uteretur, cui nihil praeter nomen cum illa familia esset commune, atque arrogantiae et vanitatis nomine reprehenderat. At ille non opus habebat ab alio petere nominis claritatem, qui sui ipse ingenii luce nomen suum satis illustre fecisset. Sed de hac re certiora suo tempore tradet, qui vitae

*) Obiit Tiguri a. 1565. FR.

**) Ed. pr. *scripserat propterea, quod vitio.* FR.

Gesnerianae commentarios*) scribere instituit, Hambergerus V. C.

Patrem mature amisit, annos natus undecim; sed affectum patris et curam reddidit vitricus, qui non modo puerum ipse, quoad domi suae habuit, literis erudivit, sed etiam in Gymnasium Anspacense deduxit, in quo octo ipsos annos convictu publico et disciplina literarum usus est. Praeerat tum illi ludo Georgius Nicolaus Koelerus, magnae vir doctrinae et excellenti docendi solertia, sed qui fama digna carebat, quod ingenii monimenta prodere non curabat. Enimvero omni tali monimento illustrius est, quod sibi in Gesnero disciplina sua conformando peperit, et nactus est ab huius grata eloquentia, qua imaginem eius expressit. Ille autem mirifice delectabatur hoc opere disciplinae suae, gaudebatque se ab **) discipulo doctrina et eloquentia superari. †) Itaque cum ad eum scribebat, utebatur

*) Ed. pr. *commentarium*. FR.

**) Apud Matthiam scriptum est *a*, typothetae, opinor, incuria. Cf. quae dixi ad Iul. Caes. B. G. III, 9. in ed. Herzog. pag. 166. FR.

†) Pag. 469.

hac praescriptione: *Lentulus Ciceroni suo.* In institutis viri huius, quibus eum longe a fastu paedagogico abfuisse, et varietati ingeniorum accommodare solitum disciplinam pateat, hoc maxime numeraverim, quod Gesnerus libenter narrabat. Cum in lectionibus tradenda videbat, quae ad Gesnerum nihil pertinerent, intelligebatque, eum, si nihil aliud, certe *) nihil acturum, quod vix sperari potest in alacrioris ingenii puero, et tempus perditurum; adferebat, quod ipse ageret separatim a ceteris, locum difficiliorem e scriptore Graeco, aut e codice Hebraico, saepe etiam una continuatione et sine accentibus scriptum **), verba item Graeca aut Hebraica temere ac nullo ordine contexta, quae, dum ceteros doceret, ipse explicaret, et deinde explicata praeceptori traderet: qua re mirifice adolescentis ingenium ad quaerendum et investigandum acuebatur. Cum nihil attulerat per tales occasiones, patiebatur eum interea alias res tractare, literas Syriacas, Arabicas,

*) Ed. pr. *at nihil — puero, certe tempus* etc. FR.

**) Ed. pr. *scriptos.* FR.

Aethiopicas, Samaritanas, pingere, aut ad legendi facultatem exerceri, suppeditatis etiam libris. Atque ad harum linguarum omnium, etiam novitiarum, Francicae, Italicae, Britannicae initia percipienda privatim, docendo, hortando adducebat. Quorum institutorum prudentiam sibi plurimum profuisse fatebatur; libenterque commemorabat, quantum temporis illa cura praeceptoris et indulgentia lucratus esset, quod sibi in alia disciplina periturum fuisset, et permultis praeclaris ingeniis perit per condiscipulorum tarditatem et superbam inscitiam praeceptorum, ad contemtum sui trahentium et irascentium, si quis non vult bonas horas sibi perire. Quo nomine mihi olim memini quendam de praeceptoribus iniquiorem fuisse, qui, sive ipse animadverterat, sive ab aliis audierat, me, dum ipse suo modo interpretaretur, quae haberet in manibus, alia legere. Herodiani quodam tempore historias interpretabatur, sed, sive suo quodam instituto, sive potius eorum causa, qui parum profecissent, quorum solet esse in Graecis magnus numerus, tardissime progrediebatur, cum in singulis verbis diu

haereret, omnia cum pulvisculo †) excuteret; cum ego, tarditatis illius impatiens, ita eum praecurreram in textu Graeco legendo, ut in extremo libro decurrerem, cum ille adhuc moliretur in primo. Cum igitur aliquando me vidisset attentius defixum in libro meo legendo, nec dubitaret, quin aliud legerem, quam quod ipse explicaret, repente, dum alius recitat, quod iusserat, descendit de cathedra, et me oppressurus suspenso gradu adrepit mihi. Iubet me pergere in lectione ab alio coepta. Ego coepi quaerere locum: ab vicino, ipso inspectante, petere librum. Tum ille, velut me in manifesto delicto deprehendisset, accusare fastidium meum. Et parum aberat . . . Ego autem, animo sumto, ei demonstrabam, Herodianum esse, quem legerem, adfirmantibus etiam vicinis: et res ipsa fidem faciebat, cum nullus alius liber in manibus esset: mihi nimis lentum negotium esse: itaque praegressum esse legendo, et cum maxime versari in ultimo. Proferebam etiam chartulas, in quibus quaedam excerpta e libris singulis scripseram. Hac

†) Pag. 470.

ille demonstratione confusus conticuit, nec mihi postea molestus fuit. Et narrabat mihi post Freytagius, eum apud se hoc nomine de me questum, quod ea res ad contemtum sui pertinere videretur: se autem ei sic respondisse, ut diceret, cum meum studium omnibus notum esset, nec ipse ignoraret, me iam tertium annum acerrimo studio in Graecis versari, securum esse de me, et, quid legerem, inquirere non debuisse. Est sane res maioris prudentiae et artificii, quam vulgo credunt, multos, in tanta ingeniorum, adde etiam profectus diversitate, una disciplina continere, sive docendi rationem ita ingeniorum varietati accommodare, ut eodem tempore tarditati et celeritati consulas, illam incites, hanc non retardes et frangas. Eius rei nec una ratio est, nec eadem cadit in omnia docentium ingenia. Sed de ea re hoc loco dicere ac praecipere nihil attinet: de Gesnero dicere instituimus: ad hunc igitur redibimus.

Non uni praeceptori carus erat Gesnerus, sed omnibus, qui praeclara ingenia cognoscere et amare didicerant: in his inprimis *) Io.

*) Ed. pr. *in primis* quum hic tum deinceps. FR.

Frid. Weilio, viro multae et elegantis doctrinae, qui studia Principum Anspacensium †) Friderici et Guilielmi Friderici magna cum fide et pari laude rexerat. Is igitur non modo tum Gesnerum multis beneficiis adfecit, sed etiam academicis studiis prospexit, lauto stipendio impetrato, quo tenuitas fortunarum sublevaretur. Dimissus ex Anspacensi disciplina Ienam abiit, audivitque praestantissimos philosophiae, matheseos, historiae, linguarum ac theologiae doctores; sed inprimis Danzium et Buddeum sectatus est. Ab illo quidem ad intimos literarum Hebraicarum recessus adductus est, nec minus Syriacae *), Chaldaicae et Arabicae linguae idoneam et ad Hebraicas literas utilem scientiam. Buddeum autem assidue audivit, theologiam, controversias, historiam ecclesiae tradentem, itemque Grotii divinum de iure belli ac pacis opus interpretantem. Et hunc quidem ita cepit ingenii admirabili praestantia, doctrinae recto studio, ac mox doctrina ipsa et virtute,

†) Pag. 471.

*) Puto scripsisse Ernestium: *nec minus ad Syriacae.* MATTHIAE.

ut eum vellet esse in contubernio filii Caroli Francisci, qui in aula Ducis Gothani, Consiliarii, ad extremum Procancellarii munere magna cum laude functus ante paucos annos mortuus est. Atque etiam opera eius in rebus privatis, quae quidem ad literariam rem pertinerent, utebatur. Nec eo utebatur ut ministro, sed ut amico, saepe etiam consiliario, omniumque bonorum suorum in communionem vocabat. Ei bibliotheca viri patebat: multo magis ipse, hoc est, doctrina, consilium, animus. Cum eo saepe disserere, in horto, quoties res et tempestas sineret, deambulare; quoties otium suum oblectare vellet, Gesnerum vocare, non modo ut in societatem oblectationis veniret, sed ut eam etiam ingenii sui sermonumque amoenitate augeret. Erat autem Buddeus, ut commemorabat Gesnerus, in summa gravitate, tamen, cum animum remiserat, et ab laborum severitate ad otii hilaritatem descenderat, mirificae comitatis; cuius tum opportunitate usus Gesnerus eliciebat sermones de quibuscunque rebus vellet, h. e. quas maxime cognoscere cuperet, nec unquam ab tali sermone, nisi doctior,

recedebat. In hac domo etiam natum primum est studium historiae literariae, cuius discendae et bibliotheca copiosissima et multo magis dominus eius amplam facultatem dabant. Ceterum cum bene intelligeret †) Buddeus, quanta materia esset in ingenio Gesneri, et iam etiam doctrina in multis generibus literarum, inprimisque in eo, quod ad humanitatem pertineret, confideretque, in eo doctorem excellentem habituram esse iuventutem scholasticam, impulit eum primum ad petendos honores, per quos docendi ius in Academiis datur, paullo post autem commendatione sua perfecit, ut ad munus docendi in Scholam Vinariensem vocaretur, cui per tredecim annos, summa cum fide et pari laude praefuit.

Ea conditio longe inferior ingenio et doctrina viri erat. Itaque subinde expetebatur ad maiora et lautiora munera. Sed erant alia, per quae retinebatur ita, ut nulla eum conditio ab his sedibus abstrahere posset: primum omnium Frid. Gothilf. Mareschalli e Greifiis, qui principem in aula Ducis locum tenebat,

†) Pag. 472.

constantissima benivolentia *) et inusitata liberalitas. Nam cum esset ipse doctissimus et omnium literarum amantissimus, perspexissetque Gesneriani ingenii et doctrinae praestantiam, ita Gesnerum adsciverat, ut quotidie apud se coenaret, etiam inter illustres convivas, secum in praedium iret, in bibliotheca, quam egregie instructam habebat, sederet disserendi causa, denique super omnibus, quae ad ecclesiasticam et scholasticam rem pertinerent, consuleret. Cuius rei etiam hunc fructum libenter Gesnerus commemorabat, quod cum multis illustribus viris notitiam, etiam amicitiam contraxisset, per quas multis deinde profuisse. Accesserat etiam cura bibliothecae, quae de Logaviana et Schurzfleischiana instructa erat in arce principis, et librorum optimorum, praesertim historicorum, copia abundabat. Huic bibliothecae septem ipsos annos ita praefuit, ut quicquid temporis ab aliis curis et laboribus vacaret, in ea ordinanda, et multo magis in commentariis conficiendis consumeret, non qui nomina li-

*) Ed. pr. *benevolentia*: et sic etiam deinceps scriptum. FR.

brorum ordine certo digesta haberent, sed qui argumenta, quae vel totis libris, vel singulis librorum partibus, non modo ex instituto et de consilio librorum universorum, sed etiam obiter explicarentur. Eam rem sic agebat, ut libris singulis perlustratis, saepe etiam lectis, titulos rerum in schedis notaret, et in cistulas ad certum ordinem dispositas †) conderet, quas ad extremum, cum omnes perspexisset, in commentarios digereret, atque ita et sibi et aliis facultatem pararet reperiendi, quicquid de quaque re in libris illius bibliothecae esset. Aliquoties eum audivi, cum diceret, se in illo tanto ac diuturno *) labore hac spe sustentatum esse, quod putaret, eo perfecto communis cuiusdam oraculi sedem in illa bibliotheca fore, quod et ipsis et per se consulentibus responsa de omnibus rebus daret: interdum per iocum, oraculi nomen etiam ad se transferebat. Sed illa spes ad irritum cecidit, fortuna quadam, ut tum interpretabatur, adversa, ut eventus docuit, providentia quadam divina, quae vincula illa,

†) Pag. 473.

*) Matth. *ac tam diuturno*. FR.

per quae Vinariae tantopere adstringeretur, abrumperet, ut ad loca deduceretur ea, in quibus dignum tali ingenio atque doctrina theatrum et amplior bene de literis merendi materia contingeret. Et solebat hoc inprimis libenter usurpare sermonibus, nec modo providentiae divinae de se tam bene meritae praedicandae causa, sed etiam, ut alios confirmaret et eorum spem ad illius providentiae benignam sapientiam converteret, nihil sibi omnium, quae animo suo sibi destinasset et in magna felicitatis parte expetisset, (quae multa mihi per multas occasiones, etiam mea causa, commemorabat,) contigisse, sed omnia alia, votis suis ac spe maiora. In quibus maxime ponebat illum Vinariensem casum. Nam mortuo Guilielmo Ernesto Duce, cum Mareschallus ab administratione reipublicae summotus, multique, ut fit, una loco pulsi essent, qui eius gratia locum suum obtinuissent, malum illud etiam Gesnerum contigit praeter ipsius et omnium opinionem. Etenim ita etiam novi principis gratia floruerat, ut eum certe salvum omnes, multi etiam honoratiorem fore putarent. Amabat princeps literas: commen-

datus ei Gesnerus erat a Buddeo, quo praeceptore quondam Halis princeps usus erat: saepe ei liberalissime promiserat, aliasque benivolentiae significationes dederat. Venerat aliquando ad eum, qui thesauros auri atque argenti maximos aliquo loco diceret latere, eosque se indagatos arte sua eruturum promitteret. Benigne accepta erat impostoris promissio: ipse, dum perficeret †) promissa, laute habitus. Dies unus, alter, tertius: nihil fit. Cum dies bene multi abissent, non exsoluta fide, urgereturque a principe, redactus ad angustias, nihil, ait, sibi ad inveniendum obstare praeter unam formulam, cuius vim assequi satis non posset: in hoc incili se haerere *): si quis inde se posset expedire,

†) Pag. 474.

*) „Sic nunc legitur in epistola Coelii inter Ciceronianas ad Familiares VIII, 5. [*Sane tamquam in quodam incili iam omnia adhaeserunt.*] sed e coniectura Manutii, non e librorum auctoritate; et tutius est abstinere a locutione non nisi *uno* loco *usurpata*." Haec Aug. Matthiae, provocans ad Ruhnkenium, cuius hanc adnotationem legas ad v. *accurationem*, a Mureto positum in orat. XVI. vol. II.: „*Malim curam*. Est quidem *accuratio* semel apud Ciceronem Brut. 67. Sed semel aut rarissime dictis abstinere prudentius est, quod saepe accidit, ut

ad effectum rei susceptae venturum. *Eundum est ad Gesnerum,* inquit princeps: *omnia ille scit.* Itur ergo ad eum. Gesnerus negat, se artes magicas didicisse aut exercuisse: enimvero consideraturum formulam. Venit in mentem, se huiusmodi quid in libro aliquo vidisse, forte Trithemiana Steganographia *). Hanc ergo primam adit: reperit ecce totam formulam. Re ad principem delata, et fraude cognita, multatus, uti dignus erat, impostor abit: ceterum Gesnerus laudibus ferri: hunc vero esse virum: eum minus digne nunc haberi: ubi ad se summa rerum venerit, longe ornatiorem fore. Itaque ei tum, ut dixi,

talia, melioribus libris inspectis, vitiosa reperiantur. Idem intelligi volo de vocabulo *attentio* apud Cicer. de orat. II, 35. quo Muretus usus est saepius." Verum est quod hic monuit Ruhnkenius; sed in epistola Coelii tam certa videtur Manutii emendatio, ut eam non desperem melioribus codd. aliquando firmatum iri. Ernestium autem vel propterea hac loquutione usum existimo, quod, quam parum sibi dubia Manutiana lectio esset, suo ipsius scripto significare vellet. Commode mox dicitur *expedire.* FR.

*) h. e. ars per occultam scripturam animi sui voluntatem absentibus aperiendi, ut ipse explicat Ioannes Trithemius. FR.

non modo incolumitas, sed etiam novi hono-res opinione hominum et fama destinabantur. Sed omnia alia evenere. Ademta est bibliothecae cura, quamvis deprecantibus omnibus, qui aliquid apud principem possent, et hunc unum idoneum ei curationi asseverarent. Rogabat, ut sibi modo absolvere opus institutum liceret. Id quoque negatum est. Tum vero displicere Vinaria, nec modo hanc ob causam, quod intra muneris scholastici angustias cogeretur, sed quod etiam nimis adfligi videret domum in se tam beneficam, et alios, quos coleret atque amaret. Itaque cum ei paullo post oblata esset Gymnasii Anspacensis gubernatio, libenter accepit conditionem, tanquam divinitus oblatum donum, quod etiam commendationis non parum haberet a facultate bene merendi de schola et urbe de se tam bene merita, et illo ipso anno, quo plaga tanta iniecta erat, sublatis rebus, migravit. Eo venit exoptatissimus omnibus, summis infimis in favorem viri effusis. Et ipsum audivi narrantem, quomodo post multorum annorum intervallum adfectus fuerit, cum ad illum pueritiae suae nidum venisset, et in

amplexus veteris praeceptoris, Koeleri, qui nuper ad Praesulatum Suabacensem a scholastica statione traductus erat. Sed omne tempus, †) quod inde apud Anspacenses egisset, iucundissime exactum esse praedicabat: cuius suavitatis partem bonam Oedero V. C. tribuebat, quem in scholastica curatione collegam concordissimum habuerat, et in consuetudine quotidiana periucundum confabulatorem. Quo fecit libentius, ut utrumque filium, in disciplinam acceptum, primum ad elegantiam doctrinae formaret, deinde bene conformatos proveheret. Nam maior natu commendatione eius Gymnasium Thoruniense regendum accepit, eique rei dexterrime praefuit: sed intemperantia studiorum, ut audivi e Geretio, clarissimo illo ecclesiae Thor. antistite, Gesneri cognato, atque, ut opinor, etiam moerore amissae ex partu uxoris, Geretiae, vitam praecipitavit: alter in Carolino Collegio apud Brunsvicenses magna cum laude philosophiam et mathematicas artes docet.

Verum Anspacensis commoratio non fuit diuturna, tredecim fere mensium. Vacabat

†) Pag. 475.

tum apud nos Rectoris in Schola Thomana locus. Cum eum Senatus mandare quam maxime idoneo viro cuperet, primoribus Collegii Gesnerum impense commendavit illustrissimus Bunavius, qui tum Senatui ecclesiastico Dresdae summa cum dignitate praesidebat, et omnibus, qui exquisitius docti essent, verissime et enixissime favebat: nam casu in hac urbe erat inspiciendarum rerum academicarum causa. Acceptum est saluberrimum consilium ab iis, qui maxime consultum scholae cuperent, et acceptum est hoc facilius et libentius, quod non modo de doctrina viri constabat, sed erant etiam, quibus exquisita viri humanitas et elegantia nota esset. Etenim non multis annis ante Thomas Fritschius, qui nobilem librariam in hac urbe factitabat, cum Ienae Buddeum magnifice de eius doctrina iudicantem audisset, cupiditate eius cognoscendi incensus, dum huc rediret, per Vinariam iter fecerat, atque ipsum secum *) Lipsiam abduxerat, tum animi causa, tum ut eius consiliis in rebus nonnullis, quas pararet, inpri-

*) Ed. pr. *per Vinar. transierat, atque etiam secum* etc. FR.

mis in lexici Fabriani, itemque historici repetitione uteretur. Is eum adduxerat in conventum virorum primariorum, Stiglitii, Boerneri, Baudisii, Menkenii, Mascovii, Wagneri, qui singulis diebus Martis ab hora sexta coibant. Erant ibi †) primum sermones plures de literis: sequebatur coena frugalis, quae et ipsa sermonibus talibus exhilararetur. Munus excipiendi convivas in orbem ibat, et licebat adducere, si cui hospes venisset, cuius ingenium ab talis conventus consilio non abhorrere videretur. Narrabat mihi Stiglitius, quo tempore consilia de eo vocando agitabantur, omnes mirifice captos fuisse viri ingenio, doctrina, quae sine ostentatione paedagogica proferretur, et morum urbanitate. Invitatus igitur est literis Senatus ad Scholam Thomanam gubernandam. Nec dubitavit accipere, quod deferebatur: non quo poeniteret sortis suae et Anspacensium, sed quod sibi maiorem hic facultatem dari putaret bene de literis merendi, nec sine numine divino eam sibi conditionem oblatam. Venit huc mense Septembri anni

†) Pag. 476.

trigesimi, exceptusque est ita, ut facile agnosceret propensissima omnium in se studia, et summam in sua doctrina et dexteritate fiduciam; cum ei non modo honos a primariis viris haberetur maximus, sed etiam potestas fieret rei scholasticae, ut videretur, ordinandae. Saepe erat cum primoribus civitatis vel colloquendi vel coenandi causa: ei liberi in disciplinam dabantur: omni genere liberalitatis cumulabatur. Unum ex eo genere commemorasse sat erit. Cum prima hieme, nondum absoluta scholae exaedificatione et domicilii, quod ei destinabatur, longius ab schola habitaret, publice dabatur pecunia, ut sellam adopertam conduceret, qua deferri in scholam et, finitis lectionibus, referri domum posset. Sed omnium maxime et constantissime eum amabat ac tuebatur Stiglitius, Scholae Thomanae tum curator, qui etiam amorem eius ad extremum ita conservavit, ut etiam audito Gesneri nomine gauderet. Incredibile dictu est, quantum scholae illi profuerit, non modo disciplina eius rectius ac novis legibus constituenda, et auctoritate regenda, sed etiam literis nova tum apud nos

et pulcerrima *) ratione tradendis. Nec minus dixerim meritum de literis universis. Nam profecto etiam rectius ac melius de literis humanioribus earumque vera et iusta scientia et Latine scribendi facultate iudicare nostros homines coepit docere. Quae res ei etiam invidiam apud nonnullos contraxit, †) qui cum in his literis ante crediti essent excellere, eo cognito, magnam pristinae de se opinionis deminutionem **) factam sentiebant. Augebat invidiam primorum in eo praeter ceteros laudando, colendo et ornando inusitatum studium: quam ille tamen modestia et summa in omnes humanitate lenire tentabat. Sed eius valetudini aer, victus, inprimis, ut ipse aiebat, aqua, non bene convenire videbatur. Nam plerumque non satis valuit, et bis ita aegrotavit, ut vitae periculum adiret, semel anno primo, iterum quarto, illo ipso tempore,

*) Ed. pr. *pulcherrima:* et sic constanter scriptum est in seqq., pariter ut *pulchritudo.* Cf. Cic. Orat. cap. 48. §. 160. Goerenz. Praefat. ad Cic. Legg. pag. XI. FR.

†) Pag. 477.

**) Ed. pr. *diminutionem.* Sed infra pag. 33. est *deminutio.* FR.

quo ei Gottingensis conditio offerebatur: quamquam posterioris morbi etiam alia causa fuisse videbatur, de qua dicere non est necesse. Quo facilius ei persuaderi potuit, ut ea conditione sibi utendum putaret.

Abiit ergo Gottingam, dolentibus omnibus, qui, quantam iacturam faceret schola et civitas ipsa, intelligerent. Ibi inter primos fuit, qui scholis habendis erudirent, quos novae scholae fama contraxerat, et allicerent fama nominis alios*). Et fuit haud dubie per omne tempus princeps eorum, qui plurimum ei doctrina et consilio prodessent, eiusque gloriam fama ingenii et doctrinae operibusque praeclaris longe lateque propagarent. Itaque probatissimus et carissimus fuit, quoad vixit, operis pulcerrimi post Deum auctori, et non modo illius, sed ipsarum literarum Statori unico, Magno Munchusio; cuius de laudibus si ita dicere vellem, uti dignus est atque ipse sentio, longissima

*) Oratio, qualem Cicero cum scopis solutis comparat Or. 71. Disiecta membra colligas et apte vincias hoc modo: *Ibi inter primos fuit, qui, quos novae scholae fama contraxerat* (imo *attraxerat*) *scholis habendis erudirent, et fama nominis alios allicerent.* MATTHIAE.

mihi explicanda esset oratio; quam hic locus non capit. Et sunt eius opera et praeclare facta vel disertissima oratione disertiora. Gesnerus quidem in eo pulcerrimam et maxime amabilem felicitatis suae atque etiam gloriae partem verissime ponebat, quod, quicquid vel commodorum vel ornamentorum sibi Gottingae contigisset, id omne de manu illius acceptum teneret. Sed multiplicem personam ibi sustinebat, primum Professoris humanitatis universae, deinde Bibliothecarii, tertiam Antistitis Seminarii philologici, quartam Inspectoris scholarum per Luneburgicas terras universarum.

Ac primam quidem quomodo sustinuerit, si Tibi dicam, Ruhnkeni Clarissime, iniuriam fecerim iudicio Tuo. †) Bibliothecarius qualis fuerit, ea, quae de Vinariensis bibliothecae curatione dicta sunt, et vero etiam multiplex linguarum et doctrinarum scientia, quaerere non sinunt. Ipse autem non modo scientia bibliothecariorum omnium longe princeps erat, sed etiam elegantissima humanitate et expromta adversus hospites facilitate. Quoties

†) Pag. 478.

ad usus communes patebat bibliotheca, ipse praesto esse, circumire, qui adessent, elicere sermones, consilia dare, libros ei rei, de qua quaererent, idoneos indicare, praebere, viam reperiendi, utendi demonstrare ac munire. Hospites autem quoties ad bibliothecam visendam venissent, sermonem ad sua cuiusque studia trahebat, quid in eo genere rarum, praecipuum, proprium esset, ostendebat, de rebus ipsis, quoad cuiusque captus ferret et sine scholastica ostentatione posset, disserebat. Itaque illi sic discedebant, ut, doctrinam potius an elegantiam et humanitatem praedicarent, vix decernerent. Et est illa bibliotheca, ubi aliquis optet bibliothecarii munere fungi, digna bibliothecario Gesnero. Non dicam, quam bene habitet, quamquam hoc quoque in bibliotheca laudatur. Initia illius, quae vidi ipse in dedicatione scholae novae, erant ea, ut iustae bibliothecae modum haberent. Sed ab illo tempore, ampliata utrimque sede sua, incrementa cepit, quanta vix tribus seculis alia speret. Quicquid uspiam dignum illa sede prodit, id eo defertur: quicquid quispiam de Doctoribus publicis optet ibi esse, id, ut

ibi sit, curatur. Catalogi ab omnibus Europae partibus convolant ad Munchusium; ab eo ad bibliothecarium veniunt, ut quid ipsi, quid Professoribus placeat, ematur, nulla copia viri summi liberalitatem fatigante.

Seminarium philologicum, ipsius de consilio institutum, habuit eundem adeo auctorem et praesidem. Scripserat olim, adhuc paene iuvenis, Ienae, de Buddei sententia, *Institutiones rei scholasticae*. Eius libri tum consilium erat, ut lectionibus super eo habendis iuvenes idoneos conformaret ad scholasticum munus recte obeundum; ne agendo demum discere necesse haberent. Sed id consilium tum erat impeditum vocatione Vinariensi. Videbatur ei consilii huius †) ad rem deducendi opportunitas data esse Gottingae, ubi et facultas iuvenum esset, ea studia aemulantium, et necessitas talis instituti ostenderetur, ante omnia, ubi haberet Maecenatem, animo et voluntate et liberalitate ad omnia paratissimum, quae bene consulerentur. Ita tum Seminarium hoc est institutum. Recipiuntur, exactis studiorum tirociniis, qui,

†) Pag. 479.

de praesidis iudicio, ingenio et voluntate parati sunt ad rem scholasticam administrandam. Hi ab eo, docendo, monendo, exercendo, ad id genus provinciae bene administrandae et omnes partes eius recte peragendas praeparantur. Et sunt iis regia beneficentia stipendia constituta. Sed tota instituti ratio ab ipso Gesnero literis perscripta est *), nec indiget oratione nostra. Id autem pluribus scholis valde profuisse, ut ego non dicam, Tua Te sponte arbitror iudicaturum esse.

Minus felix fuit inspectio scholarum, non Gesneri culpa, qui sui consilii copiam omnibus et doctoribus scholarum et curatoribus patere volebat, illis in docendi ratione, his in delectu doctorum, et doctorum ipsorum opera, vita, moribus, disciplina idonea regendis. Sed et doctoribus multis ille talis monitor magister non valde placebat, et ceteri etiam, ne sui iuris deminutio fieret, timebant: quasi aliud verius et maius ius esset,

*) Progr. quo post brevem prolusionem *de felicitate docentium in scholis*, Seminarii philol., regiis auspiciis in Acad. Georg. Aug. conditi, ratio declaratur. Gotting. 1738. 4. (Gesner. Opusc. tom. I. pag. 59. sqq.) FR.

quam recte et utiliter facere, sive tua sponte, sive ab alterius consilio et admonitu facias. Et audio, Gesnero mortuo, hanc inspectionis provinciam esse sublatam, rogantibus civitatum magistratibus, et facilitate atque indulgentia primatum aulicorum.

His quatuor personis adiuncta est ante hos decem annos quinta, cum, instituta Academia doctrinarum, ipsi classis historica et philologica credita est, ad extremum etiam totius Academiae gubernatio. Hanc quoque personam ita gessit, ut et Academiae gloriam nomine suo illustraret, et pluribus literarum capitibus novam lucem accenderet, cum se ad ea diligentius rimanda et illustranda dedisset. Ea quae sint, commentarii Academiae docent, et schedae Gottingenses, quae de libris novis exponunt. Per eam occasionem etiam deductus est ad Orphica, certe diligentius †) tractanda, de quibus post dicemus. Neque haec, quamvis multa et magna et plena laboris, ita eum occupabant, ut nihil superesset temporis ad literas scriptis iuvandas et ornandas: quae ab eo tot ac talia habemus, ut nihil aliud

†) Pag. 480.

egisse videri possit. Lipsiae quidem inter multos ac statos labores, et qui in scholae instauratione extra ordinem accedebant, ut minora taceam, *rei rusticae scriptores* absolvit, et *lexicon Fabrianum* totum iterum recensuit, correxit et locupletavit. Gottingae autem, ut scis, *Lucianum* Latinum fecit et notis exquisitis ornavit, *Quintiliani oratorias institutiones*, *Plinii epistolas* et *panegyricum*, *Horatium* et *Claudianum* castigavit et utilissimis eruditionisque accuratae plenissimis notis illustravit, denique *thesaurum Latinitatis*, opus maximum et laboriosissimum et eruditissimum edidit, vel unum ad immortalitatem nominis et perennem gloriam suffecturum. Et illa minora prope innumerabilia ne numero quidem, quae vel per occasiones solennes publice scripsit, vel aliis privatis de causis.

Inter haec Gottingae ita valuit corpore, ut semel tantum periculose aegrotaverit, ante hos decem annos. Quod periculum elapsus, tamen a reliquiis mali infestatus, ad extremum etiam oppressus est. Modo pedes ab incumbentibus eo vitii reliquiis intumescere

cum pruriente rubore: modo, attollente se ad intestina malo, coctio et excretio turbari, superveniente etiam interdum maligno alvi fluxu. Sustentabat tamen malum naturalis animi et corporis vigor, ut sufficeret laboribus, atque etiam pristinam hilaritatem conservaret. Nec dubitatur, quin longius vitam tracturus fuerit, nisi supervenissent, per quae validius irritaretur malum et pernicies accelleraretur. Culpam ergo festinatae mortis bellum sustinet, inprimisque superioris hiemis saevitia, quae aëris immunditie et victus tum inopia tum insolentia etiam bene valentes adflixit ac saepe oppressit, nedum languentes et male adfectos. Nam uxoris mortem, quae et ipsa in societatem causarum vocari possit, ita placide et constanter tulit, ut ad perniciem corporis valuisse vix videatur. Primum gravius tentatus est mense Septembri anni sexagesimi, cum, in reditu a legatione ad Xaverium †) Ducem, diutius aerem humidiorem in Visurgi amne hausisset. Superiori itaque anno, in omnibus ad me literis, mortis sibi propius minantis men-

†) Pag. 481.

tionem fecit, ut interdum etiam dubitare de Orphicis absolvendis videretur. In literis autem a. d. V. Kal. Iun. scriptis, etsi ostendebat, se propter vacationem scholarum habendarum sperare, ad finem venturum *Syntagma Orphicum*, tamen addiderat, nisi quid gravius incideret *), et de diarrhoearum molestiis iis, quas medici nostri ad paralysin viscerum trahebant et ad mortis vicinae periculum. Quae praedictio eventum suum habuit. Nam vertente Iulio, ita aucta est mali vis et imbecillitas corporis, ut mortem prope adesse appareret; quae consecuta est a. d. III. Non. Aug.

Arbitror Te animadvertisse, Ruhnkeni Clarissime, per totum huius narrationis decursum, in Gesnero non minus rarae fortunae, quam doctrinae exemplum extare. Eius felicitatis magnus cumulus fuit, immo permagna pars, in matrimonio, quod Vinariae inierat cum Elisabetha Charitate Eberhardia, sacerdotis Gerani in Ducatu Gothano filia, quam, sola animi et virtutis praestantia incensus, duxerat. Erant in ea omnia, quae

*) Ed. pr. *inciderit*. FR.

beatum matrimonium redderent: amor et reverentia mariti insignis, liberorum diligentissima cura, rei familiaris administratio plena scientiae, fidei et parsimoniae honestae, quae decus conservaret et studio mariti non adversaretur. Memini, cum ipse bonam copiam librorum, in auctione externa emtorum, acceptam mecum perspiceret, eam adstare, cum pretia cuiusque dicerentur, probare salubritatem emtionis *), laudare librorum pulcritudinem, denique optare, ut etiam maior copia emta esset. Haec an per simulationem dixerit, nec ne, haud pro certo dicam: vocis

*) *Salubritas emtionis* quid sit, fateor me nescire; an vilitas librorum emtorum? [Ea intelligenda est utique: et similiter loquutus est Plinius epist. I, 24. (ep. 21. ap. Titz.) „Haec tibi exposui, quo magis scires, quantum esset ille mihi, ego tibi debiturus, si praediolum istud, quod commendatur his dotibus, *tam salubriter emerit, ut poenitentiae locum non relinquat.*" Antea dixerat: „Rogo cures, *quanti aequum est*, *emat* (agellum): ita enim delectabit emisse. Nam *mala emtio* semper ingrata, eo maxime, quod exprobrare stultitiam domino videtur." Vid. ad h. l. Longol. itemque Salmas. ad Solin cap. 50. pag. 694. ed. a. 1689. Ultraiect. ad Rhen. FR.] Paulo post secutus est Ciceronem Catil. II, 6, 13. *quaesivi a Catilina, an conventu nocturno apud M. Laecam fuisset, necne.* MATTHIAE.

quidem sonus et oris species nihil habebant, quod simulationis suspicionem faceret *). Ceterum si, ut est feminarum ingenium, aliter de hoc genere sumtus **) faciendi sensit, prudentia tamen feminae apparet, quae innocenti studio viri non adversaretur, sed ei potius verbis indulgeret. Quo minus miranda est illa constantissima concordia et pietas mutua, cuius vix aliud pulcrius exemplum vidi. Et tulerunt hae tantae virtutes praemia digna, per liberos ingenii praeclari †) et fortunae optabilis. Nam filius Carolus Philippus, ob medicae doctrinae et artis, atque etiam virtutis reliquae praestantiam, inter medicos Regis Poloniae adscitus est, atque ornamentis Consiliarii aulici condecoratus; filia autem, Christiana Elisabetha est in matrimonio eiusdem artis, fortunae et ordinis in aula Cassellana viri, Io. Iacobi Huberi; quibus, et ipsorum et parentis causa, optabile est, etiam in posterum omnia secunda contingere.

*) Ed. pr. *praeberet* pro *faceret*. FR.

**) Ed. pr. rectius *sumptus*. FR.

†) Pag. 482.

Haec habui, quae de vita viri summi Tibi, V. C., narrarem: in quibus ipsis eius, h. e. ingenii, animi et morum imaginem, si non plane expressi, tamen non leviter adumbravi. Sed magis elaboranda est illa adumbratio, ut plane Gesnerum perspicere et animo contueri totum possis; quod Te maxime intellexi a me expetiisse.

Ingenio ab omni parte excellenti et rari exempli fuisse, nemo dubitaverit, qui, quae scripserit, et quomodo scripserit, quaeque etiam in iis generibus calluerit, in quibus nulla monumenta prodidit, non ignorat, omninoque per consuetudinem familiarem eum cognovit. Quanta facilitate ac celeritate in arripiendo, et firmitate in retinendo fuerit, multitudo linguarum ac disciplinarum argumento est, quas paene puer perdidicerat, maturiori autem aetate vel exquisite, vel supra mediocritatem callebat. Et tamen interdum memoria minus, quam vellet, se valere dicebat, ridebatque philosophos quosdam recentiores, qui etiam a memoriae magnitudine iudicandi vim debilitari dicerent, hanc autem maiorem esse in iis, qui memoria pa-

rum valerent. Sed satis fidebat memoriae in iis rebus, in quibus domicilium ingenii posuerat. Itaque non utebatur Excerptorum auxilio, nec alio subsidio memoriae, quod nos quidem cognoverimus, nisi quod interdum in capite librorum lectorum notabat quaedam insignia in utramque partem. Cum se ad scribendum dederat, omnia ei veniebant in mentem, sine cogitandi contentione. Itaque non diu moliebatur, sed brevi tempore profligabat, paene sine labore ullo, quae alium valde fatigarent. Cum in nodum difficilem inciderat, ut in emendando, interpretando, †) fere in prima intentione ingenii occurrebat, quod quaereret: ubi res non processerat, semel iterumque tentando, ultra non quaerebat. Neque enim vim faciendam esse ingenio: elicienda esse, non exprimenda, quae probare perito et eleganti iudici velis: quae nimis laboriose quaesita sint, vultum nitentis habere: his ipsis verbis, per iocum, utebatur. Atque hinc illa omnium, quae scripsit, naturalis et grata simplicitas, quae paene cogit probare inventa eius et de rebus

†) Pag. 483.

omnibus sententias. Sed huic tantae ingenii felicitati adiunctum erat plurimum urbanitatis et venustatis, non modo illius, quae in toto habitu orationis et rerum tractandarum modo cernitur, sed etiam eius, quae in singulis sententiis ac dictis se profert.

Scientiae paene infinita copia erat. Orientis linguas prope omnes callebat, Hebraicam, Chaldaicam, Syriacam, Samaritanam, Arabicam, Aethiopicam: Hebraicas literas ita excellenter, ut certare de principatu cum principibus earum literarum posset. Audivi eum, cum diceret, se Danzii de his literis libros, si perirent, restituturum. Latinarum et Graecarum literarum principibus adnumerare *) nemo dubitaverit. Poetas, oratores, historicos, philosophos pari studio ac diligentia legerat, nec minus diligenter res, quam verba, tractarat. Nec ita admirabatur veteres, ut contemneret recentiores. Nam et hos legendo cognoverat. Theologiam ex eleganti Buddei disciplina acceptam nunquam dimiserat, nec erat quicquam in ea disciplina, quod eum fugeret. Sed laudabat theo-

*) Matth. *adnumerare eum nemo.* FR.

logiam, quae e fontibus sacris ducta et literis ornata esset. Novam hanc subtilitatem demonstratorum metaphysicorum *) non magis, quam veterem illam scholasticam, probabat, et in rebus theologicis ἀσφάλειαν magis ab sensu impresso per scripturas et agentem per eas Spiritum S. quam ab subtilitate demonstrandi laudabat atque expetebat. Itaque vix ferebat, testimonium Sp. S. quod vocamus in arte, repudiari, de quo etiam, non ita multis ante mortem mensibus, indignatiunculam quandam suam literis apud me effudit, quem in eo sibi consentientem sciebat. Quaestiones subtiliores †) et ad summam religionis nihil pertinentes, sed controversiae plus quam veritatis et utilitatis habentes, aversabatur. Itaque de iis disputationes etiam a se amovebat, negando se theologum esse, usus per iocum Italico Sixti dicto: *Io non sono Teologo:* quod vidi etiam in partem deteriorem per imperitiam aut malignitatem trahi.

Philosophiam vehementer amabat. Vete-

*) Ed. pr. *metaphysicorum demonstratorum.* FR.

†) Pag. 484.

ris scientissimus, etiam novam et eius inventa tenebat, nulli sectae addictus. Itaque cum hic esset, non minus saepe mecum de philosophia, quam de literis Graecis et Latinis, disserebat. Historiam naturae adamarat lecto diligenter Plinio, naturae historico. Sed etiam recentiorum observata libenter cognoscebat. In quo magnum adiumentum habuit Gottingae a consuetudine plurium naturae scrutatorum, Halleri, Segneri, Holmanni, et instituta inprimis Academia, de qua supra dixi. Sed iam in hac urbe profecerat e Walthero et Platnero, quibus utebatur plurimum, itemque Hausenio, cuius etiam experimenta physica spectare cupiebat, quae tum primum proposuerat rerum naturalium studiosis, cum negaret sibi turpe fore, si horum spectator inter adolescentes sederet; cum illa mimica spectacula sine turpitudine promiscue quaelibet aetas adiret. Sed haec Hausenii, praeceptoris mei amantissimi, mathematici excellentis et ἀποδεικτικωτάτου, mentio me ad eam partem doctrinae Gesnerianae deducit, quam literatores vulgo non attingunt, cum superiores illi principes, Me-

lanthon *), Camerarius, Ios. Scaliger, P. Victorius, aliique magno studio amplexi sint. Itaque, ut alia incommoda taceam, interdum accidit, ut in poetis, ubi astronomica attingunt, vel haereant, vel turpiter labantur. Gesnerus autem non erat in hac parte doctrinae rudis, ut qui etiam algebram tractasset **); negabatque perfectam humanitatis doctrinam sine illa scientia contingere posse. Et studiose commendabat adolescentibus hanc doctrinam, qua etiam ingenia acuerentur ad omne genus doctrinae recte percipiendum, et ad coercendam ingenii lasciviam, comparandamque ἀκρίβειαν in omni genere doctrinae.

Historiam non modo veterem ita cognoverat, ut †) excelleret, sed etiam recentiorem non neglexerat. Lexici historici, quod, e Buddei instituto, per Thom. Fritschium curatum est, cum editio altera pararetur, ei mandata est pars ea, quae ad Brunsvicensem

*) Matth. cum ed. pr. *Melanchthon.* FR.

**) Ed. pr. *tractaverat* pro meliore coniunctivo. Vid. tamen Zumptii Gramm. Lat. §. 78, 9. c) adn. 1. Ramshorn. §. 194. 1) not. 2. Et similiter infra pag. (ed. LB.) 493. scriptum est: *ut qui a Lipsiae copiis venerat.* FR.

†) Pag. 485.

et Brandeburgicam historiam pertineret: et quae in relationibus de libris novis IX, 9. itemque in prolusione aliqua de Russici imperii historia scripta sunt, ea vero ita probata sunt, ut etiam commentariis Academiae Petropolitanae insererentur. Habuerat huius scientiae augendae amplissimam facultatem in bibliotheca Vinariensi, qua vix alia est in hoc genere locupletior. Attigerat etiam ius civile Romanum, praeceptore Laur. Andr. Hambergero, quem Gravinae origines iuris interpretantem Ienae audierat. Neque enim ignorabat, quam multa essent in libris Latinis, quae sine iuris illius scientia satis intelligi et explicari non possent.

Latinae eloquentiae non praeceptorem magis excellentem, quam exemplum rectissimum et perpulcrum fuisse, nemo dubitaverit. Praecepta dicendi non inutilia putabat, sed in docenda iuventute iis parce utendum censebat: admonebatque assidue suos, ne in iis magnam spem ad bene dicendi ac scribendi facultatem ponerent, sed in exemplis potius accurate cognoscendis et in exercitationis assiduitate et constantia. Imitationem exem-

plorum commendabat, non servilem illam, sed liberalem, quae exemplis bene et assidue cognitis et ingenii bonitate constaret, h. e. ea, qua ipse usus esset. Puritatem orationis Latinae laudabat, et pueris inprimis sectandam dicebat, cuius aetati ea cura conveniret; ceterum superstitionem morosam improbabat, magisque habitum universae orationis curandum et ad exempla recta fingendum dicebat. Itaque in castigandis et iudicandis vel discipulorum vel aliorum scriptis, qua verba et phrases, minus acerbus erat, etiam subtimidus, ne reprehenderet, quae idonea auctoritate defendi possent, patiebaturque in eo sibi discentes obloqui. In scholis non probabat morem singulorum scripta privatim corrigendi, non praesentibus, qui scripsissent. Eum laborem frustra fere insumi, quod plerique vel negligerent inspicere, quae emendata †) essent, vel rationem et causam emendationis nescirent. Itaque sic instituerat in Schola Thomana, ut in exercitationibus publicis, maiores et provectiores statim Latine exciperent, quae Germanice proponeret, et audientibus

†) Pag. 486.

omnibus, quos excitarat, corrigeret, ut inde et alii proficerent et peccata sua emendarent. Ceterum, dum illos audiebat, modo hunc, modo alium interrogabat, quid ipse scripsisset, vel libros inspiciebat: interdum etiam veluti consilia cum discipulis inibat, de modo recte vel exprimendae sententiae, vel scripti emendandi, ut omnes acueret. Ipsius oratio pura est, elegans, perspicua et venusta, etiam cum tenuissimas res, ut grammaticas et criticas, tractat: in ceteris, quae aliquem ornatum capiunt, crebra sententiis, acutis, novis, et, ut res sunt, vel gravibus vel suavibus, adspersa verborum floribus, non oppleta, leniter profluens, bene vincta et omnibus de causis mire dulcis. Quas ob virtutes, quicquid scripserat, cupidissime legebatur. Nunquam deerat, quod diceret apte ad causam et ad personas. Ipsae illae praefatiunculae breves in capite tabularum, quae lectiones Professorum indicarent, semper aliquam bonam et non vulgarem sententiam habebant, aut si hanc, tamen novo modo tractatam, et hanc ob causam suavitatis commendationem. Mirificum artificium erat in imaginibus per-

sonarum pingendis, in quibus etiam pulcritudini reliquae adspersas labeculas ita exprimebat, ut lectores alienos non secus, atque Ennium *) naevus in pueri cari articulo, delectarent, nec offenderent cognatos. An orator perfectus fuerit, qualem Cicero fingit, alienum sit quaerere, aut in utramvis partem pronunciare. Si perfectus orator est, qui de omnibus rebus apte dicat, erit ei haec laus non deneganda. Quid enim non apte rebus et personis scripsit? Sin is, qui etiam grandia vel sua natura, vel motu animi, apte possit dicere, iudicandi facultas nulla est in eo, qui sublimis illius orationis, praesertim qua motu animi magno censetur, usurpandae facultatem nec habuerit, nec habere in illo vitae genere potuerit. Ceterum memini me ex eo audire, sibi orationis illius usum nega-

*) Immo *Alcaeum*. Cic. de N. D. I, 28. „Deinde nobis, qui concedentibus philosophis antiquis, adolescentulis delectamur, etiam vitia saepe iucunda sunt. *Naevus in articulo pueri delectat* [sc. in carmine, quod etiam tum exstabat,] *Alcaeum*. At est corporis macula, naevus. Illi tamen hoc lumen videbatur.“ FR.

tum, quod vox ei apta et latera *) non contigissent: et illam vehementiorem sententiis, †) voce, gestu orationem a nostris moribus esse alienam.

Eloquentiae adiuncta erat poetica facultas, quam multis exemplis egregiis probavit peritissimis. Eam autem magis a naturae, lectione poetarum adiutae, bonitate, quam exercitationum assiduitate habebat. Et feliciter ei res procedebat, sive elegos, sive odas, sive hexametros scriberet, mansitque ei facultas haec ad annum sexagesimum, quo, ut supra dixi, graviter decubuit. Nam ab eo morbo ita ipsi exciderat, ut frustra versus conaretur. Sed quod magis quis miretur, paucis ante mortem annis repente rediit. Adeo illa facultas non est in potestate nostra!

Docendi genus non modo perspicuum et accuratum erat, sed etiam suavitate quadam ingenii commendabatur, sine ostentatione doctrinae et lectionis. In enarrandis auctoribus Graecis et Latinis haec spectabat, primum,

*) Est enim munus oratoris non ingenii solum, sed laterum etiam et virium. Cic. Cat. M. cap. 9. FR.

†) Pag. 487.

ut studiosi recte intelligerent verba et sententias: deinde, ut sententiarum et verborum virtutes sentire consuescerent, et gustu elegantiae et pulcritudinis imbuerentur, imbiberentque sensum honesti ac decori: sed nihil magis, quam ut seriem totius orationis perspicerent modumque rei cuiusque tractandae. Itaque etiam celerius plerumque in interpretando progrediebatur, nec probabat eos, qui in nimis multas et minutas partes in interpretando conciderent v. c. orationem Ciceronis unam, in singulisque diu haererent per speciem diligentiae, quae nihil praetermitteret, et in succum et sanguinem discentium convertere omnia conaretur. Nam ita cum singula diligentius perspicere viderentur tirones, totius perspiciendi facultatem adimi. Eandemque ob causam non probabat intervalla plura et longiora fieri lectionum super eodem scriptore aut eadem oratione: sed eandem rem continuatis horis et sepositis interea aliis rebus agi volebat; ita brevi tempore integras orationes absolvi, ut, qui mediocrem diligentiam adhiberent, totius argumentum, partes omnes earumque coniunctionem et explicatio-

nem tenerent. Eius rei rationem ab eo in praefatione Livii Lipsiensis accurate expositam cognoscere possunt, qui volent. Nos quidem et ipsi hanc rationem constanter †) secuti sumus in Schola Thomana. Per vices, ut hoc utar, horis antemeridianis ita interpretabamur orationes et epistolas Ciceronis, ut unum et alterum librum epistolarum uno tenore, senis per unam hebdomada dierum horis, explicaremus: iis mensis fere unius spatio absolutis, eodem modo aliquot orationes enarrabamus. Ita vertente anno, cum summa rerum actarum fieret, dimidium certe epistolarum volumen et sedecim amplius orationes absolutas constabat. Item cum libros de officiis proposuissemus, singulos libros una continuatione, eo quo diximus modo, explicabamus, ut intervalla non capitum et parvarum particularum, sed librorum fierent. Itaque qui quatuor aut tres annos usi erant disciplina nostra, Ciceronem non ex articulo uno et item altero, sed permagna sui parte cognoverant: eamque rationem discipulis nostris plurimum scio et ad intelligendum et ad scriben-

†) Pag. 488.

dum profuisse. Licebat autem nobis in illa schola talibus institutis uti, quod carebamus miseris illis legum vinculis, quibus in aliis scholis obnoxii sunt etiam boni praeceptores, ut non possint suis institutis uti: et id faciebamus inconsultis iis, qui, de more, Inspectorum nomen ferrent. Deylingio memini me hoc narrare, cum plures iam annos illa ratione usus eram. Cum ei excusare factum instituerem, ille vero etiam me prudenter fecisse, aiebat. Nam consulendo saepe bona consilia corrumpi. Me vero rectius Inspectoribus omnibus intelligere, certe debere, quid esset utile iuventuti.

Sed ut ad Gesnerum redeam, in docendo magis curabat ingenia bona, et in quibus studium appareret, quam tarda et ignava. Si quos cognoverat, usu, et re aliquoties tentata, nihil proficere, ingenii et voluntatis vitio, eos fere negligebat, ne in iis male periret tempus, quod aliis prodesse posset. Et scio quosdam, cum se viderent negligi, et causam intelligerent, pudore incensos esse ad studium doctrinae, et proficere coepisse. Putabatur etiam interdum subiracundus esse in docen-

do: nec negabat, se aetate ea, quae ferventior esset natura, in hoc infirmiorem fuisse: addebatque per iocum, solatium sibi et aliis iracundioribus in docendo †) honestum et magnum esse a Cicerone propositum, quod, ut quisque ingeniosior sit, eo iracundius docere dicat *). Aetate provectiori, audivi, libenter ac saepe digredi solitum ad rationem praecipiendi de moribus, et ad explicandos locos communes ex eo genere, prope in concionum modum. Quae res si minus consilio docendi, at aetatis auctoritati apta fuit, cuius propria est, ut verissime ait Cicero, monendi, cohortandi, adde etiam obiurgandi severitas et gravitas, quam etiam verbosiorem senectus ipsa **) fecit, praesertim in eo, qui etiam in verbis exercendis consenuerat.

Scripta eius pleraque, maiora omnia, pertinent ad grammaticam et criticam rationem. Gottingae res scholasticae saepe facultatem

†) Pag. 489.

*) Rosc. Com. cap. 11.

**) Nam *senectus est natura loquacior*, ut ait Cic. de Senect. cap. 16. FR.

dedere aliquid scribendi, in quo magis eloquentiam et ingenium posset ostendere. Memini eum, cum de scribendis libris colloqueremur, optare, ut aliquando scribere posset, in quibus ingenium magis quam diligentia valeret. Nam et iucundius legi, et plures atque etiam optabiliores lectores invenire, et maiorem laudem parare, cum diligentiam in potestate omnes haberent, ingenio natura valeremus, et facilius docte, quam ingeniose et venuste scriberetur. Libri autem ii, qui sunt e grammatico et critico genere, hoc est, auctores Graeci et Latini ab ipso curati, profecto sunt eiusmodi, ut disciplinam quandam habeant talium operum recte et salubriter condendorum. Crisis est modesta, severa et accurata, docta, atque etiam felix. Difficilia et obscura malebat explicare, quam corrigendo ad intelligentiam communem accommodare. Coniecturas ingeniosas laudabat magis, quam probabat: et nihil magis quam dulces illas ingenii illecebras in iudicando cavendum monebat. Nec tamen ingenio, literis et doctrina diu subacto, nihil tribuebat: quo et ipse non pauca feliciter correxit. Principa-

tum in auctoribus constituendis et interpretandis tribuebat lectioni scriptoris cuiusque assiduae et uno tenore aliquoties repetitae, per quam ipsius scriptoris ingenium perspiceretur ac prope indueretur. Plerosque hac maxime de causa saepe verum non vidisse, aliena ab mente scriptorum tradidisse, et repugnantia scripsisse, †) quod talem lectionem neglexissent: de quo in scriptorum rusticorum praefatione accurate scripsit. Itaque non probabat cunctationes editorum nimias; per quas oblivionem venire et eorum, quae scriptor, et quae interpres ante dixisset. In interpretando et illustrando brevitatem sequebatur, sed quae nihil desiderari pateretur. Itaque non obruebat lectores notis, sed adiuvabat. Nec verba modo curabat, sed vel inprimis res. Scriptorum Graecorum bene et eleganter vertendorum nullum aliud pulcrius exemplum extat, ut opinor, quam Luciani interpretatio Latina, quam ab Hemsterhusio, viro summo, depositam ipse susceperat: adeo pura, elegans et formae Lucianeae retinens est, salva Latinitate. In eo autem scriptore etiam hac,

†) Pag. 490.

opinor, de causa felicius laboravit, quod eum ab adolescentia studiose legerat ac paene imbiberat. In hoc ipso primum fere et maxime didicerat, quid ad inveniendum et iudicandum prodesset lectio continens, et totum velut spatium saepe decurrens, et seriem rerum universam persequens. Nam hinc venerat ille primum velut gustus Lucianeus, per quem, quid Luciani esset, nec ne, et in libellis universis, et in singulis verbis eleganter discerneret, deinde acumen videndi, quid suo, quid alieno loco esset, ut in Demosthenis encomio, quod transpositione unius paginae feliciter primus restituit. Nec alia via primus omnium sensus veros Hippocratici de diaeta libri indagavit et obscuritate liberavit, protractis in lucem Hippocraticis animabus; in quo tamen etiam sagacitas ingenii et (ἀκρίβεια) diligentia, tum in iudicando, quid intelligas, nec ne, tum in determinandis notionibus verborum ac rerum profuit. Extrema aetate Orphica diligentius tractavit, iisque emendandis et illustrandis coronidem imponere huic generi operum ac laborum constituerat: quae erat digna tanto ingenio tantaque doctrina materia. Et

satis scio, id opus, cui ad absolutionem nihil praeter praefationem deesse audio, dignissimum Gesneri nomine et gloriosum Germaniae fore: in quo etiam Tecum saepe reperies actum, Celeberrime Ruhnkeni, quem propter †) ingenium doctrinamque vehementer admirabatur, mea causa etiam amabat.

Lexicorum vel conficiendorum, vel locupletandorum et emendandorum rationem optime tenuisse, gnaviter vel indoctus vel impudens sit, qui ambigat aut se simulet ambigere. Farrago quidem Latina, quae a Fabro quodam primum instituta, ad has copias exaggerata est, eius de manibus primum sic prodiit, ut usibus discentium pariter et docentium videretur sufficere. Et tamen maius opus concepit animo, thesaurum Latinitatis, ad formam Stephaniani institutum, sed quod iure suo unius nomine inscripsit. Neque enim aliter Stephaniano labore usus est, quam pro basi operis sui: ceterum ita correxit, auxit, non modo verbis et formis loquendi, sed etiam explicatione locorum innumerabilium, ut novum opus haberi posset. Quod nos

†) Pag. 491.

quidem optime potuimus iudicare, qui opus, ut manu eius exierat, vidimus atque perspeximus. Neque tamen ita perfectum hoc opus vel volebat videri, aut voluerat esse, ut nihil ei ab alius diligentia posset accedere, quod sane imperiti et iniqui sit ab uno homine postulare. Non ignorabat, id fieri non posse, nisi quis omnes ex ordine auctores Latinos hoc uno consilio legat, ut omnia in locos suos digerat: quod profecto non cadit in unum hominem eius aetatis, quae tali labori satis apta sit. Qui lexica contemnere videri volebant et eorum auctores, omninoque de labore hoc, ut contemnendo nec satis digno hominibus doctioribus, detraherent, quos inter vestrates fuisse quosdam scio, Ruhnkeni Doctissime, iis non irascebatur ille quidem, ceterum contemnere illorum contemtum atque etiam ridere magniloquentiam solebat. Recte. Sunt enim fere aut ii, qui id genus laboris recte aestimare nesciunt, aut ipsi hoc contemtu avertere suspicionem volunt, se talibus e libris saepe sua sumere. Est profecto multo facilius minorisque doctrinae, in uno aut aliquot scriptoribus Latinis, de verbis et de phrasi-

bus, quibus velis ac possis, aliquid, vel explicandi vel illustrandi causa, afferre in medium, quam omnes Latinitatis copias recensere, ubi nullam partem praetermittere intactam licet. Et si notis illorum contemtorum detrahere velis, †) quae ad lexicon pertineant, aut e lexicis, si non aperte, at callide et artificio quodam, sumta sint, quae reliqui summa foret? Sed de ea re ipse dixit, tum in thesauri sui *) praefatione, tum in ea, quam Reiheriano scripsit, qua etiam non leviter offensum scio aliquem vestratium; sive ita sibi conscius erat, ut ad se traheret, quae ibi in hanc sententiam dicta repererat, sive quis, ut mihi narrari memini, ex hac urbe ad eum miserat plagulam illam, et in eum scripta esse persuaserat, quae in eam partem dicta essent. Sed haec de ingenio Gesneri, doctrina et meritis in literas, dicta sunto: ad animum eius moresque veniamus: quae pars etiam pulcrior et iucundior, nisi vehementer fallor, reperietur.

†) Pag. 492.

*) Abest pronomen ab ed. pr. et post voc. *Reiheriano* additum est: *thesauro*. FR.

Initium faciamus a religionis reverentia et amore atque pietate in Deum. Et religionem quidem tanti faciebat, in eaque tantum hominis bonum esse censebat, ut generis humani communes hostes iudicaret, et propterea odio acerrimo dignos, qui eam eripere hominibus, aut eius dignitatem labefactare conarentur. Ipse veritatem Christianae religionis et praestantiam sensu magis et experientia, quam subtilitate demonstrandi, se cognovisse dicebat, praesertim in periculosis morbis, cum vitae finis adesse videretur: non quo plane contemneret demonstrationes a viris doctis tentatas, sed quod eas aliis magis, quam demonstratori, prodesse, magisque ad alliciendos animos, quam ad certam persuasionem valere, πληροφορίαν illam πίστεως *), rerum humanarum et mortis ipsius victricem, ab sensu a Spiritu S. impresso venire existimaret. Pietas in Deum erat integra, nulla ostentatione fucata, factis magis quam specie et verbis se proferens, totiusque vitae moderatione et aequitate. Nam neque in rebus

*) Hebr. X, 22. FR.

secundis, quae ei per vitam prope universam contigere, efferebatur, neque in adversis ita deprimebatur, ut se ad aequitatem animi attollere non posset. In periculis, quae imminebant Gottingae, antequam iterum caperetur ab hostibus, consuefecerat animum, meliora sperare, fretus providentia divina: cum secus evenisset, ferre, quae accidissent. Eximere spem conantibus, *Interea*, respondebat, *usura fruamur.* Per totum tempus, quod inde *) capta iterum urbe, inter †) communia et magna incommoda, quae per obsidionem superioris hiemis premebant urbem, exactum est, in literis ad me suis nihil admodum questus est, sed omnia tolerabilia narravit. Haec aequitas et constantia esse non potest, nisi a vera pietate in Deum, quae et munit animum adversus acerbitatem sensus, eumque lenit et extinguit, et animum reverenter submittere voluntati divinae docet. Audivi in principiis rerum Gottingensium, nondum constitutis omnibus, ei irasci solitos, qui multa sibi de-

*) Matth. *inde a capta* etc. Sed abest praepos. ab edd. Batav. FR.

†) Pag. 493.

esse quererentur, cum ipse nihil sibi deesse diceret. Nempe eadem ipsi, quae aliis, deerant, fortasse etiam plura, ut qui a Lipsiae copiis venerat *), sed animus aequus ei non deerat, qui se flectere et aptare rebus posset, non res sibi parere vellet, insuetas imperii humani, nec audientes cupiditatum humanarum vota. Pulcerrimum dictu est, quomodo tulerit acerbissimum casum uxoris optimae, quacum tot annos vixerat, cuiusque auxilio in illa valetudinis infirmitate maxime indigebat. *Recepi me*, paucis diebus post ad me scripsit, *ab animi confusione, quam adspectus moribundae et mortuae et pompa mortis offuderat. Melius erat me destitui, quam ipsam, cum alterutrum destitui necesse esset.*

Nec fortunae magis aequus erat, quam hominibus. Suum cuique reddere iudicio suo, etiam cum corollario: nemini invidere fortunam, omnium minime laudem et gloriam. Immo favebat ingeniis, saepe supra, quam digna essent, et ab illa, quam dixi, aequitate, et ab studio hominum vel iuvandorum laude sua, vel incendendorum.

*) Vid. supra pag. 45. adnot. FR.

Itaque etiam peccatis et erroribus facilis erat, tegebatque magis et dissimulabat, quam aperiebat aut exprobrabat. Solos hos non satis ferebat, qui ad inscitiam adiungerent impudentiam, et ostentarent doctrinam, in qua ne mediocritatem quidem attigissent. Fatebatur, eam sibi indignationem commoveri a memoria fraudis, quae sibi aliquoties ab tali impudentia et ostentatione oblata esset. Erat autem haec indignatio eiusmodi, quae ultra verba non procederet, eaque modo apud ipsos, corrigendi causa, aut inter amicos, expromebatur. In scriptis neminem unquam ob talem aliquam causam asperius tractavit, praeter unum Helladium, cuius †) impudentiam in Miscellaneis Lipsiensibus prioribus acri sale perfricuit *). Et aliquoties eum audivi optare, ut sibi illud iuvenilis acrimoniae, ac prope lasciviae, opusculum revocare liceret:

†) Pag. 494.

*) a. 1716. tom. II. pag. 397. sqq. *De eruditione Graecorum, qui nunc vivunt, observatt. contra Alex. Helladium, nat. Graecum.* — Ibid. pag. 712. sqq. *Observatio Io. M. Gesneri παραλειπόμενα quaedam complexa.* (Gesn. Opusc. tom. V. pag. 30. sqq.) FR.

quod optatum, nisi fallor, etiam scripto prodidit *).

Par aequitas erat adversus eos, a quorum sententiis discreparet sua, nec modo in consiliis capiendis, sed etiam in communibus literis, nec vidi, qui facilius, ubi veritas ab se non staret, in alterius sententiam flecteretur: quippe non se, sed veritatem spectabat. Atque etiam, cum in disputatorem, quamvis falsum defenderet, tamen pertinacem inciderat **), aliquoties tentata correctione, ubi nihil proficiebat, cedere se simulabat, eo vultu, ut ille stultus etiam se vicisse gauderet: quam laetitiam se nemini invidere dicebat. Cavebat tamen, ne posthaec tali disputationi se immittere necesse haberet. Ac scio fuisse, quocum de interpretationibus et emendationibus locorum difficilium sermones conferre omni modo fugeret.

A quibus vero durius ipse tractatus erat

*) Vid. infra Niclasii epist. de Gesner. pag. ed. Gotting. 101. sq. FR.

**) In ed. pr. sic scriptum est: *cum in pertinacem disputatorem, quamvis falsum defenderet, inciderat,* etc. FR.

in hoc genere, iis nunquam acerbe rescripsit. Non tulerat Petrus Burmannus dissensum eius in locis Quintilianeis. Itaque in Lucaniis notis aliquoties, ut scis, Ruhnkeni Doctissime, vehementius rescripserat. Quid Gesnerus? Nihil nisi leniter questus est super iniuria apud Ruckerum, ICtum, Burmanni collegam; a quo facillime exoratus est, ut parceret seni, quem nimio plus adfligeret morbus gravissimus *). Pontederae morosas et suspicaces, iniurias magis, quam querelas, quomodo exceperit, omni ultione praetermissa, veras et lenes querelas atrocibus reponens **), non ignoras. Menkenio, qui nulla iniuria accepta, corporis magis, ut putabam, quam animi morbo incensus, in eum effuderat aliquid bilis vitiosae, nihil pro acerbitate ea reddidit, nisi Programma *de ministratoribus criminum (Bolzendrehern)*, quo nomine ab illo appel-

*) Vid. Niclas. epist. de Gesn. pag. 142. sq. (ed. Gott.) Gesn. epist. ad Reitz. in ed. Lucian. pag. XXX. itemque Gesn. Biograph. Acad. Gott. Vol. III. pag. 434. sqq. FR.

**) praef. Luciani [in ed. Luc. Hemsterh. Reitz. pag. XXV. sqq. Cf. Gesn. Biogr. Acad. Gott. Vol. III. pag. 347. sqq.] FR.

latus erat, ipso ne verbo quidem laeso *). Ita hoc paene lusu res transmissa est. Quotusquisque ad hanc sapientiam et aequitatem animi se pervenisse vere potest dicere? Sed maius etiam fecit in Popevicio, a quo thesaurus †) Latinitatis pari inscitia et acerbitate reprehensus erat in libro, quem *de Mari* **) inscripserat. Vis scire, mi Ruhnkeni, qua de causa? Nempe in lexico eo, quod non Germanis solis aut maxime scripserat, in quo non magis verbum Germanicum esse voluerat, quam editores Britanni Anglicanum, aut Stephanus quondam Francicum, in eo igitur nominibus Latinis plantarum, animalium, arborum, nomina vera Germanorum non addiderat. Magnum crimen et dignum istis tragoediis! Et laudavit contra Fabrianum lexicon,

*) Ed. pr. *Nihil dico de Menkenio, qui, nulla iniuria accepta, — in eum effuderat aliquid bilis vitiosae: cui nihil pro ista acerbitate reddidit, nisi Programma de ministr. crim. — quo nomine ab illo appellatus erat, sed ne verbo quidem laeso Menkenio.* FR.

†) Pag. 495.

**) Popewitsch (Popowitsch) *Untersuchungen vom Meer* pag. 330—334. Cf. Biogr. Acad. Gott. Vol. III. pag. 317. 319. FR.

quod ipse Gesnerus bis totum recensuerat, ut facile fuisset omnia in novum thesaurum vocabula Germanica transferre, si consilium tulisset. Sed ille sive nimio linguae patriae amore et studio, quod etiam, cum paullo post editum librum hic esset, mulierculae interdum ridebant, ablatus, sive, ut tum fama ferebat, ab obtrectatoribus Gesneri Lipsiensibus inductus in hanc fraudem erat. Cuius famae fidem tum mihi facere videbatur, quod satis sciebam, unum ex istis homini cuidam obscuro et famelico, qui redemtori scriptorum rusticorum, nescio qua de causa, iratus, iactarat, se in corrigendis speciminibus typographicis sustulisse multa peccata grammatica notarum, ei igitur pecuniam obtulisse, ut ea scripto vulgaret. Haec propterea scripsi, ut intelligerent homines invidi et maligni, artes has minutas et obscuras non in obscuro esse, sed cum contemtu et infamia sua patefieri, post mortem etiam proferri. Sed Gesnerus, ut ad eum redeamus, adeo non aegre tulit iniuriam, ut etiam auctor esset homini conficiendi nomenclatoris herbarum, arborum, piscium etc. Latino-Germanici, cum accuratis re-

rum ipsarum explicationibus, quales historiae naturalis periti desiderarent *), eique in ea re, quicquid opis ferre posset, polliceretur, si Gottingam venire et ibi hoc agere vellet **).

Haec autem tanta lenitas et mansuetudo non a lentitudine naturali et negligentia famae venerat, nec ab assuetudine iniuriarum excipiendarum, quae callum obducit paullatim, sed ab inductione animi, quae sola constantiam dignam philosopho et Christiano adfert. Inerat enim natura teneritas quaedam et mollitudo animi in utramque partem, ut acri sensu et beneficiorum †) et iniuriarum moveretur. Ea conservata et aucta erat perpetua indulgentia, qua summi eum viri constanter foverant multos per annos. Itaque ab initio, quod ipse mihi fatebatur, vehementius movebatur, cum ei aliquid accidisset, quod non deberet, isque morsus animi ipso vultu se prodebat. Sed ille, id quod animadvertenti observare licebat, omni ope sor-

*) Ed. pr. mendose *desiderent.* Sed haec tamen non tam Ernestii incuria videtur quam typothetae. FR.

**) Cf. Niclas. epist. de Gesn. pag. 142. (ed. Gott.) FR.

†) Pag. 496.

bebat dolorem, et animum cogebat concoquere, in principiis quidem non sine incommodo valetudinis, paullatim sine noxa et magna cum constantia; quam cum ab aliis, tum a Brendelio, eruditissimo et celeberrimo medico Gottingensi, audivi praedicari, cum ille paullo post gravem Gesneri morbum, de quo ante dixi, aliquot dies in hac urbe commoraretur et multum esset mecum. Etenim nihil aliud magis aiebat se mirari in Gesnero, quam lenitatem et patientiam in ferendo tali dolore. Incredibile esse dictu, quae ille et quanta cum constantia et aequitate interdum in Consilio publico a collegis quibusdam audierit. Nec vero ita opprimebat dolorem, ut memoriam retineret, et, se retinere, per occasionem, dictis factisve ostenderet. Etiam cum repentino aliquo et non proviso dolore opprimebatur, tamen statim colligebat se, atque et ad ignoscendum paratus erat, et vero etiam ad amicitiam iungendam, si quis vellet.

Neque enim proniorem aut aptiorem ad amicitias hominem vidi, vel natura et ingenio, vel animo et moribus. Qui tam libenter loqueretur cum mortuis, quorum delectum

coetum domi, pulcerrimum concilium in bibliotheca publica habebat, tamen non minus libenter, vel coram vel per literas, agebat cum vivis. Omnium hominum erat: nemo ab eius aditu, consuetudine, sermone excludebatur. Et poterat cum omnibus, apte ad personam cuiusque, sermocinari, ut supra praedicavi. Alliciebat autem ad se omne genus hominum meliorum doctrinae suae et humanitatis fama, capiebatque adeuntes ac colloquentes sermonum copia, utilitate, varietate, comitate, atque etiam, cum personae, res ac tempus paterentur, amoenitate. Nihil in eo arrogantiae aut fastidii erat, vel adversus eos, quibuscum esset, †) vel de quibus sermo incideret: de nemine detrahere, extollere etiam supra veritatem, seque demittere infra aequales aut minores vel ordine, vel ingenio et doctrina. In lectione paene infinita, etiam scriptores recentioris aetatis Francicos, Britannicos, Italicos, Germanicos complexus erat. Itaque non modo de his quoque sermones serere poterat, sed etiam refertus erat copia rerum, factorum, dictorum, quibus commemorandis

†) Pag. 497.

exhilararet confabulatores. Et ipse acute movebatur in iocando. Erat autem genus iocandi liberale, venustum, hilare, inter eruditos etiam doctum. Quo minus mirandum, si, ut priora tempora praetermittam, quoad Gottingae vixit, etiam ab illustrissimis hominibus et exquisita elegantia excultis eius consuetudo expetita fuit. Duces quidem Francici, qui Gottingae per hoc bellum praesidiis praefuere, omnes eius consuetudine libenter sunt usi, saepeque ad eum visendum colloquendi causa ita venere, ut eum in mediis studiis literarum opprimerent, et de rebus iis, in quibus tractandis eum reperissent *), cum eo dissererent. Dux autem Novi Castri **), cum Regi comes Gottingae esset ante plures annos, cum nullo alio plures sermones miscuit, eum omnium maxime humanitate sua est complexus.

Sed ut haec sint ad amicitias conciliandas et sustentandas efficacissima, tamen sunt modo, ut ita dicam, voluptaria et condimenta amicitiarum. Illa vero maiora, sanctiora et

*) Rectius utique est *reperissent*, quam quod ed. pr. praebet *repererant*. FR.

**) *Newcastle*. M.

salubriora, fides, integritas, iuvandi verissima voluntas et acerrimum studium, constantia denique, pariter reperiebantur. Quae sunt labefactandarum aut dissolvendarum amicitiarum, suspiciones, invidiae, levitates, longissime aberant. A suspicionibus non modo in amicos, sed etiam alios, adeo alienus erat, ut etiam saepe deciperetur, a quibus non putarat, opusque haberet admonitionibus amicorum, ut caveret. Sed malebat in hanc partem cum aliquo incommodo suo ac dolore decipi, quam in alteram cum iniuria adversus innoxios, et nimis bonus videri, quam maligne cautus.

Nihil illo officiosius non modo in amicitiis, sed adversus omnes. Et officium, id quod multis locis †) et in multis hominibus intellexi, ita praestabat, ut appareret eum gaudere officio, et in eo fructum amicitiae ponere. Nec quemquam eius auxilium in ulla re frustra expetiisse, scio, cuius facultatem haberet. Interdum non optima gratia referebatur: nec tamen poenitebat. Ipse autem quicquid ei vel a maioribus beneficii, vel ab

†) Pag. 498.

amicis et aequalibus et minoribus officii, tributum esset, ita accipiebat, ut etiam gratia augeret, memoria perpetua prosequeretur, et in beneficio accepto poneret, si remunerandi occasio oblata esset ab iis, quibus deberet.

In suos indulgentia mirifica erat, sed innoxia, et quae officii gravitate salubriter temperaretur. Itaque liberi auctoritatem eius ita reverebantur, ut metus omnis abesset, cum patre una inque conspectu eius esse, omnia, quae vellet, quaeque velle coniicerent, facere gauderent. Ex institutis paternae disciplinae non alienum sit hoc commemorare, quod ab infantia ita consuefecerat filiam pariter ac filium, ut secum Latine omnia loquerentur, ad cuius rei facultatem ipse eos adduxerat non praeceptorum severitate et scholis habendis, sed usus lenitate et artificiis, lusus quam disciplinae similioribus. Idemque in nepte ex filia et instituisse et perfecisse audivi.

Consuetudo vitae domesticae haec erat. Dormiebat ad horam sextam, nisi qua necessitas citius surgere iuberet: somnum petebat ab hora decima: aliter vix satis ad labores vigebat. A prandio residens in solio expecta-

bat somnum, qui ei paratus et perofficiosus aderat, sed, ut humani salutatores negotiosorum hominum solent, vix ultra horae quadrantem manebat: et tamen plane recreatus surgebat. Negabat, se sine hac refectione satis alacrem ad reliquam diei partem esse. A coena, quam tenuem et parcam sumebat, in museum pergebat: studiisque doctrinae, vel epistolis scribendis, ad horam decimam vacabat. Id tempus, quod sine interpellatoribus exigere licebat, inprimis carum habebat, idque sibi eripi non libenter patiebatur. Miraberis, Ruhnkeni Optime, quomodo in hac vitae consuetudine, quam ab initio usque ad extremum tenuit, inter tot labores docendi, negotia alia publica, interpellationes crebras †) adeuntium, curas rerum domesticarum, cum etiam epistolas saepe et ad multos scriberet, immo ad omnes, a quibus per literas compellatus esset, quomodo tantas doctrinae copias congerere, tot libris conficiendis ac scriptionibus aliis sufficere potuerit. Sed sibi vicariam temporis longioris adsciverat mirificam et diligentissimam dispensationem diei, quae nul-

†) Pag. 499.

lam particulam sine actione effluere sineret; et a natura habebat mirabilem alacritatem facilitatemque agendi, de qua etiam supra commemoravi, magisque ingenii parati felicitate et consuetudinis efficacia, quam laboris contentione, valebat. Ea porro alacritas per omnem diem aequabiliter vigebat, et ad somni capiendi horam statam perferebatur, magisque adsuefactione, quam lassitudine *), lectum, cum hora venerat, petebat: in quem cum se vix coniecerat, quamquam sine fatigatione, tamen mox obdormiscebat, et ad horam, quam diximus, sine intervallis vigiliarum, placide somnum continuabat.

Corporis species, in statura iusta, plurimum dignitatis habebat; eaque, ut audio, ad extremum salva permansit. Oris lineamenta bene expressa sunt in imagine ea, quae caput Thesauri ornat, nisi quod artifex, dum radio fingere vultum ad comitatem et hilaritatem tentat, sive illa pictoris culpa fuit, irridenti similiorem fecit: quo nomine Gerentium, de quo supra dixi, apud me indignari

*) Ed. pr. minus bene: *magisque usu edoctus, quam lassitudine coactus lectum* etc. FR.

memini. Erat enim in vultu plurimum gravitatis, sed quae a tristitia longe abesset, et temperaretur comitate. In sermone cum amicis et adeuntibus visendi causa, hilaritatis etiam aliquid accedebat, quo facile caperet animos hominum. Pronunciabat perspicue, presse tamen, et cum aliqua gratia. In incessu, gestu et omni motu corporis, ingenii illa et animi alacritas, de qua ante dixi, perspiciebatur. Nec ea destituta est a corpore, statim post graviorem illum morbum; paullatim tamen aliquid languoris trahere videbatur.

Alacritas et vigor ingenii ne moribundum quidem defecit, multo minus tranquillitas et aequitas animi. In ipso lecto fatali circumfusum fuisse libris, et legisse aliquid, aut scripsisse, constat. Nec Orphica aberant. Ad extremum medici per familiarem quendam ei denunciarunt, †) vitae finem haud procul abesse. Qua denunciatione audita, *Bene habet*, inquit. *Quae cum Deo agenda sunt discedentibus a vita, non ad hoc tempus distuli. Et meis mandata dedi pleraque. Ergo cetera expediamus.* Atque ita fecit: bi-

†) Pag. 500.

duumque proximum, sine ulla trepidatione, inter placida et tranquilla omnia, exegit, ipso oris habitu et sermonum omnium constantia tranquillitatem pectoris approbante. In sermonibus ipsis omnia digna viro vere Christiano, et qui sapientiam divinam et humanam tot per annos exercuisset: in quibus et ipsis placide defecit. Ita qui totam prope vitam voce, literis, factis docendo consumsit, etiam finem vitae habuit, in quo esset disciplina pulcerrima mortis bene obeundae, nec minus gloriae apud posteritatem habitura, quam cetera ingenii, animi ac vitae bona, quoad literis et sapientiae et virtuti honos suus constabit, habebunt.

Verusne fui, Ruhnkeni Praestantissime, cum in principio dicerem, quomodo adfectus ab hac lectione discessurus esses? Utcunque sit, ea certe, quae de Gesnero dixi, verissime a me dicta sunt, nec quicquam verius possum dicere, quam, me memoriam viri ad finem vitae summa cum pietate conservaturum, eaque mihi nihil in rebus humanis carius et iucundius futurum. Vale.

IO. NICOLAI NICLASII
EPISTOLA FAMILIARIS
DE
IOANNE MATTHIA GESNERO
AD
IEREM. NIC. EYRINGIUM

[IO. MATTH. GESNER. BIOGRAPH. ACAD. GOTTING. VOL. III. PAG. 1—180. GOTTING. 1769.]

EX EYRINGII PRAEFAT. AD GESN. BIOGR. ACAD. GOTT. VOL. III.

(PAG. XXXVIII. SEQQ.)

Collectis in unum librum elogiis, quae tum collegis, tum quibusdam aliis, quibus Gottingae mori contigit, Gesnerus scripserat, cum ex eius scriptis superesse viderem alia, quae ad eiusdem quidem Academiae et urbis historiam spectarent, ampliorem vero quam illam, qua utimur, *vitarum* inscriptionem postularent, quae tamen nec sola implendo peculiari volumini sufficerent, ita expediendam hanc quamcunque difficultatem ratus sum, ut tertio tomo, quo illud Biographiae Academicae Gottingensis opus augerem, talia complecterer, quae, coniunctim sumta, praescriptum tueri possent titulum. Iam quae ex his ad Academiae Gottingensis historiam pertineant, non erit necesse, ut hic demonstrem: referenda enim eo omnia, quae hoc quoque

volumine proponimus. Ad biographicam vero libri partem faciunt, praeter Gesneri ipsius, de Koehleri vita morteque, epistolam, cum mea qualiscunque Gesnerianorum operum descriptio, tum inprimis, *quae de Gesnero, quem per septem integros annos intus et in cute novit, Io. Nic. Niclasius, V. C., primum, pro sua amicitia et summa familiaritate, ad me solum scripsit, deinde, ut aliis etiam legenda indulgerem, exorari se passus est. Quis eorum sit finis, quaeve ratio, ad quam ea iudicari ipse velit, non uno tantum loco auctor explicat clarissimus. Nobis quidem* ἀπομνημονεύματα, *Xenophonteo more, de praeceptore, Socratis et aemulo et vero eiusdem simillimo, Niclasius scripsisse visus est; in quibus qui Xenophonteam in narrando suavitatem omnino desiderent, aut invidiose iudicare aut fastidiose putabimus. Quam suaviter ego, lecta illa ad me epistola, sim affectus, nolo pluribus expromere. Id arrogantiae esset, e meo sensu definere videri et praecipere aliorum iudicia. Cognoscant, qui volent, et iudicent ipsi lectores, si qui nobis contingent; a quibus id postula-*

mus unum, ut aequi sint atque humani. Qui paucas huic legendae epistolae horas indulgere non fuerint dedignati, dicant, legisse ipsos poeniteat omnino, an porro aeque iucunde, aeque utiliter otium suum collocari cupiant. Unum est, quod pro sua humanitate auctor metuit ipse, ne pluribus displiceat; litterarum amplitudo et rerum minutarum species. At qui his offenduntur, cogitent, in pingenda imagine et assequenda archetypi, nisi perfecta, certe manifesta similitudine, maiorum membrorum, ut brachiorum, capitis, pectoris, femorum, ipsius adeo oris et frontis, ipsorum oculorum, non quidem nullum esse momentum, quorum potius singulorum expressa naturali proportione, iustaque forma et ad veram imaginem exacta conformatione efficitur, ut totius simulacri veritas constet: at habere tamen illa cuncta, tot cum aliis hominibus communia, tot ambigua, ut, nisi vestigia simul singularia quaedam extent, non conemur, sine haesitatione pronunciare, hunc potius, quem cernimus, quam alium significari; contra e minimis vultus lineamentis, rugis atque tractibus, e minuti-

mis in facie notis, de universo simulacro, eiusque ad archetypum similitudine ac veritate, etiamsi in reliqua membrorum proportione fuerit adeo peccatum, iudicari interdum optime, certe facillime posse. In viro autem tam perfecti exempli, qualem fuisse Gesnerum constat, quis non privatam quoque vitam libenter et cum fructu singulari cognoscat? Talem sane virum, hoc est bonum, sapientem, eruditum, non publicis modo muneribus occupatum, sed tum etiam spectare iuvat, cum, deposita quasi publici honoris persona, privatas domi suae laudes meretur, privata indutus patris, familiaris, amici, consiliarii persona. Quodsi quibus ne sic quidem Niclasii opera probetur, tales erunt, qui Xenophonti ipsi metuendi videbuntur morosi castigatores. Nam reperient hi in Socratis adeo dictis factisque memorabilibus, ab hoc eius familiari litteris consignatis, quae minuta videantur et tam delicatissimum certissime refugiant fastidium. Sed legant, si velint, quae ab initio et ad finem epistolae ad excusandum se, ipse attulit Niclasius, meminerintque praeterea, quod Tacitum Pli-

animis utrum, ut aequi sint atque humani. Qui paucas huic legendae epistolae horas indulgere non fuerint dedignati, dicant, legisse ipsos poeniteat omnino, an porro aeque iucunde, aeque utiliter otium suum collocari cupiant. Unum est, quod pro sua humanitate auctor metuit ipse, ne pluribus displiceat; litterarum amplitudo et rerum minutarum species. At qui his offenduntur, cogitent, in pingenda imagine et assequenda archetypi, nisi perfecta, certe manifesta similitudine, maiorum membrorum, ut brachiorum, capitis, pectoris, femorum, ipsius adeo oris et frontis, ipsorum oculorum, non quidem nullum esse momentum, quorum potius singulorum expressa naturali proportione, iustaque forma et ad veram imaginem exacta conformatione efficitur, ut totius simulacri veritas constet: at habere tamen illa cuncta, tot cum aliis hominibus communia, tot ambigua, ut, nisi vestigia simul singularia quaedam extent, non conemur, sine haesitatione pronunciare, hunc potius, quem cernimus, quam alium significari; contra e minimis vultus lineamentis, rugis atque tractibus, e minutis-

mis in facie notis, de universo simulacro, eiusque ad archetypum similitudine ac veritate, etiamsi in reliqua membrorum proportione fuerit adeo peccatum, iudicari interdum optime, certe facillime posse. In viro autem tam perfecti exempli, qualem fuisse Gesnerum constat, quis non privatam quoque vitam libenter et cum fructu singulari cognoscat? Talem sane virum, hoc est bonum, sapientem, eruditum, non publicis modo muneribus occupatum, sed tum etiam spectare iuvat, cum, deposita quasi publici honoris persona, privatas domi suae laudes meretur, privata indutus patris, familiaris, amici, consiliarii persona. Quodsi quibus ne sic quidem Niclasii opera probetur, tales erunt, qui Xenophonti ipsi metuendi videbuntur morosi castigatores. Nam reperient hi in Socratis adeo dictis factisque memorabilibus, ab hoc eius familiari litteris consignatis, quae minuta videantur et tam delicatissimum certissime refugiant fastidium. Sed legant, si velint, quae ab initio et ad finem epistolae ad excusandum se, ipse attulit Niclasius, meminerintque praeterea, quod Tacitum Pli-

nius iunior, cum ad eum de avunculi interitu referret, admonuit: aliud esse epistolam, aliud historiam, aliud amico; aliud omnibus scribere *).

*) Lib. VI. Ep. 16. fin. [ubi nunc merito probatur haec verborum collocatio: *Aliud est enim historiam, aliud epistolam; aliud amico, aliud omnibus scribere.* FR.

CLARISSIMO DOCTISSIMOQUE VIRO

IEREM. NIC. EYRINGIO

S. P. D.

IO. NICOLAUS NICLAS

Mirabar, amicissime EYRINGI, quid tandem esset, quod, cum eundem, quo me beatum praedicas, amicitiae locum, apud GESNERUM nostrum tenueris, Gesnerum cogniturus ἐσώτερον, ad me potissimum venires *). Sed mox deinde non recordabar modo, illam, in qua mihi a te quasi successum est, familiaritatem, paullo post, morte viri ad omnem memoriam maximi, esse interruptam: verum metuebam etiam, ne praeter durissima belli tempora, vel funus dulcissimae coniugis, vel corporis, quo exstinctus tandem est, languor, vel molestiae, inter quas et frixit obmutuit-

*) Exordium hoc ut non est vulgare, sic ad Ciceronianum pro Rosc. Am. compositum videri potest. FR.

que auditorium, multiplices aliae, obstruxerint paullatim limpidissimum illum pectoris candidissimi fontem, qui alias erat inexhaustus, et omni genere litterarum, virtutis, ac sapientiae, exundare nunquam desinebat. Quare cum tibi maxima pars felicitatis, quam a †) Gesnero poteras exspectare, maturius sit praecisa, ac speraveramus; desiderium tuum Gesneri paullo interius cognoscendi, non potest non videri esse et honestissimum et iustissimum. Poteram quidem postulare, hanc sitim ut tolerares, dum Hambergerus noster, clarissimi nominis vir, fidem suam exsolverit *); nisi forte litterarum illud humanarum pariter atque divinarum columen, Venerabilis Ernesti, *dum voluit alios habere parata unde sumerent, qui vellent scribere historiam, — — eos a scribendo deterruit* **). Sed ne habeas, mi Eyringi, unde me vel malignitatis, vel illiberalitatis iure possis arcessere,

†) Pag. 4. ed. Götting.

*) Fidem suam non exsolvit Hambergerus, a. 1773. mortuus. FR.

**) Cic. Brut. 75. s. 262.

faciam quod possum, colligam micas vitae Gesnerianae, quibus interim, si lubeat, fruaris, donec alii coenam apponant lautiorem instructioremque. Noli quaerere; egi, quod iussus sum. Diligenter denuo sum contemplatus opera illa Phidiaca, quibus caput Gesnerianum et summa pectoris effinxerunt nobis accurate politissima arte, summi viri, Michaelis primum, deinde et Ernesti. Sed nimirum Gesnerus dignus est, cuius non partes modo praecipuae honoratissimaeque ostendantur posteritati; sed qui, cum plenam facultatem res non habeat, quoad eius fieri possit, totus exhibeatur conspiciendus. Praestet hoc, qui potest, publica scriptione. Ego rogatus a te, Vir clarissime, dabo hoc amicitiae nostrae, ut tibi, ex thesauris istis, quos, per illos septem annos, quibus disciplinae †) fui Gesnerianae alumnus, et, si hoc uti verbo fas est, in eius familiaritate, non segniter, sed avidissime collegi, suppeditem ea, quae tibi, et beneficio tuo, aliis, privatim possint prodesse, aut te oblectare saltem, et quae apud hos duumviros, quoniam aliena

†) Pag. 5.

erant ab eorum instituto, frustra quaeras. Si forte eadem opera possim consequi, ut quaedam, ubi illi breves sunt, illustrata putesi; aut quaedam etiam magni Gesneri lineamenta paullo expressa plenius; me fructum huius laboris tulisse iudicabo dulcissimum et amplissimum. Scio, cui scribam; viro scilicet optimo ac prudentissimo, et quod vel meum tibi gratificandi studium maxime debet excitare, Gesneri amantissimo. Igitur non metus est, ne videar de praeceptore immortaliter de nobis merito, minutius exposuisse, quam eius magnitudo postulet. In magnis viris omnia sunt, si non grandia, scitu tamen digna ac iucunda. Et haud scio, an illa, quae non quasi cum pompa quadam incurrunt in hominum oculos, sed ab illis remotiora sunt, bonam partem sint eiusmodi, unde quilibet, sibi suaeque familiae, quae imitetur, capere queat plurima. Et vero, quidquid dicant alii, quibus hoc scripturae genus displicet, vita privata, ut quisque fastigium tenuit excelsius aut magis fuit memorabilis, ita oblectationem habet longe maiorem, quam persona publica. Suetonius

etiam, etsi Gesnero perplacebat, eum tamen magis tenebat in Augusto, ubi patrem familias ostendit, quam ubi †) exhibet principem: et videbat maiori cum voluptate *invictum imperatorem* ludo vincere, quam proeliis; neque ita eum afficiebant, quae scripsit senatui, quam quae ad Tiberium filiamve; quemadmodum etiam libentius cognovit nepotes et litteras, et natare *) aliaque rudimenta per se docentem, quam instruentem aciem, ordinantemve provincias. Nolo nunc id commemorare, mores quoque se domi, ubi animus est omissior, simplicius detegere, quam in publico. Itaque vitam Gesneri, quatenus mihi innotuit, scrutatus sum diligentius; excutiensque memoriolam, promam nunc inde, non omnia, quae a Gesnero ipso accepta illi credidi, sed ea, quae tibi vel cognoscendi voluptate iucunda, vel exemplo fore non inutilia, possum sperare. Quod sicut non facere possum tam, atque par videtur, eleganter; ita faciam fidelissime. Non enim committam,

†) Pag. 6.

*) Suet. Oct. cap. 64. pro v. *natare* recte dederunt *notare*. Vid. Baumgarten - Crusius. FR.

ut, quemadmodum Socrates, cum Platonis Lysin audisset recitari, Ἡράκλεις exclamasse dicitur, ὡς πολλά μου καταψεύδεται ὁ νεανίσκος *): sic tu, *Bone Deus!* exclames, *quam multa de Gesnero mentitus est hic iuvenis.* Ergo habebis tu quidem, quae poscis, ἀνέκδοτα, ut Graeci loquuntur; at cum gallica elegantia hoc nomine nobis vendat ingeniosorum hominum commenta; ego profiteor, hoc genus ἀνέκδοτον te accepturum esse ne unicum quidem, sed omnia vera, tradita omnia ab optimo praeceptore, sanctissime a me custodita, religiosissime †) iam depromta. Quaedam tamen debeo quoque aliis, sed iis, quorum explorata est fides, et ad quos provocabo, quoties illorum utar beneficio, utar autem vix semel atque iterum. Veritatis sum unice studiosus, hanc ubique quaero, hanc mihi amicam velim perpetuo, haec mihi se ut semper ostendat, subducat nunquam, opto voveoque; sed ita opto et voveo, si immortalem illam Dei immortalis filiam hic tanta coluero religione, quanta potest esse maxima.

*) Diog. Laert. III. s. 35.
†) Pag. 7.

Ioannes Matthias Gesnerus, essetne Conradi propago? interrogantibus, *Pro certo*, respondit, *non possum affirmare: sed in gente mea constans est per manus tradita fama, stirpis nostrae auctores, ex Helvetia oriundos, immigrasse in Germaniam. Nitor aliis quoque indiciis, quae mihi fidem faciant. Igitur Conradi sigillum, ob quatuor elementorum symbola ab Imperatore Maximiliano II. honoris causa illi tributa, memorabile, usurpare haud dubitavi.* De hoc mota est illi aliquando lis, sed amica ab amico. Vir magnus, Germaniae nostrae non minus quam Helvetiae suae aeternum decus, collega tum nostri, in ephemeridibus, quae Gottingae publicantur, haec posuerat verba: *Io. Iacobus Gesnerus nominis et sigilli Conradi Gesneri haeres unicus.* Matthias noster, quorsum hoc pertineret, intelligens haud dubie, scribit ad Io. Iacobum, qui reddidit aetati nostrae Conradum cum foenore, rogat, *Utrum hoc ei aegre sit, si* †) *maneat ipse in consuetudine?* Hic vero respondere amicissime, affirmareque, *Esse hoc sibi honorificum,*

†) Pag. 8.

si vir tanti nominis, meritorumque tantorum, gentilis suus esse velit: neque vocare se ius sigilli in controversiam ac disceptationem; et, nisi hoc iam vindicasset ipse sibi, se ultro fuisse oblaturum. Quoquo modo sese res habeat, hoc tamen certum puto, ex nostri posteris, qui maiores quaerat, Ioanne Matthia potiores atque illustriores, exoriturum esse neminem.

Nobis, Eyringi, contigit Gesnerum nosse, cum ipse fama, fortuna, honoribus, floreret iam excelsissime, et tota domus esset illustris. Facturum me operae pretium spero, si ostendam, quibus gradibus tantum ad fastigium pervenerit, non cursim, sed pedetentim. Nimirum solet illa, quae omnia regit, mens provida, non quercus modo celsissimas ex semine parvo, et minore etiam germine, erigere ad illam magnitudinem: sed idem quoque facere plerumque in hominibus consuevit magnis et commemorabilibus. Arbor illa patula, fructibus plena suavissimis pariter atque saluberrimis, a principibus expetita certatim, quae pluribus in terris floruit, illisque commoda praestitit uberrima, nec Germaniam

modo nostram, sed orbem, qua litteris cultus est, et ornavit, et numquam non ornabit, universum, parvus admodum fuit surculus: hoc est, Gesnerus antequam in Academia Ienensi iustam nancisceretur staturam, †) non modo corpore fuit brevi, adeo ut vulgo in patria audiret *parvulus Gesnerulus* *); sed et multa erant alia, quae impedirent, quo minus opinari quis potuerit, illum caput olim tanto esse opere elaturum. Inprimis paupertas dura, sed honesta atque adeo gloriosa, diu illi obstitit vehementer. Scilicet pater, qui sacra curavit in oppidulo Anspacensi, cum morbo conflictaretur gravi et nimis diutino, pia mater omnes opes impendit, ad malum exquisitis remediis propulsandum, sed studio irrito sine effectu. Nam exhausta re familiari, paullo post moriens vir optimus piissimam coniugem cum quatuor filiis, quorum minimus erat noster Matthias, quos deinde vitricus mactavit alteris tribus fratribus, qui omnes tamen et fuerunt vitales, et aut habuerunt, aut etiamnum habent dignitatem,

†) Pag. 9.

*) *das klana Gesnerla.*

in summa reliquit egestate. Quae caussa fuit, cur duro admodum initio usus sit adolescentiae. Scis, Eyringi, in Germania superiori duo esse genera discipulorum, canendo sibi suisque studiis aliqua quaerentium praesidia, quorum alteri vocantur *Chorus Symphoniacus*; alteros vero, quoniam non ut illi per plateas animos beatiorum cantibus permulcent statariis, sed vicos urbium perambulando gradu concitatiori canunt, *discipulos* dicunt *currentes*. Quorum conditio cum minus sit honorata, quam istorum, cumque munia iis sustinenda sint onerosiora; nemo temere in illorum se cooptari collegium patitur, nisi sit pauperrimus. Sed in †) horum numero fuit aliquamdiu Gesnerus. Et cum ibi mos esset, ut operae suae praemia caperent non nummulos solum, sed panes quoque, quos novissimus deberet colligere ostiatim; ipse quoque hoc munere functus est. Aliquoties illum inter discipulos memini dicere, non tristi aut acerbo vultu, sed, ut erat venerabundus divinae cultor providentiae, exhilarato: *Ego et Salomo Gesnerus, Vittebergensium Theo-*

†) Pag. 10.

logus ille, diebus Domino nostro sacris panarium portavimus in tergo. Etiam Ienae per duos annos vixit in inopia, sed ita, ut severam istam amicam pateretur facillime. *Saepe,* Gesneri verba repeto, *spatia ante portas urbis facturus, non nisi grossi, quem Misnicum vocant, possessor fui unici, et quum mendici, me longe pecuniosiores, mihi obviam fierent, dedi illis nummum meum, hac quidem lege, ut redderetur dimidiatus, unde deinde poma, ad vitam aliquot per dies tolerandam, emi.* Mos tum fuit, utrum adhuc sit, non habeo dicere, sed tum fuit mos, ut in familiis, quacunque de caussa honoratioribus, natales et funera carminibus celebrarentur. Hoc institutum Gesnero, poetae, ut tum tempora erant, etiam cum patria lingua caneret, valde probabili, admodum salubre fuit et quaestuosum, adeo ut aliquoties, cum iam ad incitas redactus esset, inde praeter opinionem subito pusillum nactus sit laxamenti. Reliquis vero, quibus in Academia illa litteris operam dedit, tribus annis, in domo et sinu adeo, celeberrimi †) istius theologi, Bud-

†) Pag. 11.

dei, primum assecutus est fortunae lautioris gradum. Per illum innotuit Duci Vinariensium Serenissimo, qui eum ad se vocavit, ut Gymnasium suum regeret loco secundo. Adeptus deinde est honores caeteros, eo, quem nosti, ordine. Etiam coniugium illud, omnium, quae noverim, fortunatissimum, diu comitem habuit paupertatem, quae tamen sensim alienata locum fecit Pluto. Quibus artibus dissuta sit arcta ista cum pauperie amicitia, et quibus conglutinata altera illa, quae felicior vulgo putatur et optabilior, si quaeris, sic habeto. Est virtus, quae civibus nostris ne nomine quidem innotuit patrio, et quae hoc saeculo ita fere disparuit, ut necesse habeamus illius descriptiones *) ex libris Graecorum Romanorumque anxie conquirere antiquissimis. Frugalitas Romanis est. Haec cum Gesneria, quamdiu illa vixit, individua habitavit, illamque pro hospitio praemiis amplissimis decoravit atque splendore. Huius

*) Quales dedere Gesnerus progr. inaug. (Gott.) 1755. (Fol.) et dignus eius successor Cl. Heynius in progr. duobus *de publicis privatae frugalitatis utilitatibus ad maiorem civium frequentiam.* [Gotting. 1765. 66. Fol.]

illa viva erat imago. Documenta, ex infinitis, duo tantum proferam, sed ea, quae sint instar omnium. Cum mater facta esset, non faciebat, quod reliquae, quae nutrices emunt, famulis augent familiam, sumtibusque faciendis fatigant maritos. Ipsa, quod pepererat, non nutrivit modo, ac diligenti cura fovit, †) et educavit per se, sed eodem tempore negotia quoque domestica tractavit alia. Et ne, dum ipsa rebus esset suis intenta, aliquid inde detrimenti caperent parvi abiecti aut neglecti certe, illos linteo adstrinxit suo ipsius corpori, et sic expedivit res. Lutherum divum, cum aliquando vidisset mulierculam, quae, infanti mammam praebens, puerulo ante se stanti alteri preces et verba sacra praeiret, neretque simul insuper, *Bone Deus!* exclamasse dicunt, *tam diligentem nunquam vidi, quae tres labores uno tempore profligaret.* Dive heros! in domo Gesneri nostri pulcherrimum spectaculum hoc, sed rarissimum idem, poterat tum videri quotidie. Vidisses hic quoque Gesnerum, tanquam alterum Philippum tuum, una manu

†) Pag. 12.

vel libros vel calamum tractare, altera vero movere cunas. O vos felices! quibus talis contigit pater, et mater talis. Scilicet inter alia bona hoc quoque debebat domui Buddeanae non leve nec ultimum, quod poterat non inter ploratus modo parvulorum, sed inter strepitus adeo et tumultus maiores sine perturbatione suis vacare litterulis. Nam cum in illa sic habitasset, ut eius cubiculum quotidie quingenti et amplius auditores Buddei praeterirent aliquoties, eum habitum induerat, ut nunquam quidem sensibus, ea quae extra fierent, non perciperet, sed ut animo posset imperare, ne se invito abduci se a rebus agendis, aut turbari pateretur. Inde etiam habebat hoc, quod eodem tempore non legere tantum poterat †) et audire, verum scribere quoque et docere. Neptis quotidie hora sua inveniebatur in cubiculo avi vel imitans chirographum, vel litterarum tractans rudimenta: ubi, sive legeret, sive scriberet ipse, eam subinde nunc monebat, nunc eius interpellabatur interrogatiunculis. At nunc redeo

†) Pag. 13.

ad exemplar illud Sabinae *) frugalitatis atque disciplinae, Gesneriam. Nam hi coniuges, qui per totam vitam fuerunt coniunctissimi, neque hic vel possunt, vel debent, esse seiuncti. Leve est, quod dicam, et omnino iudicarem relatu indignum, nisi testaretur de amoenitate ingenii muliebris, et quandam haberet iucunditatem. Munditiei erat studiosissima, sed non sumtuosae. Igitur parvulos suos non, ut nunc est saeculum, auro et argento ornabat, neque volebat eos plumatos; sed, quoties sine dignitatis imminutione fieri poterat, inducbat illis vestes puerili agitatione discissas, a se vero resartas. Has ut gererent animo lubentissimo et ultro optarent liberi sui, effecit mater prudentissima persuadendo illis, haec vestimenta, tali distincta modo, coeli esse stellati picturas. Hoc muliebre strategema multifariam profuit. Non enim fecit solum ad rem tuendam familiarem,

*) Veteres Sabini ob morum gravitatem severamque vivendi disciplinam ante alios laudabantur. Iuvenal. Sat. X, 299.

Sanctos licet horrida mores
Tradiderit domus ac veteres imitata Sabinos.

FR.

sed placuit etiam viris honestissimis, si forte ex improviso opprimerent Gesnerum domi suae, et filiolum inter ludos suos audirent matrem laudare eo nomine, quod sibi solem, lunam falcatam, venerem, stellasque alias vesti inseruisset suae. Quae res cum iocis dedit occasionem amoenissimis, †) tum leporem habuit maiorem, quam si puerulum ornatum offendissent splendidissime. Quid? quod matrona, nunquam satis laudanda, amoenae huius frugalitatis senex iam dulcissimum tulit fructum. Nam filius, cum iam vir esset, et arte, et honoribus, et titulis illustris, cum illam post multorum annorum absentiam inviseret, cum summa hilaritate huius ludi materni recordatus, gratias ei egit singularibus verbis. Quod profecto non erat facturus, si eum talis aut chartulis pictis docuisset ludere, quod nunc matres quasdam, et patres adeo, facere audio, pessimo et horrendo exemplo. Has vero artes ut omnes sectarentur mulierculae, illae inprimis, quae vivunt in virorum matrimoniis litteratorum, erat sane optabile. Scio quidem fuisse quas-

†) Pag. 14.

dam, quae illam ludibrio laederent, quod colum tractaret, vocarentque hoc opus servile, uxore viri, in Academia litteras cum laude profitentis, indignum; sed eae erant, quas coniuges sui optare debuissent, ut Gesneriae tam fuissent similes, quam illius erant dissimiles. Nam optimos tandem maritos omnibus everterunt fortunis. Si vero nosti, quae talem habuisse magistram optent, has amanda Cassellas, iube quaerere domum Illustris Huberi, et divae adire matronae filiam, maternae virtutis ex asse haeredem. Potes illis etiam ad confirmandos animos hoc certissimum affirmare: non prohibuisse hoc vitae institutum, quo minus praestantissima femina, matronis primariis quoque, ut Marschalliae et aliis, †) ubicunque vixerit, perpetuo fuerit carissima. Et quod maius, licet illis dicas, plausisse ei adeo, elegantiae, cultus, et virtutis arbitrum, quo nullus verior aequiorque fuit, Gellertum *).

Haec tu quidem facies, Eyringi amicissime. Ego vero vellem, ut de paupertate Ges-

†) Pag. 15.

*) Epist. XVII.

neri adolescentis, concionari possem de turri altissima, Stentorea voce.*) Quid enim pulchrius esse et laudabilius potest, quam praeconem fieri divinae providentiae? Quid utilius potest cogitari, quam adolescentulis optimis, sed pauperibus, quasi signum tollere ad bene sperandum, et simul ad fortiter patiendum hortari? Quod denique factum fortius sit ac gloriosius, quam iis ruborem incutere, eosque frangere pudore, qui animo, nescio erga Deum ingrato, an diffidente illius providentiae, aditu Musarum solis divitibus patefaciendo, pauperes prohibitos cupiunt quam longissime? Infantes videlicet observamus, quidquid arripiant manibus, id ori afferre, et si comedi non possit, tanquam inutile abiicere. Tales nunc multi sunt, qui sibi tamen viri, immo quoque sapientes videntur. Igitur ut sint manus quam plurimae, quae quod ipsi comedant, aut bibant, aut quibus vestiantur laute, parent, contendunt omnibus nervis ac facultatibus, ut ne pauperes admittantur ad studia musica; sed ad opera se applicent

*) Homer. Iliad. V, 785. seq. Iuvenal. Sat. XIII. vs. 112. FR.

manu facienda, a quibus sciunt divites esse alieniores. His igitur litterarum †) studia solis relicta volunt. Illi viri ubi vixerint, ut licuerit eis divitum parentum filios litterarum tam cupidos perspicere, ut in illis severa lege multos esse profecturos sperare fas sit, equidem nescio. Nam ego ex non paucis discipulis bene nummatis plerosque cognovi eos, quorum nomina vellem mihi aeternum excidere memoria, aut dari mihi aliquem artificem, qui me oblivisci ista doceret. Contra hic, ubi plures sunt, quorum mentis bonae ac virtutis soror est paupertas, habui, et habeo, bene iuvante Deo, qui, quidquid docere possum, discant, et me ament, et diligentia, et modestia, et pietate spem sui optimam ostendant. Istorum igitur iudicio virorum si standum fuisset Gesnero iuveni, ilicet actum erat de illo. Nam sine dubio ipse cum fratribus sex, si bene illis consultum esset, aut dulciario fuissent traditi, a quo cupediarum acciperent artificia; aut detrusi in cellam vinariam, forte inclusi etiam opificum tabernis; aut relegati rus ad opus faciendum. Et

†) Pag. 16.

procul dubio egregia ac praeclara illa indoles, quae rusticos Romanos ita nobis perpolivit; quae opera tot laboriosa absolvit feliciter; quae tot opuscula cum numeris adstricta, tum libero dicendi genere scripta excudit, omni nectare dulciora, adeo ut Moshemius, verus harum rerum iudex, cum eum Gesnerum, Goettingam translatum, primo viseret honoris caussa, iocans diceret, *Non rogo, quonam vini genere potissimum delecteris; nam scripta tua non sinunt me dubitare, te vinis uti dulcibus*; quae †) verba et ipsa dulcia scriptori nostro fuisse debent, supra quam cuiquam credibile sit: illa indoles, inquam, quae haec in litteris praestitit, dubio procul etiam pastillos formasset ad palatum delicatorum hominum; et rura coegisset esse fertiliora; et alia laudabiliter effecisset, quae isti cum maxime volunt. Optime factum est, Eyringi, quod isti, quae tibi modo dixi, nesciunt; alias enim, certo scio, iam sederent ad calculos, et computarent sollicitis articulis, quot millia imperialium lucrata esset respublica, si Gesneri vita suo fuisset ex arbitrio

†) Pag. 17.

constituta. Nosti, quae pro sapientia sua dicturi essent facturive, caetera. Non ita me barbarum et agrestem terra protulit, ut sentire nequeam, humanitatem cerni in vitae totius cultu, et rebus quoque iis, quae in sensus nostros incurrunt cum aliquo decore. Quod reliquis animalibus et habitamus commodius, et elegantius vestimur, et coenamus suavius, quia humanum sit, non est dubium. Sed qui his rebus tantum tribuunt, ut principatum nostrae naturae in iis ponere videantur, isti profecto nihilo plus sapiunt, quam si quis illud aviculārum genus, quod nobis miserunt insulae Canariae, ideo reliquis anteferat, quoniam sacchare incundo vescatur. Non cibus et potus brutis nos seiungunt potissimum; sed ratio atque oratio; his ut valemus, ita sumus humaniores. At vero bona ingenia, et ad discendas litteras, quibus tum acuitur ratio, tum oratio perficitur, idonea, arcere et propulsare a vero humanitatis studio, ob unam paupertatem; †) iniuria est et crudelitas tanta, quanta cogitari potest maxima. Potuisset Gesnerus, quis enim nega-

†) Pag. 18.

bit? potuisset ergo in alio vitae instituto quocunque patriam suam emolumentis auxisse amplissimis, et divitias coacervasse ingentes atque immensas: sed si brutis nolumus similes esse, quae non nisi curare pelliculam laborant; si volumus esse homines, gloriari origine divina, et auctoris nostri similitudinem illamque aurae divinae particulam corpore et vita voluptuosa ducere potiorem; Gesnerum, Dei voluntate et cura doctrinae studio atque humanitatis tenera aetate admotum, omnibus deinde litteris imbutum et instructum, ita esse humano de genere meritum, ut magis mereri de eo non potuerit, grati fateamur necesse est. Nunc illud est profecto, cum *nec vitia nostra, nec remedia pati possumus* *). Nunc velle et optare debebamus, ut multi ubique essent doctores, qui non tam fulcirent decidentes mores, nam hoc serum est, quam praecipites et lapsos corrigerent, et applicando ad frugem, iuvenum animos, oppilarent fontes, unde ad perniciem generis nostri manant tot vitia. Non enim sanant isti, qui alunt luxuriam, sed

*) Liv. Praef.

augent mala nostra. Non docuit ille sollicitare naturam ad fertilitatem maiorem; non demonstravit reditus augendi novas rationes; sed plus fecit: doctrina atque vita ostendit, quantum, et quam certum vectigal sit in parsimonia; reducere pro virili parte conatus †) est se audientes ad frugalitatem; monuit, cupidini immoderato *) frena iniicere; beatos docuit, opibus recte uti, pauperes vero eas non appetere, iisque facile carere. Nam fuit ille, qualem praedicat Platonem Tullius **); *non linguae solum, verum etiam animi ac virtutis magister.* Et qui non fuisset, cum animo recepisset ipse virtutem? Et in hoc quoque sive sibi paravit, sive invenit, habuit certe, uxorem, quia melior fingi ne voto quidem poterat, adiutricem. Sic ancillas suas genium suum, potu ex fabis adustis facto, placare nullo modo patiebatur. Ne tamen nimis videretur severa, aut vetando irritaret cupiditatem ac fraudes, hoc remisit illis diebus festis, donans eis quasi congiarium. Alias istud nectar privum erat dominis, et

†) Pag. 91. *) Cf. Heindf. ad Hor. Sat. I, 1, 61. FR.
**) de orat. III, 34. s. 139.

senibus quidem pro medicina, nam antea aversati id plane erant. Quae ex hac disciplina ita formatae venerunt in manus maritorum, res servarunt. Relinquentes vero institutionis severitatem mox rem confregerunt, et invenerunt sibi miseriam. Etiam hic mos frugalis illi domui, id vero est, illi virtutis ac prudentiae officinae, fuit peculiaris; ut non fieret, quod hodie fit vulgo, etiam post gravissimam iustissimamque Plinii secundi vituperationem, similis sordium et luxuriae societatis *). Hic domini sibi non optima quaedam, famulis vilia et minuta ponebant: sed domini idem edebant, quod famuli. Aliam rationem sequentes videbantur †) illis sumtus multiplicare, et familiam reddere ligurientem ac furacem. Deinde vero, quot pueros, quot iuvenes formavit Gesnerus, ad humanitatem, pietatem, prudentiam, et virtutem universam! Quot aberrantes deflectentesque ad vitia, revocavit in viam rectam! Quot sunt,

*) Epist. II, 6. [*Igitur memento, nihil magis esse vitandum, quam istam luxuriae et sordium novam societatem: quae cum sint turpissima discreta ac separata, turpius iunguntur.*]

†) Pag. 20

quorum studia ille subsidiis, auctoritate sua aliunde impetratis, constabilivit! Quot praebuit parentibus educatores liberorum bonos et laudabiles! Quot ex illius disciplina profecti sunt artium doctores liberalium praestantes! Quot magno Germaniae commodo eius commendatione admoti sunt muneribus publicis! Quam multi ex libris illius facti sunt et doctiores et meliores! Quam multi cum Deo debent ei felicitatem suam, vel ex parte, vel universam! Debeo hoc, absit vel iactantia vel invidia verbo! sed hoc patris coelestis muneribus iis, quibus naturae nostrae nihil datum est divinius, nihil excellentius, litteris et religioni debeo, quod serio credo, hac in vita me non posse, quam sum, fieri multo feliciorem. Divitias, ampliores honores, vitam commodis ornatam pluribus possum cogitare; sed ex his omnibus veram felicitatem, qua Dei munificentia gaudeo, auctum iri vel tantillum, non credo. Sed hoc ipsum, quidquid sit, sive vere et recte mihi hoc persuadeam, quod spero et credo; sive, quod autem non metuo, iucundo errore, quem tamen eo ipso, quod nimis iucun-

dus est, exemtum nolim, feliciter eludar; bonam partem acceptum scholis †) refero Gesnerianis. At hoc et reliqua munera Gesneri neque apud me nunc essent; neque bona tot ac tanta alii plures, immo Germania, immo vero quidquid eruditorum est, per illum essent consecuti, nisi fuisset talis. Verum haec disputatio inter nos quidem, Eyringi, ubi hac de re non dubitatur, cesset. Ostendam potius, quae commoda ex hac paupertate cum Gesnero ipsi, tum aliis, elicuerit providentia. Incipiam ab his. Totus pendebat Gesnerus ab vitae praecepto admirabili illo, quod posuit doctor, quo nihil unquam in terris sanctius fuit et divinius, generis nostri vindex et assertor *): *Quod tibi fieri nolis ne facias alteri, quod tibi fieri gaudeas, praesta id omnibus* **). Igitur cum tempora, quae subsecuta erant laetiora, non delere potuissent ex animo praeceptoris

†) Pag. 21.

*) Matth. VII, 12.

**) Vid. Gesneri oratio: *Utilitas honesti mater non index.* Gotting. 1756. 4.

nostri, vere divini, sensum illum, quem penitus infixum reliquerat istud tricennale fere contubernium paupertatis, incensum erat in Gesnero, egenos iuvandi studium, expromtum expositumque omnibus, iis tamen potissimum, qui litteris operam addicturi, cum rei familiaris angustia luctarentur. Horum laboranti et afflictae virtuti in Gesneri misericordia perfugium erat paratissimum; hos benignitate amplectebatur vere paterna. Numerus est infinitus fere eorum, quibus per illum accessus datus est ad mensas illas, quas regia munificentia Goettingae gratis sternit artium cultoribus, †) quorum fortunae sunt tenuiores: magnus item horum, qui sub eo in philologico seminario meruerunt stipendia, quorum delectus illi erat soli relictus. Nec pauci sunt, quorum suis saepe opibus levavit inopiam. Virum, qui nunc Petropoli litteras docet, audivi grata mente commemorantem: venisse se Goettingam, cum plures annos a Marte duriter esset habitus, rebus destitutum omnibus. Hic se a Gesnero non habuisse tantum studiorum adiutoria illa,

†) Pag. 22.

quae modo dicta sunt, communia pluribus; sed derivata quoque in se esse complura bona, ex re familiari praeceptoris nunquam satis venerandi. Munera rei pecuniariae subinde tributa, cum quondam collegisset summam, centum imperiales aliquantum excessisse. Inde etiam docendi profecta est liberalitas. Acroases enim faciebat sic, ut unicuique, qui opera sua uti vellet, pateret auditorium; honorarii gratiam petentibus faceret omnibus; acciperet minerval ab his, qui ultro offerrent, et beneficiarii esse recusarent; ipse moneret neminem. Et hac quidem in re sequebatur rationem Buddeanam. Saepe dicebat: *Nullo pacto hoc facere possum, ut ab auditore nomina exigam.* Et tamen aliquando fuit, ubi relinquere ad breve tempus institutum hoc cogeretur. Nempe cum iterum pro Rectore esset Universitatis litterariae, et ab aliquo inde tempore ingratorum numerus auditorum nimis multiplicari coeptus esset, iniunctum hoc ei quasi ab consilio academico est, ut et ipse, ne eius †) exemplum aliis fraudi esset, ostenderet civibus, aequum esse,

†) Pag. 23.

eos, qui studio suo et opera inserviant illorum commodis, etiam fructum legitimum percipere; et facere hoc iure suo, si a discentibus laboris praemium, legibus constitutum, petant. Igitur non illata modo huius rei mentio fuit praelectionibus; sed a quibusdam etiam, quos egregie caros habebat, exactum tum est didactrum, in his quoque ab hoc homine. Nam opus sibi esse testibus, aiebat, uno et item altero. Hoc tum quidem fecit, postea vero nunquam. Et quoties offerrem, parum aberat, quin iniuriam facere optimo viro viderer. Et me quidem semper repulit cum mea mercedula. Ilfeldae, quam Deus bene amet! cum essem, tentans, particulam debiti mei alio titulo solvere, rogabam eum, ut acciperet dimidium eius, quod mihi a bibliopola Lipsiensi pactus erat, pro Heinecciani libelli editione postrema. Quomodo acceptus sim, id scire licet ex hoc responso eius, quod fuit ultimum: *Si me amas, mi carissime Nicolae, ab illa iniusta voluntate, obtrudendi mihi sudorem et sanguinem tuum, decede, nec verbo illius in posterum fac mentionem. Quod ego contuli, Fritschio con-*

tuli, tibi potius molestiam auxi. Ita serio volo, iubeo, edico, impero. Nonne satis est? Tuus Io. M. Gesnerus. d. IX. Iul. LXI. Denique saepe audivimus eum in hanc sententiam disputantem: *Splendorem istum, pedissequorum pompam auratorum, gaudia perpetuo circumvolitantia, et reliqua,* †) *quae vulgus in principibus magna putat, et vultu admiratur stupente, ego, quod facile credatis, flocci non facio: sed unum est, quod eis soleo invidere, bene faciendi occasionem perpetuam. Nam in principibus non manus modo sunt beneficae, sed verba, vultus, oculi, et postremo omnia, modo benefacere velint norintve.* Quid vero dicam de verborum lenimine, quo afflictos sustentabat, confirmabat, excitabat. Novi, quibus elicerentur gaudio lacrimae, quoties meminissent, aut aliis vellent narrare blandas eius et ineffabiles allocutiones, quibus erigere solebat egentes, et malis domesticis impeditos. Ipse audivi illum, saepius inter subsellia auditorum verba huc pertinentia facientem, ita suavia, ita potentia, ita animos moventia, ut nihil possit

†) Pag. 24.

supra. Inter exempla, quae praeter suum proferre consueverat, ad fidem sermonibus faciendam, reliqua, Bachovianum inprimis animum semper implevit meum voluptate mira et incredibili. Dignissimum est hoc, in excelso positum loco, providentiae monumentum, mi Eyringi, quod a nobis denuo spectetur. Fridericus videlicet Bachovius ab Echt a parentibus, variis casibus iactatis, adeo pauper relictus fuerat, ut, cum hospitium certum non haberet, confugeret plerumque in typographicam officinam, a viro multae laudis, Andrea Reyhero, constitutam, quae hodieque floret Gothae. Hic adsidens ad praefurnium, simul et calefiebat, et ad ignis splendorem pensum †) in schola imperatum exercebat. Cum igitur oculi, a fumo laesi, plerumque ruberent, factusque Bachovius lippus esset, vulgo vocabatur *Fridericulus Plorator* *). Reyheri operae cum adolescentuli studium viderent intensum et indefessum, aliquando unus ex his, qui construunt formulas

†) Pag. 25.

*) *Das Heul-Fritzla.*

librarias, *Audi puer*, inquit; *tu aut eris olim nequissimus omnium, aut vir maximus.* Neque caruerunt haec verba omine. Pergit Bachovius urgere studium. Litteris bene tinctus, et institutus, deinde iuris disciplina, mox a Duce Gothano adesse in consilio suo, scribae loco, iubetur; admovetur subinde a principibus stirpis Saxonum Ernestinae in locum amicitiae propiorem, donec proximum post se occupare iubentes, eum suis praeficerent cancellis. Tum vero dominis suis sic probavit studia et operam suam, et de tota illa gente Serenissima tam praeclare meritus est, ut tres principes deinceps, penes quos dominium illarum Germaniae regionum fuit, illum suum appellarent patrem. Fecit et hic, quod Gesnerus noster et optimus quisque. Elatus in altum non dissimulavit suam paupertatem, neque istius eum poenituit: sed vocans aliquando ad se, suum, quem dixi, vatem, typothetam, revocat illi in memoriam vaticinium. Hic perculsus terrore trepidansque, veniam rogat. At Bachovius blande appellando meum senem refocillat, ac bono iubet esse animo; sentire se adhuc volupta-

tem ait, ex illius †) dicto, quod habuerit eventum felicitatis, eumque dimittit opipare muneratum. Floret abhuc laetissime non in Germania modo, sed in exteris etiam regnis, gens Bachovii huius, per illum ipsum generosissima; floret, inquam, et floreat aeternum. Eat nunc aliquis, dicat, clamet, scribat, persuadere conetur, omni modo omnibus, pauperes non applicandos esse litterarum studio, quia posita in illo opera scilicet eis ex sententia nequeat succedere. Possem hunc locum uberius tractare, nisi ostendere vellem, aequam illam et piam egestatis iuvenilis tolerationem, et ipsi Gesnero nostro emolumenta peperisse maxima. Nempe est hoc ita constitutum a mente illa sapientissima pariter ac benignissima, penes quam est rerum nostrarum moderamen, ut unaquaeque virtus, unaquaeque actio laudabilis, ante omnia prosit auctori suo. Igitur non dubito dicere: primo deberi huic magistrae, virtutis Gesnerianae universitatem. Poteram hoc docere per partes, nisi scirem, cui scribam. Iniurius enim esse iudicio tuo viderer, si hoc vellem agere. Deinde

†) Pag. 26.

vero ei tribuebat, quod ex laetiore fortuna tanto iucundior sensus ad se perveniret. Sicut enim prospera valetudo quantum bonum sit, non potest iuste aestimare, nisi qui laboravit aliquamdiu adversa; ita iucundissimum propitiae fortunae gustum is modo habere potest, qui expertus est ante infestam. Hanc vero suavitatem sentiebat is, ut qui maxime. Saepe disseruit sic: *Perpetuam filicitatem conditio* †) *humana vix fert. Infelices plerumque sunt, quorum prosperitates secundaeque res mutantur in contrarias. Contra vero soleo divinae providentiae amicos appellare eos, qui, defuncti in iuventute omnibus malis, paullatim per gradus perducuntur ad res prosperiores. Et ipse mihi gratulor, quod me horum ex numero esse dignata est. Levitatem iuventutis, acerbitates, si quae sunt, minus afficiunt, quam aetates virilem senilemque. Et ipsa spes, quae implet iuveniles potissimum animos, multum molestias extenuat. Si deinde succedant in harum vicem res secundiores, bonum etiam minimum voluptatem adfert maximam. Nun-*

†) Pag. 27.

quam nunc mihi apponitur cibus paullo sapidior, quin, recordatione ante actae aetatis, magis etiam condiatur, et quin gratias agam Deo pro hoc ipso condimento. Vicissim, ubi inversus est ordo, qui deiecti sunt suo gradu, vitae statum commutatum ferre non possunt. Hic commemorabat de vidua, cuius vir rem divinam fecerat, credo in pago, quae, convulso statu familiae, dolorem suum cum luctu et gemitu impertiens Gesnero, *Hoc non putaram*, dixit, *me eo detrusum iri, uti cum liberis meis intestinis vescerer vitulinis.* (Lactes *) dicunt Romani.) Obstupuit ille, et aliquantulum dubitans, utrum miseranda magis esset femina, ob ingenium, rerum bonarum affluentia et abusu corruptum, an ridendae stultae eius querimoniae, tandem, *Noli dubitare*, inquit, *hic cibus hodieque est in deliciis mensae meae.* Quod ipsum isti vix potuit, †) ac ne vix quidem, persuaderi. Inde porro, bonam partem, animi illa aequitas, quam plures admirati sunt; ut ipse laetus

*) Cf. Harduin. ad Plin. N. H. XI, 79. pag. (ed. a. 1741.) 629. FR.

†) Pag. 28.

rebus praesentibus, nihil sibi deesse putaret, ubi alii Deum hominesque accusantes conquererentur de rerum inopia et fortunae iniquitate. Documenta dedit unum atque alterum V. Ernestus *); supersunt etiam, ni fallor, maiora. Sicut, cum Lipsia illum abiisset lautissime, et offerretur ei conditio Goettingensis, rogatus, quanti hic vellet docere, plus septingentis imperialibus non petivit; hacque stipendii mediocritate, dum vixit, fuit contentus; licet illius amplificandi occasiones suppeterent peropportunae. Tantoque magis abstinentia haec admiranda videtur, quia hoc, quod pactus erat, addixerat studium suum vel custodiae bibliothecae, vel eloquentiae, vel poeseos professioni, illi vero persona imposita fuerat tergemina, et adiecta deinde insuper Seminarii philologici scholarumque cura maiorum. Quae cum ita essent, ipse tamen plerumque adhibitus est, per quem doctis viris praemia proponerentur haud paullo ampliora, ut Goettingae docere vellent. Quin immo paucis ante quam moreretur annis, virum praestantissimum quidem, quo

*) Vid. supra pag. 61. sqq. FR.

amiciorem non habuit, et quem Gesnerum alterum consueverat appellare, sed qui tamen, cum Gesnerus Scholam regeret Thomanam, secundum locum tenuit, semel iterumque stipendio, altero tanto, quam mereret ipse, maiori, sollicitare iussus est, ad theologiam Goettingae †) profitendam, cuius est, et quam diutissime sit! doctor eximius in litterarum Universitate Lipsiensi. Et tantum abfuit, ut illi invideret amico hunc honorem, ut potius omnes adhiberet machinas, ad pertrahendum amicum in ea Musarum castra, ubi ipse militabat, et hoc ipso iustissime et verissime apud amicos ita gloriaretur: *Debet hoc Maecenati esse testatissimum, me virum bonum esse, alias non posset hoc agere, ut per me amicum iuniorem faciat duplicarium.* Scilicet cum perpetuo gratia multum valeret apud primates aulicos, semper tamen illorum indulgentia sic usus est, ut non ipse exhauriret illam; sed aut transfunderet ad alios, aut derivaret in rempublicam, Scholas inprimis et Academiam. Itaque non per illum modo, uti supra audivisti, plurimi a

†) Pag. 29.

principibus viris acceperunt beneficia; sed etiam, sicubi essent, de quibus bene speraret, quosque recte posset commendare, indicavit patronis. Sic cum maxime, Illustrem Michaelem, tunc iuvenem, sed omnia magna, quae in illo nunc miramur, minantem, Illustrissimo Hardenbergio, cum apud illum pranderet aliquando Gesnerus, his verbis commendavit: *Ingenium est de illis, quorum vix singula saeculis nascuntur singulis.* Sic plurium surgenti fortunae conciliavit fautores et adiutores. Sic multos protraxit in lucem. Sic quam plurimis, eo proxeneta, locus datus est, ubi explicarent ingenium, atque virtutem in oculis conspectuque omnium exponerent. Et fuit hic fructus, unicus forte, dulcissimus certe, quem cepit ex favore procerum. Saepe illum dicere memini: *Se non* †) *nosse maiorem voluptatem illa, quae ex studio aliis benefaciendi ad se redundet; ob hanc solam quaeri a se et coli amicitiam potentium virorum.* Hic sensus Gesnero adeo quasi proprius fuit, ut vel illos, qui eius commendatione ornamenta consecuti es-

†) Pag. 30.

sent, non clientes suos, sed patronos adpellaret, si in officio naviter versarentur: quoniam sic, suam ipsius fidem tuentes, ampliorem sibi ad bene de pluribus merendum largirentur facultatem. Etiam periucundum illi fuit, quod, cum filii et filiae fortunis alibi prospectum esset, et ipse illorum gratia favorem aucupari patronorum videri nequiret, sed illum omnem transferre posset in alios. Hac modestia, sapientia, et pietate Gesnerus cum Caritate sua; nam et haec venit in societatem harum laudum, utramque tulit fortunam.

Dum properat animus ad reliqua, nescio qui fiat, ut hominem coelibem, nec matrimonii sacris initiatum, revocet, et quasi vi retineat, coniugium illud, quo vix fingi potest felicius. Quales ex eo sint procreati, et ipse nosti, Eyringi, et cognitos iudicarunt alii. Forte tamen aliquam a te inibo gratiam, si, quibus modis, ut tales sint, Gesnerus effecerit, ex parte ostendam. Nam et ipsi, spero, haud gravatim utrumque parentem, socium adscribent suis laudibus. Pietatem et virtutem matris cum lacte suxerunt,

quod maximum beneficium interpretabatur pater. Ipse vero etiam paene a partu suscepit illos formandos *). Quare, cum tenera illorum †) infantia seriae institutionis nondum capax esset, ludos accommodavit ad eorum utilitatem. Observarat inter alia, adultos quoque non paucos, inter sacra obeunda, dum canant reliqui, turpiter se dare, aut leges cantus barritu violando, aut quasi signa Harpocratis **) adstando. Igitur hoc disciplinae faciebat initium, ut ante omnia aures assuefaceret ad harmoniae et rhythmi sensum. Videlicet, quoties ei commodum videretur, impositis parvulis mensae, iocosa verba, sed bene sonora ac modulata, ea etiam, in quibus littera canina frequentaretur, praecinebat,

*) Dici vix potest, quantam utilitatem eiusmodi institutum habeat, quo Gesnerus usus fuisse dicitur. Nullum ille tempus vacare cura volebat, ut Chrysippus, ut Quinctilianus, cuius vide egregiam de hac re disputationem lib. Institt. Orat. I. cap. 1. FR.

†) Pag. 31.

**) Is enim habitus est silentii Deus apud Aegyptios. Simulacrum eius, quod digito labiis impresso admonere videbatur, ut silentium fieret, in sacris Isidis et Serapidis adhibebatur: idemque Romani in templorum vestibulis appositum habebant. FR.

in subsidium simul vocans manus, quas imitari iubebat tympana, contemnens interim in suorum gratiam praetereuntium iudicia. Hoc ludo etiam impertivit illis, versuum facile et accurate dimetiendorum, maturam facultatem. Sed non semper ubique ita ludibundus docebat. Erat etiam, ubi res a patre, placidissimae alias lenitatis, gereretur severe. *Mendacium*, Gesneri verba haec sunt, *mei, quos ipse educavi, mihi quidem non dixerunt, nisi unum. Nam primum eorum mendacium exceptum a me est alapa tanta, quantam infligere illis potis eram, ita ut sanguis sequeretur. Inde semper vel nomen huius vitii perhorruerunt, et feliciter illis mentiendi potestas erepta est. Nam cum libidine mentiendi imago patris irati ac punientis recurrens in animum, istam edomuit eiecitque.* Quemadmodum eadem fere via, ne damnosam, in ore habendi aciculas, induerent consuetudinem, praemunivit. †) Hoc enim ubi vidit, irruit in eos tanquam leo aut ursus, cum vultu ad terrorem ficto horribilem, cuius memoria semper, non animis modo illorum,

†) Pag. 32.

sed prope oculis sit obversata *). In educatione sunt quidam nimis philosophi, qui prohibent, parvis imperare quidquam, cuius non ante reddita sit ratio. Damnant iidem orandi formulas, quae praescribuntur pueritiae. Non prodierunt: haec philosophemata nunc demum, aut nudius tertius, per Basedovios aut Russovios. Gesnerus ista diu cognita habuit, sed, ut par est, improbavit. Memini etiam magnum et ab omni laude felicem mathematicum, cum mihi et aliquot commilitonibus artis suae praecepta daret, aliquando dicere: *Qui pueros ante, quam rationis usu gaudeant, orare docet, docet illos blaterare.* Ante nonum certe annum hoc tentandum esse negabat. Mihi vero, qui non sum ab alia parte felicior, quam quod ab ipsis incunabulis optimus pater irrigavit animum fontibus religionis, et qui voluptatem maiorem, dulciorem, sinceriorem, non noverim ea, quae inter preces et cantus pios, ab initio aetatis, coelitus destillavit, quod vel maxime volebat,

*) Haec ratio vereor ut probetur omnibus, utpote qua fieri possit, ut subito terrore perculsi pueruli aciculas istas, quas ore tenent, glutiant. FR.

non persuasit. Gesnerus quoque ivit in alia omnia. Putabat enim, cara illa vascula imbuenda primum esse re omnium pretiosissima; ut illum sanctissimum odorem servarent perpetuo. Quid autem religione, et Christiana quidem, homini datum est pretiosius? Pessime igitur istos consulere liberis suis iudicabat, vere, sine dubio, †) qui ante impleant teneros animos rebus aliis omnibus, quam ostendatur illis religio. Evenire deinde tristissimum hoc, ut saluberrima praecepta descendere nequeant in animum, sed effluant sine fructu. Igitur nihil ei antiquius fuit, quam ut per Caritatem suam, eis, qui domi suae educati sunt, traderet religionis decreta. Et quidem, quoniam cognitio bonorum parum confert ad prosperitatem vitae, nisi nostra fiant; praecipi illis etiam precandi rationem iussit, ubi primum balbutiendo sensus suos ore explicare coepissent. Sunt enim preces tanquam manus, qua bona illa, quae nobis ostendit religio, accipiuntur, ne nunc dicam, easdem victimas esse offerendas Deo purissimas. Et est hoc iis, qui vel sui vel aliorum

†) Pag. 33.

non negligentes sunt observatores, exploratissimum, nullam esse aetatem, sacris evangelicis, puerili, aptiorem; ut adeo non metus sit, ne mature ad illa admittantur. Quod vero aliqui etiam contra clamant: isto modo non adduci animos, ut assentiantur Christo; sed praeoccupari; et esse religionem hominum, sic institutorum, non persuasionem veram, quae certis nitatur rationibus, sed praesumtas opiniones; his ita respondit: *Deo gratias ago et agam immortales, quod scio et expertus sum, experiorque quotidie, esse haec, quae credunt evangelici homines, verissima: sed ut, disputationis causa, istis concedam interim, quod volunt; sint opiniones praeiudicatae: at sunt felicissimae; sunt de quibus nemo possit satis laetari. Neminem* †) *audivi unquam, qui doluerit, quod credita haec a se sint. Neque istorum quisquam, qui nihil omnino credunt, post mortem ridebit meam credulitatem, vere an falso crediderim alteram vitam. Sed si vere credidi ipse, istos ridebo.* Haec ille verissime. Nam non multo aliter sentiunt ex ipsis

†) Pag. 34.

istis quidam, qui impugnatum eunt Christianorum religionem. Sic memini de Rochesterio *) me legere, eum feliçes putasse, qui haec credere possent, quae, ut ipse crederet, non prius potuerit a se impetrare, quam, Dei virtute, errores exuisset suos. Igitur neque unquam obstitisse, quo minus eae, de quibus nunc loquimur, aetates initiarentur religione. Sed revocandum est, quod primo loco positum praeterii. Itaque non reiiciebat quidem totum istud, quod praecipiunt quidam, imperatorum caussas diligenter exponi debere pueris: sed, quod ipsi volunt, fieri hoc prius oportere, quam iussa exsequantur, hoc putabat esse pestiferum. Ipse quidem contra fecit. Obedientiam postulabat simpliciter. Deinde vero, ubi paruissent, dedit illis hoc quasi praemium, ut eis, cur sic mandasset, demonstraret. Nimirum saepissime usus venit, uti mandato effecto opus sit ante, quam illius ratio possit reddi. Si rabiosum canem,

*) Non dubito, quin sit intelligendus *Iohn Wilmot* Earl (Count) *of Rochester*, a. 1680. mortuus, regnante apud Anglos Carolo II. Sed ubi hoc legatur, quod de Rochesterio prodit Niclasius, fateor me nescire. FR.

magno impetu in morsum pueri ferri videas, et nolit iste tibi, ut ad te extemplo veniat, imperanti, parere, nisi, cur hoc postules, sit edoctus; ilicet actum erit de puero tuo. Apte hoc transferebat ad religionem nostram, *Se hoc sentire*, †) dicens, *stultos esse, qui ubique postulent a Deo vel credendorum vel agendorum rationes, et sine his, ei nolint obtemperare. Deum esse bonum, sapientem et iustum patrem, qui iure suo poscat, ut filii sui imperiis sint obedientissimi. Qui igitur abiiciant parendi curam, quia ipsi, cur illud imperatum sit, non videant, hos non posse servare ipsam salutem. Hic nos adesse ad parendum: neque enim demonstrationem dici Evangelium; sed ὑπακοὴν πίστεως* *): *neque Paulum rem egisse ἐν πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις* **): *causas imperiorum discere, vitae reservari futurae, et praemium esse obsecundantium.* Caeterum, in tradenda religione, Gesnerum operae suae vicariam fidem coniugis sanctissimae supposuisse, ipse

†) Pag. 35.

*) Rom. I, 5.

**) I. Cor. II, 4.

gratus praedicat in eius memoria. Si quid secus admisissent alumni, poenas quidem repraesentabat, sed non iracundus, quod omni modo vitabat; vultu autem ad tristitiam composito, ut sentirent aegre esse patri indulgentissimo. Dicebat etiam interdum: *Se malle iis benigne facere potius, quam capere poenas: sed hanc voluptatem eripi sibi illorum culpa.* Peccatorum autem cavendorum, quam puniendorum, semper et ubique, etiam in aliis, erat studiosior. Aviae maternae in antecessum puniendi consuetudinem excusabat, illam quidem; simul autem eiusdem sub exemplo praemonebat educatores, quod deberent fugere. Haec nimirum, cum nepotes haberet aliquam †) multos, et in his somniculosum nullum, sed omnes excitatiores, ut praeberent se modestos, non obiurgabat blande semper, sed aliquando, ut fit, etiam admonebat manu. Ne autem saepius, quam commodum esset, expedire ferulam necesse haberet, quoties puniendus unus videretur, eadem opera a primo ad ultimum castigavit

†) Pag. 36.

omnes. Nepotes igitur expertes culpae, *Ah! cur me pulsas, mea avia, nihil peccavi*, cum clamarent: illa, *At mox peccabis*, respondit. Igitur hanc diligentiam non commendabat Gesnerus, laudabat tamen fidem eiusdem. Nam si quis deinde culpam contraxisset, immunis erat verberum, sed illa ei, quid passus esset, redigebat in memoriam. *Annon vera fui*, dicens, *cum affirmarem, te mox culpam esse commissurum. Attamen poenas iam suscepisti paullo ante, cum pugnus hic tuis in mala haereret.* Terriculamenta, si metus adhibendus esset, ficta ista lamiarum et spectrorum, iustis de caussis, ne corrumperetur parvulorum phantasia, damnavit et interdixit serio. Contra, metum salutarem iis incussit, veris terroribus. Igitur, quoties opportunitas esset, caminorum purgator, cui in illa domo Italicum nomen *Spazzocamino* erat, cum instrumentis suis in auxilium vocabatur, qui intromissus in cubiculum, prolem Gesnerianam, aliquot assibus, modestiam graviter et efficacissime docuit, adeo, ut deinde vel nudum nomen fuliginei praeceptoris sufficeret ad cogendos illos in ordinem. Li-

berales ut redderet ex se natos, †) semper per eos beneficia contulit in pauperes. At vero vicissim applicuit eosdem frugalitati, conficiundis acceptorum et expensorum rationibus illos assuefaciendo. In qua consuetudine semper deinde manserunt. Et patri voluptatem non parvam obiiciebant tales tabulae, si post multos annos forte fortuna denuo eius in manus inciderent. Sic memini, eum non mediocriter delectari, cum aliquando in libro rationum, quem filius in litterarum Universitate Batavorum Lugdunensi diu ante scripserat, omnes sextarios vini, sed eosdem tamen raro occurrentes, inveniret. In summa, virtutem non tam docendam, nisi exemplis, quam assuefaciendam, statuebat. Nec discere mihi unquam alibi licuit praecepta hac de re, Gesnerianis excellentiora sapientiorave. Crederem et huic epistolae praecipua, ad te ferenda, erant enim omnium dignissima, quae vel a me impertirentur, vel a te cognoscerentur: nisi pleraque, magno reipublicae commodo, essent iam vulgata. Nempe materiam libri, quam ipse ex parte,

†) Pag. 37.

et strictim, attigit in institutione scholastica Hanoverana; uberius tractat dissertatio Germano-Schwabiana, exhibens ἁμαρτιγένειαν, sive *fontes peccatorum in pueris* *). Erat illa tanquam formula bonae educationis constituenda, quam sequerentur omnes. Est enim, ut Longini **) verbis utar, πολλῆς πείρας τελευταῖον ἐπιγέννημα. Quamdiu vixit, egit hoc dedita opera, ut indagaret sollertissime †) naturam et ingenium parvorum, quos solebat dicere suos doctores. Possunt vero et ipsi vere gloriari, se, post Philippum Melanchthonem, nunquam habuisse doctorem amiciorem, blandiorem, et benigniorem. Atque ut ipse eos lubentissime docebat, ita illi ab eo discebant avidissime. Spectaculum erat iucundissimum, parvulas neptes, quoties inviserent domum eius, hanc videre in collo avi septuagenarii haerentem, illas sedentes in sinu eius, cupidis haurire auribus sapientiam, ad captum earum accommodatam; cuius pars erant fabellae Aesopicae, antiquae

*) Gotting. 1759. 4. FR.

**) περὶ ὕψους. s. VI.

†) Pag. 38.

pariter ac nostrorum hominum, quarum illa aetas est insatiabilis. Historias quoque et narratiunculas, propter utilitatem et suavitatem memoratu dignas, crebro exhibuit non suis modo, sed, quoties res ferret, liberis etiam aliorum. Ubi simul hoc agebat, ut eorum iudicium variis acueret quaestiunculis. Velut cum Serenissimi Hassiae principes Goettingam sua illustrarent praesentia, Socrates noster, cuivis aetati et ordini cuilibet aptissimus, illis etiam praecipue iucundus, saepe cum eis fuit. Ibi minimo natu quodam die exposuit iudicium Cyri pueri *), sed non statim ad plenum: verum constituta lite, caussam principi disceptandam tradidit. Quam cum et ipse eadem secuisset, qua Cyrus, sententia, *Praeclare tecum agitur, Serenissime princeps,* inquit Gesnerus cum risu, *quod doctores iustitiae Germanos habes: nam in Persarum gymnasiis illum diem, quod sic* †) *diremerat controversiam, minus hilarem habuit regum maximus.* Ambiguis etiam et argutiis locum dare solebat, hoc

*) ex Xenoph. Cyrop. I, 3. §. 17.

†) Pag. 39.

ipso eliminans illorum iudicium, ingeniumque exercens ac subigens. Lepidum relatu ab amico habeo hoc. Gesnerus a viro generoso rogatus, ut, num quid in litteris profecissent filii, exploraret, post recognitionem severiorem vexaturus aetatulam minimi quaerit ex illo: *Num iam numeros tractare coepisti?* Recte. *Dic igitur, si ex culmine tecti, ubi sedent columbae sex, glande plumbea deiicias unam, quot resideant?* Quinque, respondet ille haud cunctatus. Tum Gesnerus mirabundo similis, *Hem! quid audio?* reposuit: *Nulla manet. Fac periculum; et avolabunt omnes.* Hic illud quoque observabile videtur, Gesnerum ab adolescentibus iis, in quibus natalium et familiarum splendor esset insignis, Curtium removisse, quantum potuerit. Quoniam videlicet eius historiam non Duodecimi modo Caroli imaginationem corrupisse, verum alios quoque infatuasse observaverat, qui, parvi Alexandri fieri dum vellent, se et multos alios perdiderant. Igitur in hunc scriptorem odium plane conceperat, quod inde quoque apparuit, quod, cum reliquorum omnium editiones magno sumtu

paravisset, optimas et novissimas, unam Curtii Snackenburgianam, suam facere noluit, certe neglexit. Videbatur illi vulgaris teneras aetates legere docendi ratio nimis esse impedita. Igitur levaturus amiculorum suorum laborem, tum alias alibi modum ostendit faciliorem, tum cumulatus iam omni laude, cum haud longe abesset ab ultima rerum linea, in gratiam pueritiae edidit unicam plagulam illam, quam olim Caritati suae scripserat, ut via expeditiori molliorique liberis suis litteras colligere in verba ipsa posset praecipere. Hoc patre nihil fieri poterat mitius; sed nihil quoque sapientius. Igitur quantum aberat ab perniciosa istorum lenitate, qui filiis concedunt vivendi, ut velint, potestatem: tantum aberat ab stulta morositate eorum, qui parvos cogunt senes esse. Currere, exsultare, agitare se liberaliter suis permittebat, quia sine his agitationibus sanitas neque †) corporis, neque animi, in pueris quidem, salva esse potest. Ergo, si quando filia et gener cum nepotibus per aliquot dies eum interviserent, hanc domum

†) Pag. 40.

habere parvulos hospites, cernere et audire poteras. Etiamnum delectat me, quae saepe oblectavit in bibliotheca vestra, librorum Catalogos conscribentem, imago, in area ista clausa instar avicularum, hilariter tripudiantium, et sese prosequentium nepotum. Contra vero, ne ex leni hoc patris animo aliquid damni contraherent liberi, providit diligenter. Sic cum metueret, ne filius unicus, ab utroque forte parente, matre tamen inprimis, (nam etiam in parentibus observarat, tenerum illum amorem, natura sua, in alterum sexum fere esse inclinatiorem,) amaretur nimis, iam Lipsiae decreverat, illum disciplinae tradere alienae, Freitagianae potissimum, qua tum Schola Portensis maxime florebat, et quae illi commendata valde a V. Ernesto erat. Intercessit tum quidem demigratio: et abiecerat iam quidquid hoc fuerat consilii. Sed Goettingae, cum sodales quosdam insidiari intelligeret virtuti iuvenis egregii, et ipse, primo magistratum habens academicum, illum non satis posset custodire; subito eius alio mittendi revocavit consilium. Inde illa in Bataviam profectio, cui fortuna subscri-

psit; et quae eventum habuit optabilem, adeo, ut, quoad vixit, de ea sit laetatus vehementer. Et quidem Lugduni quoque sub custode illum tenuit, qui eum ex longinquo observaret. Non tamen ex †) medicae artis doctoribus unus is fuit, ne hi quid darent amicitiae, quae eo facilius coniugatur inter praeceptores et discipulos, quo sunt utrique meliores, sed consultus iure, Ruckerus celeberrimus. Liberos suos esse *μητροδιδάκτους* Gesnerus ipse testatum publice reliquit *). Fuit tamen et ipse non pater modo suorum, sed etiam doctor. Licet enim propter catenatos labores non posset sumere hanc operam, in-

†) Pag. 41.

*) Biograph. Acad. Gott. Vol. II. pag. 161. sq., unde haec transcribere placuit: „Harum rerum sumtum quod potui tolerare, quod bibliotheculam parare, quod difficillimis hisce temporibus superesse, potui: lubens fatebor, Caritati meae debeo. Sed quanto id maius, quod ipsum quoque ei debeo, quod sunt tales liberi mei, qui gradum aliquem et ascendere potuerint, et possint sua virtute tueri? Scilicet huc profuit ea, qua imbutam dixi Ernestina disciplina, ut potuerit illa literarum, religionis, virtutis elementa suis liberis impertiri, et beneficium illis tribuere, in quo peculiari nomine τῶν μητροδιδάκτων antiqui quidam gloriati sunt.“ FR.

finita tamen, quasi per ludum et aliud agendo, docuit. Filius primo Germanicam linguam a matre, Latinam vero a patre simul didicit. Quod factum deinde etiam fuit, in filia et nepte. Ergo, cum inciperent sermone proferre animum, saepe miscebantur verba utriusque linguae. Ipse rem sic gessit. Quoties cum eis versaretur, verba faciebat Latine. Ita retulit illis, quae facta tradunt libri sacri, et vultu quidem vivido, adhibita etiam digitorum demonstratione. Hac via discendi studium accendit ita, ut illud appareret undique. Filiolus bene mane evigilans prorepere ex cunis suis, irrepere furtim in torum paternum, salutare patrem more Romanorum, dicere: *Mi pater! narra mihi aliquid.* Tum ubi pater, se non audire, et adhuc profundo sepultum somno esse, simularet, intentius clamare: *Paterculè! narra mihi aliquid;* nec prius acquiescere, quam post venerationem Dei, post precesque, quas praeibat pater, acciperet historiam. Etiam tum sonare suaviter et vibrare in auribus suis, affirmabat amabilis non minus, quam venerabilis †) senex, il-

lud *Narro* filii, cui, praeter rei ipsius iucunditatem, accedebat quoque gratia ex puerili τραυλοῦ pronunciatione. Licet igitur non posset illi dare, nisi temporis subsecivi particulas, profecit tamen puer incredibiliter. Unde saepe dicere solebat: *Si primi anni recte occupentur, posse mirabilia effici. Nullam aetatem rebus discendis omnibus, principiis etiam matheseos adeo, tam habilem esse, quam puerilem. Illas enim animulas, in vacuitate rerum omnium, habendi avidissimas, omnia celeriter arripere, arreptaque mordicus tenere.* Idem feliciter tentavit in filia; in qua tamen modice hoc fecit, aut etiam intra modum: quia nempe Caritas sua sequiorem sexum non decere eruditionem putabat. Et tamen Latinam linguam maiore ex parte cognitam sic habuit et ipsa. Quae cognitio, salutaris saepe fuit marito, inprimis quoties domo abesset, quod in medico occupatissimo fieri debet saepissime. Hic nempe in arte sua non minus expertus est haud segne ministerium coniugis eximiae, quam in re familiari. Igitur in nepte primigenia, quae avorum in gremio educata est potissimum,

Gesnerus iure suo usus est eo liberius. In hanc scilicet denuo non magno conatu, sed obiter, eruditionis bonam transfudit partem. Latine loquebatur perbene, et quidem cum avo fere nunquam aliter. Hic saepe audire licebat peregrinis haec: *Adest aliquis, qui te vult, mi avule.* Hem! Quis est? *Non novi hominem.* Ubi tibi in comparatione difficile †) fuisset ad iudicandum, peritiamne linguae, an modestiam in puella maxime mirandam amandamve putares. Scribebat etiam non ineleganter. Quoties Cassellis apud parentes ageret, minimum semel per hebdomadas singulas ad avum mittere debebat epistolam Latinam. Graecas quoque litteras cognoscendi et legendi primo occasionem colloquia praebuerunt Erasmiana, quae super mensam legebat, cum circiter quatuordecim esset annorum, et quae tum quasi bellaria erant mensae Gesnerianae. Antiquitatem quam diligenter habuerit cognitam, cum testem habeamus fide dignissimum, nihil necesse est pluribus verbis commemorare. Recordaris enim, amicorum dulcissime, quae iuris et humanitatis

peritissimus vir, Albrechtius Wittenbergius, Hamburgi sui decus, ante semestre circiter spatium, in schedis Hamburgensibus, quae de rebus recens gestis civilibus exponunt, de filia Illustris Huberi retulerit: *Se novem annarum puellam de colossis, Rhodio inprimis illo, disserentem audivisse ita, ut mirationem fecerit, nihilque dici possit doctius.* Arbuscula haec ita curata, si cultori suo praecoces fructus legendos praebuit, minime est mirandum. Index quidem Horatianus, Gesnerianae subiunctus editioni, totus fere adolescentulae circiter decennis opella est. Maturius etiam bibliotheca avi sensit eius studium. Academicos libellos, qui disputandi caussa publicantur, solebat ille secundum nomina auctorum ordinare, argumenta autem dissertationum †) singularum singulis credere scidulis formae octavae; quas deinde ad ordinem elementorum litterarum disponebat. Huic negotio neptis aliquoties operam commodavit suam. Servo adhuc memoriae caussa complura folia, hoc inscripta modo manu puellari. Sic suos instituit Gesnerus, cuius

†) Pag. 44.

vita laboribus districta fuit gravissimis et perpetuis. Quid tandem efficere poterant patres, qui a litteris non debebant esse destituti, quorum animus marcet otio, illi inprimis, qui — — Perhorresco reverentiam muneris." Quorum filii esse debebant generis humani specimina, qui vero sunt plerumque — — — sed malo me reprimere, et querelis, iustissimis licet, ne haec pagina habeat quid male ominati, aditum hic intercludere. Gesnerus vero sine Grammaticae ministerio, solo usu et consuetudine praestitit haec omnia. Subtilissimam enim verborum philosophiam hanc, malam pueritis studii, quae non expediat viam, sed impediat, iudicabat comitem. Igitur auctor erat, rem praestantissimam quidem, sed pueris noxiam, usque eo differre, quoad illis maior et linguae et rationis usus contigisset. Caussas rei ipse exposuit luculenter in praefatione grammaticae Cellarianae. Qui ab eo contemtam esse hanc litteraturae partem clamant, non minus sunt ridiculi, quam si quis virum bonum accusare vellet, eum odio habere sexum muliebrem, quoniam amicitiam cum eo contrahere ante certos annos,

interdicat adolescentibus. Grammatica †) non minus necessaria est adolescentulis, quam iuvenibus virgines, sed tempore suo. Quando vero adest illud tempus, tum contrahenda est cum hac puella amicitia indissolubilis. Talis amator constans, maximus fuit Melanchthon, qui non singulis modo diebus, singula grammaticae suae folia in vita perlegisse, sed eam clavis quoque mensae affixam habuisse traditur. Idem vero, quod docuit Gesnerus, sensisse magnos illos litterarum renascentium heroes, vel inde patet, quod leges grammaticae lingua proposuerunt Latina. Si pueris illas scripserunt, qui linguae rudes plane sunt; legislatores fuerunt pessimi profecto, et Caligulae similes, qui suas leges sic promulgandas curavit, ut *per ignorantiam scripturae multa commissa fierent* *). Utrum vero institutio haec Gesneriana, in scholas quoque publicas, ubi maxima et magistrorum et discipulorum esse diversitas solet, in totum possit induci, haec alia est quaestio. Ipse quidem quod suam secutus est rationem,

†) Pag. 45.

*) Suet. cap. 41.

in liberis suis, non minus fecit sapienter, quam quod eos, in eligendo vitae genere, suo ipsorum ingenio obsequi, facile passus est. Patris quidem voto subscribere filius si voluisset, unice sectatus esset Musas. Sed nimirum etiam Apollo filium habuit Aesculapium. Igitur cum illi medicorum artes magis arridere sentiret, adolescentis animo semel iterumque frustra sollicitato, tantum abfuit, ut ei contradiceret porro, ut potius ageret omnia, quibus posse †) eum iuvari crederet. Nosti arculas illas, quae pluribus loculis conchas, coloribus variis impletas, dispositasque apte, continent. Tales arculas illi donavit; sed quae pro pigmentis, diversas medicamentorum species, quae ex terra effodiuntur, exhiberent; adhibito in consilium Academiae vestrae ornamento immortali, Richtero. Itaque egregio adolescenti denuo contigit, artis suae elementa, quasi per ludum noscere. Sedulo etiam cavit pater, ne gustandi, odorandique facultas, medico necessaria vel maxime, Nicotiano isto veneno, quod uterque parens tanquam aconitum oderat, vel minuere-

†) Pag. 46.

tur, vel perderetur. Neque alias defuerunt consilia saluberrima. Sic, ut hoc nunc potissimum utar, ex herbis suasit, salubribus ante operam dare, quam iis, quarum aut nullus est, in re medica, aut ignoratur certe usus; vernaculis item ante, quam exteris; ne forte aniculae deberet risum ludibriumque. Neque enim minus, in materiae medicae, quam in orbis terrarum cognitione, turpe esse censebat, si Indiam et Americam bene habeas perspectas, et hospes sis domi atque in patria. Itaque cum optatis Gesneri non respondisset professio filii, poterat sibi adoptare generum, qui vitae hanc rationem, et litterarum studia haec, quae ei maxime placebant, sequeretur; quem acciperet in societatem laborum suorum; et cui relinqueret bibliothecam philologicam. Sed cum sentiret filiam sibi ipsi sapere, eique consensu modo suo opus esse, non auctoritate, †) probavit et huius iudicium, saepeque fassus est, consuli ei, quam consuluisset ipsa sibi, nequivisse melius.

Gesneriana domus diutius me iucundissime erat moratura, nisi sentirem corpusculi

†) Pag. 47.

pariter animique quendam languorem, qui suadeat, ad refovendas vires, locum in breve tempus mutare. Usurus itaque mollitie coeli, aestivaque incitatus serenitate, si tibi videtur, Eyringi suavissime, in Saxoniam superiorem, ubi et habui incunabula, faciam excursionem, sed brevissimam. Gesnerus consiliarii aulici dignitate mactatus est eo tempore, cum iam cogitaret de veste sepulcrali. Itaque Demosthenis verbum suum faciens dicere solebat: *Sibi hunc titulum gratum esse tanquam ἐντάφιον καλόν* *). Nam si, appellari sic, aliquid interesse ad felicitatem suam putasset, poterat hunc honorem, sibi, cum Rex Academiam Georgiam Augustam suam inviseret, oblatum, decem annis prius accepisse. Reapse autem iuvenis iam, licet sine nomine, fuit a consiliis Vinariensis aulae, ubi ex illius sententia subinde quaedam gesta sunt feliciter. Sic in vacuitate munerum, si quis illis praeponendus quaereretur, is plerumque consultus est. Ambiebat quodam tempore, nescio quis, eloquentiae professionem in litteraria Universitate Ienensi. Decernitur con-

*) Lucian. encom. Demosth. 46.

silio stare Gesneri. Demonstrat ille, hoc, quod miserat petitor, ut gustum sui †) daret Maecenati, non eloquentiae esse Romanae specimen. Mittitur responsum Gesneri, quod indicem bene longum continebat non recte Latineque dictorum, ad canditatum, spe facta, in posterum forte illius rationem posse haberi, si se humanitatis studiis paullo immersisset altius; hanc vero provinciam alii administrandam nunc quidem tradi debere. Quid fit? Post, neque ita multo, confugit meus homo ad fraudem. Prodierant interim orationes Cellarianae. Igitur ne Gesnerus, quod iure reprehenderet, haberet; verbis, dicendique formulis mere Cellarianis, suit centonem optime novus orator. Iudex sedet de integro Gesnerus. Sed quoniam fortuna sic voluerat, recens erat et ipse a lectione harum orationum; et quia memoriae firmitas ei statim suppeditabat loca Cellario fraudulenter sic sublecta, componit se ad scribendum. Sumitur centonis pagina una alteraque; ponuntur in charta, ab altero latere, verba Cellariana, hac occasione, hoc loco,

†) Pag. 48.

hac de re, de persona hac, hoc tempore, pulchre et eleganter facta: ab altero vero, eadem verba, perversa, et stultissime, tanquam obtorto collo, rapta ad alia omnia. Ostendit arbiter documentum stultitiae singularis, dominis, a quibus hoc agere iussus erat, suis: fit cachinnus: et sic tum quidem transactum fuit negotium. Incidere saepius observavi, Eyringi optime, ut homines quidam, qui litteris operantur, multa legant, audiant, faciant, quae ab initio sine ratione et temere facta esse videantur; †) eveniant vero paullo post, de improviso quaedam, ad quae superiora ista ita pertineant, ut non fortuito ita cecidisse, sed de industria sapientissime praeparata esse credas. Forte quadam haec fieri dicat alius. Ego, qui sciam, res nostras, et nostras quoque litterulas Deo, sapientiae fonti, curae esse, quin divinitus ita regantur vix possum dubitare. Speciem modo vidimus. Tale quidquam habuit et historia Agyrtae *), qui magnos thesauros defos-

†) Pag. 49.

*) Nebulonem istum, de quo Ernestius quoque mentionem fecit supra pag. 21. sq., cur *Agyrten* nominave-

nos sub terra, et magicis septos incantationibus, in aethereas auras proferre receperat. Trithemii *Steganographia* *), (haec enim fuit,) per quam magnos istos apparatus magicos difflavit Gesnerus, paullo ante forte fortuna inciderat in eius manus, cum in principis bibliotheca officii caussa versaretur. Incitatus curiositate, figurarum contemplatur insolentiam diligentius; et ita, nescius eorum, quae post aliquanto futura erant, instructus ad rem feliciter et maxima cum laude expediendam, sic accessit, ut certo id egisse iudicio potuisset videri. Cur vero ad Gesnerum hac super re itum sit, praeter rerum scientiam omnium, quam illum habere dicebat princeps, caussa fuit haec, quod paullo ante manaverat fama, quae perlata in aulam quoque fuerat, eum esse magum. Scilicet homines invidi, quos hoc morderet, hominem de schola, gratia plurimum valere apud

rit Niclasius, non ignorat, qui ἀγύρτας Graecorum noverit: de quibus vid. Lexica et Ruhnk. ad Tim. pag. 9. sqq. Neque enim h. l. quidquam commodaverit Ovidianus Agyrtes (Met. V, 148.) neque tubicen Statianus (Achill. II, 50.) FR.

*) Vid. supra pag. 22. FR.

principes eorumque amicos intimos, iisque inprimis carum esse, hoc praeter naturam fieri dixerant; eumque, quos vellet, animos †) pellicere ac delinire veneficiis. Princeps, qui veneficia Gesneri, quibus efficeret, ut esset sibi in amoribus, quae essent, optime norat, tum quidem absolvit eum omni maleficii suspicione: sed ut ex calumniis subinde aliquid haeret; ita etiam, ubi opus esse Hecateiis carminibus cum maxime est visum, ista fabula hortata est haeredem ducatus Vinariensis, magicum Gesneri ministerium eo requirere confidentius. Tanta vero gratia, meritis collecta tantis, quomodo tandem effundi potuit? Coniecturis forte sinistris non fuisset pudor aut modus, nisi candor principis aenigma hoc dedisset solutum. Enimvero fassus ipse est: *Ex Gesnero se nihil offensionis habere; quin contra scire, eum virum esse bonum, qui non suo prematur merito: sed premi tamen debere, ut Mareschallus, (quem potestate, quam habuerat sub patre, expulerat,) poenas sustineret tanto exquisitiores. Neque enim ignorare*

†) Pag. 50.

se, vincula huic dolori haud esse tanto, quantum animo eius inustura esset Gesneri afflictio immerentis. Istuc est sapere! Onoldium quo minus praeterire plane queam, quamvis festinans, caussa est prudentia Gesneri, quae in eo ubique fuit egregia, hic tamen in munere ineundo enituit praecipue. Sentiebat difficultatem iuventutis in schola instituendae ea, ubi ipse a parvo educatus omne adolescentiae tempus transmisisset, ubi multos haberet conscios eorum, quae pueritia ingeniique excitatioris petulantia tulissent, non flagris ista quidem et odio, sed risu †) potius digna; at quae tamen, quasi sepulta, resuscitari nunc praesentia sua, moleste ferret. Igitur primus libellus, qui de more proponendus erat in aditu muneris, quo auditores invitaret ad se audiendum oraturum, inquisivit in caussas, *Cur nusquam propheta sit contemtior, quam in patria et inter gentiles?* Inter alias plures haec allata est potissima: In homine, quem prima ab infantia novimus; quem vidimus per omnes aetates adolescere; qui nunquam est non versatus

†) Pag. 51.

nostros ante oculos; multa simul occurrere menti nostrae debent, quae gravitati novae honorum veluti obstrepant. Unde Germani nostri, cum aliquem aspernantur, eum haud venisse e longinquo, dicunt. Contra si ostendatur nobis primo perfectus vir, et consummatus, cum choragio honorum, in quo nihil unquam spectavimus, nisi ampla et gravia omnia; huius aspectus modo longe alio afficit animos. Hoc Gesnero cum non contigisset in illo quidem loco; obtestatus est publice omnibus precibus, per spem ac salutem iuventutis succrescentis, omnes, qui recordarentur eum fuisse illarum affinem rerum, quas fert prima adolescentia, et multa fecisse nimis forte pueriliter, ut suos pueros et adolescentes haec ignorare perpetuo, modis facerent omnibus. Ingenuitas haec viri vere incomparabilis, tantum abfuit, ut ipsi fuerit fraudi, ut potius auctoritatem conciliaverit maximam; ita ut esset amor et deliciae popularium, et adeo quidem, ut metueret †) quoque Musarum suarum zelotypiam, quae amicitias Onoldinas, nimis frequentes, et ar-

†) Pag. 52.

ctas nimis, Gesnerum suum a se abstrahere querebantur. Harum igitur querelas ut placaret, Lipsiae cum ad se vocanti eo obsecutus est facilius. Hic Scholae Thomanae affulsit tanquam novum sidus, quae sub eius moderamine velut a stirpibus laetius renata est feliciusque. Non enim est modo splendide aedificata *); sed accepit quoque, quantum in ipso fuit, formam plane novam. Disciplinae nimirum scholasticae, quae erat corruptissima, et morum dissolutorum omni ex parte, corrector fuit ita, ut licet omnium exspectatio fuisset maxima, ille tamen hanc longe superarit. Ex documentis infinitis hoc habe. Fovebat illa liberalis bonarum mentium nutrix multos nebulones, in sinu suo, Cretensibus simillimos; qui essent *ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί* **); quique, Musarum cultum mentientes, suam curarent cuticulam. Morbos fingentes, nescio quos, efficiebant ut alerentur lautius, semperque haberent ferias,

*) Formulam inaugurationis Chrestomathia Graeca prae se fert.

**) Epist. Paul. ad Tit. I, 12. ubi vid. Heinrichs et Rosenmueller. FR.

menstruas interdum; immo trimestres ac semestres. Medicorum vero quae dabantur potiones, aut proiiciebant foras, per fenestras, in fossam, qua circumdata est urbs; aut ferebant eo, quo saturi ire solent *). Si rationes vidisses annuas expensorum, quae ante Gesnerum medicis, pharmacopolis, et iis, qui aegrotos curarent, lata †) sunt: hanc non scholam esse, dixisses, sed valetudinarium. Verum magna fuit ludi tam pestilentis felicitas, quod isti datus est Gesnerus, qui, tanquam esset Hippocrates, remedia proposuit tam celeria, tam potentia, ut brevi, morbis fugatis omnibus, omnia essent saluberrima. En, quibus hoc effectum est, remedia: Quoties aliquem aegrotare audivit, illico accedens ad illum, blande cum eo colloquitur; sciscitatur de valetudine; dicit, *Nondum liquere, quodnam morbi genus sit: interim dum cernatur, abstinendum esse omni cibo, praeter iusculum tenue; et lecto utendum.* Tum apposuit custodem, qui eum lecto contineret, curaretque, ut feriae, quas ipse indixerat, esuriales,

*) Plaut. Curcul. II, 3, 83. FR.

†) Pag. 53.

rite celebrarentur. Si, aliquot diebus sic actis, nondum convaluisset, tum nihil subesse fraudis credens, aegrotum cura complectebatur paterna; quod tamen vix semel aut iterum factum est. Nam plerumque intra biduum curati sic bene confirmati assurrexerunt ex morbo, quem, sive fictus ille fuisset, sive verus, inedia, et taedium ex otiandi et cubandi imposita necessitate ortum, depulerant. Hoc artificio gratias meruit, quas ei Senatus Lipsiensis, qui quotannis ter centum circiter imperiales, per eius medendi rationem, fecit compendii, verbis egit amplissimis. Nec mirum, si Lipsiensibus fuit in deliciis. Et forte nunquam ab illorum amplexu divelli se passus esset, si valetudini hic tam bene fuisset consultum, quam fortunis eius reliquis. Illa enim, quamdiu †) hic fuit, a febribus vindicari non quita est. Praeter vinum, quod hoc nomine accusavit in carmine, quo Goettingae laudes celebrat, elegantissimo, in culpa fuisse putabat necessitatem, ex altiore loco, in auditorio vaporato, docendi; ubi nimis eum infestarent vaporis incommoda. Frigoris enim

†) Pag. 54.

magni, magnique caloris plane erat impatiens. Inprimis quoties perfrixerat, calore tentabatur externo et adventitio. Itaque per hiemale tempus diaeta utebatur non nisi leniter calefacta, et, quantum fieri poterat, corpori teporem conciliare necessarium, hoc vero est, modicum, vestibus studebat idoneis. Accessit et hoc, quod ei, qua lege, aut qua invidia, nescio, spes muneris adipiscendi academici omnis erat praeclusa. Quod neque dissimulavit apud patronos, cum, inauditum esse omni memoria, dicerent, hanc urbem a quoquam, qui locum tenuisset talem, sua sponte esse relictam. Agnoscimus videlicet etiam hic provisionem Dei ac praeparationem, qui gemmam hanc, Lipsiae exemtam, doctissimorum coronae virorum splendidissimae, quae Goettingam ornare debebat, voluit inserere. Novae Academiae ornatusne plus, an emolumenti, attulerit, vix satis poterit constitui. Hanc enim non sua modo gloria, operibusque suis nobilitavit; sed fuit etiam doctor iuventutis divinis bonis instructus sic, ut meliorem fingere vix queas. Discere poterant, eum audientes, non litteras tantummodo;

†), sed prudentiam per omnem vitam utilem, ac necessariam omnibus; sed religionem; sed virtutem omnem. Vere possum dicere, me septem illis annis, quibus eo fruitus sum, numquam ab illo discessisse nisi doctiorem, aut me ipso meliorem prudentioremque. Qualis enim erat, talia loquebatur. Igitur, cum ardentissime amaret Deum; cum haberet in animo thesauros sapientiae, omnisque generis litterarum; cum prudentia in eo esset, usu parta diuturno, summa; quomodo non poterant semper, quoties esset opportunitas, tales nasci orationes? Sive enim impertiret nobis suas meditationes; sive interpretaretur eruditae monumenta antiquitatis; sive sermones haberet familiariter; id agebat, ut animos formaret moresque iuvenum; excitaret eos ad studium litterarum ac virtutis; inflammaret pietatem; ostenderet partes quasdam magnae illius artis vivendi, ita, ut quid potissimum in illo amarem, admirarerve, saepe mihi fuerit incertum. Ubi dicta exemplis vel illustranda vel firmanda viderentur, non raro adhibebat suum; inde scilicet usus senectutis, cui

†) Pag. 55.

hoc concedi dicebat, ut de se loquatur. Mihi quidem hoc ipso nihil poterat facere gratius, nihil iucundius. Ne sit, quod desideres, Eyringi mi, para te ad audiendam historiolam, non valde illam memorabilem quidem, sed ad id, cuius docendi caussa in medium afferebatur, maxime potentem. Moshemius, qui solennia descripsit, quae Regi †) instituta sunt, cum venisset Goettingam *), Gesnerum dicit, Augustissimum fidei defensorem, cum visum isset bibliothecam, compellatione honorifica excepisse in auditorio maiori, ubi illud theologiae eloquentiaeque ornamentum habuerat orationem. Gesnerus contra se hoc fecisse credebat, non eo loco, ubi dicitur a theologo, sed ante ipsam bibliothecam. Nam signatum animo esse locum, testabatur, ubi affatus esset patrem patriae: et inde quoque clarere, quod post allocutionem, sub ingressum, in bibliotheca, Regi *thesaurum* suum obtulerit.

†) Pag. 56.

*) Inscriptio libri est: *Beschreibung der grossen und denkwuerdigen Feyer bey der hoechsten Anwesenheit Koenigs George II. aus England, in der Stadt Goettingen.* 4. 1749.

Qua de re cum monuisset descriptorem; ille, sibi errorem obiectum esse, negavit, quae scripta a se sint, asseverans esse certissima. Neque minus Gesnerus affirmavit, hoc non ibi, ubi Moshemius vult, factum esse, certo esse certius. Et ita uterque, quod statuit, semper habuit pro certo. Per iocum deinde, quoties convenissent, interrogavit alter alterum, an mox decedens sua sententia sibi esset accessurus? Sed mansit in opinione uterque sua *). Hoc communicabat cum discipu-

*) „Cum ea litteris consignarem, quae principio p. 56. „leguntur, alia, quae simul acta tum dicuntur, obstrepebant memoriolae, unde aliquantulum turbata est narratio mea, quam hic componere liceat. Ita res est. „Moshemius Augustissimum Regem scripserat a Gesnere „ante bibliothecam esse exceptum. Hic contra, in ipsa „bibliotheca, cum iam intrasset Rex, iis, quae posteritati tradidit Moshemius, verbis, ei se honorem habuisse, „contendebat. Persuasionem autem istam, a Moshemio „inde susceptam putabat, quod ii, qui comitabantur Regem, in quibus etiam erat ille theologus, eo tempore, „cum haec intus fierent, adhuc agerent extus, exspectantes modeste, dum, post breve alloquium, Rex deduceretur interius. Quaeris: cum tot testes habuerit „uterque, quomodo potuerit dubitari? Nempe comitatus, „quocum hic quidem ingrediebatur Rex, fere erant hospites: ex collegis autem, praeter Ayreritum et Sonnken-

lis, si quando dissensione a se invicem dicreparent, ut fit, historici: *Non est*, dicens, *accusanda semper damnandave fides alterutrius*

„bergium, non recordabatur vidisse quenquam. Pro„fessores enim reliqui interim in Iureconsultorum audi„torio Regem praestolabantur. Inde error meus, quo „Moshemium dixi ibi orationem habuisse, cum ille ta„men in aede Academiae dixerit. Itaque cum Moshe„miana descriptio vulgaretur, testes erant dilapsi, quos „per epistolas interrogare tanti non erat. Senckenber„gii tamen, quo familiariter utebatur, conscientiam, si „alia occasione ad eum Wetslariam scriberet, aliquando „consulere volebat. Sed non factum esse puto. Parvu„lam enim materiam iam olim abiecisset, nisi suae hoc „dedisset philosophiae, cuius studium vel praecipuum „erat, *Animum cognoscere humanum*. Cum autem, ut „Pindarus (Olymp. VII.) verissime canit, ἀμφὶ ἀνθρώ„πων φρεσὶν ἀμπλακίαι ἀναρίθμητοι κρέμανται, caus„sas errorum, item, utrum sui sint an aliorum, inve„stigare, a philosopho non debet esse alienum. Interim, „(quidni enim et hoc addam?) videri aiebat secum sen„tire Perillustrem quoque Ayrerium. Sunt autem haec „inter descriptionis auctorem nostrumque philologum „ante potissimum acta, quam ad operas iretur. Scilicet „miserat Moshemius Gesnero hanc libri, a se scripti, „partem, ut, an omnia satis convenirent, displiceret. „Quo facto, admonitus humaniter, magis quidem accom„modavit verba sententiae Gesneri; rem tamen sic esse „gestam, semper negavit.“ Sic hunc locum ipse retractavit et emendavit Niclasius (Eyring. praefat. ad Biograph. Acad. Gott. Vol. III. pag. xliv. sqq.) Fr.

ac diligentia, si inter se scriptores rerum duo dissentiunt. Nam potest fieri, ut duo homines, †) *neuter stupidus, illiteratus neuter, qui rebus interfuerint ambo, easdem res sic tradant bona fide, ut eorum relationes abhorreant inter se. Si vero hoc fit hodie, in hac litterarum luce, quid antiquitus demum factum esse debet?* Ingenium, studium, exercitatio, longusque usus, quantum efficere queant, cum vellet aliquando demonstrare, Schlegelium, cuius in Caritatis suae memoria mentionem fecit *), citabat ad testimonium. Hunc Gesnerus hospitio blande ac benigne acceptum vino primae notae honoraverat, quod non hilaritatis modo dulce seminarium esset, sed ebrietatis etiam hospiti. Quod tamen *σύμπτωμα* non insolenter plane in eo tum exstitit. Igitur saucius mero, affectusque fatigatione itineris nummorum interpres, fulciens gravatum caput brachiis, obdormiverat, ad mensam. Hic ita stertebat, ut cum hora sua in lectum vocaret patrem familias, hospitem ad eodem beneficio utendum nemo posset

†) Pag. 57.

*) Biograph. Acad. Gott. Vol. II. pag. 160. FR.

excitare, ne vi quidem leniter adhibita. Gesnerus ergo eum per dolum aggreditur, sumit nummum antiquum, oblitteratum adeo, ut in illo Gesnerus et amici reliqui, quamvis acute cernentes, nihil agnoscerent. Tum acclamat numismatum explanatori: *Hic teneo nummum, quem omnes dicunt inexplicabilem. An tu forte, mi affinis, qualis ille sit, potes divinare?* Ad haec ille dicta caput paullulum erigens, et vix allevatis aegreque diductis oculis, uno eorum coniectu, procul in manu Gesneri, nam ipse non mutaverat brachiorum positum, †) nummo vix bene viso, oscitans, somno torpidus, crapula et capitis errore labans, titubante lingua; *Est*, ait, *nummus Antonini.* Cum hoc dicto redit ad stertendum. Gesnerus serio credens eum nummos somniantem haec dixisse, postero die denuo profert suum nummum. At Schlegelius, quae temulentus dixerat, eadem dicit crapula exhalata sibique redditus, *Nummum esse Antonini*, repetens, *heri iam ex me audisti.* Hic vero Gesnerus plane obstupuit. Allatis deinde signis iis, quae dubitare non sinerent, vero a

†) Pag. 58.

Schlegelio pronunciatum esse, intellexit haud ambigue, se domi suae Sphinga habere, quae per somnum menteque obnubilata non minus, quam serena ac vigilans, soluta daret aenigmata. Pro sua vero experientia, cum haud suppeteret, vicariam dabat alienam. Sic in Plutarchi *de puerorum educatione* commentario, quem non in scholis, sed illis explicandum suadebat, qui liberis operam dare vellent, cum praelegeret hoc (3, 3.) *ὁ πατήρ σε μεθύων ἔσπειρεν*, eum provocare memini ad virum sagacem, et cui pectus longo rerum usu sapuerat in Schola Vinariensi, cuius per quadraginta amplius annos in classibus inferioribus magister fuit praeclarus. Hic ei dixerat: se hoc ipso Plutarchi loco mature monitum, quoties puerum vidisset stupidum praeter modum, inquisivisse in eius parentes, quid agerent, quemadmodum viverent? et semper invenisse, aut maritum saepe bene potatum noctu domum venire; aut matrem esse bibacem; aut †) bardos tales esse primogenitos. Enimvero tunc temporis ebrietas fere erat pars hilaritatis nuptialis in Germania. Eloquentiam

†) Pag. 59.

et poesin ita professus est, ut ei anteferri nemo, comparari vero pauci possint. Poesin cum dico, intelligo Romanam. Versus enim patria lingua compositos, licet servaret complures, non male natos, ingeniosos etiam, et molliter euntes, quibus luserat iuvenis; quosque amici quidam ita approbarant, ut inclinassent iam animum eius ad illos iunctim vulgandos: ille tamen, prudenter aversus ab hac cogitatione, ad alia consilia videtur se contulisse. Senex hac litterarum in parte cotis vice fungens iuvenum studia adiuvabat admirabiliter. Quin poetae praecipui adeo atque illustres, Hallerus et Michaelis, carmina sua immortalia, pluribus in locis, splendere Gesneriana lima, grati fatentur. Vel ex hoc ipso, qualis is fuerit, facile poterit existimari. Latinorum vero poetarum ut illum sua aetas tulerat facile principem *); ita poematum, quae Graecia et Italia ad nos misit, interpres erat idoneus

*) Latina Gesneri carmina collegit tresque eorum libros edidit Io. Lud. Uhlius. Vratislav. 1742. 8. Atque haec Gesneri opusculis minoribus subiecta tom. VIII. implent. FR.

maxime, longeque doctissimus. Multa hic sunt et magna Gesneri merita: illud tamen haud scio an sit maximum, quod subinde conferendo poetas antiquissimos nostris, et quid in utrisque laudabile sit, quidve mores tulerint pristini, quid nunc conveniat, declarando, conformare studuit iudicium discipulorum. Sic fatebatur egregie stultum fore, si quis hodie Homerum, in verbosis digressionibus istis, esset imitaturus. Contra non minus ineptos esse praedicabat, †) qui eum hoc vituperent nomine. Hos enim non cogitare, carmina antiquissimis temporibus historiae munia sustinuisse. Quod qui non semper habet in mente, illi videatur oportet desipere Homerus. Quis potest, verbi causse, si hoc non observet, sine indignatione legere illa Andromachae Iλ. Z. 414 — 428. Quid deceat, Homerus profecto scivit melius, quam criticus, qui rhinocerotis nasum habet. Sed nimirum habet quaelibet aetas suum decorum. Tum artificium erat, inter caetera, maximum, intexere carminibus, personarum, familiarum, urbium, ad memo-

†) Pag. 60.

C-

riam insignium, et quas honoratas vellent, origines ac fata. In ista enim litterarum raritate, rerum copia non poterat conservari, nisi carminibus, quae memoriter complectebantur. Qui poeseos usus apud omnes fere populos fuit ante historiam. Quod praeclare docere post alios memini, de Bardis quoque nostris, Scaldisque septentrionis, Suecorum historicum illustrem Dalinum in principio historiae suae, cum doctissimis suis interpretibus *). Hodie in hac litterarum luce, et, fere dixerim, abundantia, si quis poetarum nostrorum, nomini herois, aut clari viri, vellet subtexere illorum propagines; nae is aniliter desiperet. Haec et pauca alia infantiae artium, temporumque simplicitati ac moribus condonanda, Homero eiusque filiis natu maioribus relinquere iubebat Gesnerus. Contra arte, et ingenio, naturaeque †) imi-

*) *Olof Dalins Geschichte des Reiches Schweden, aus dem Schwed. uebersetzt durch F. Benzelstierna u. I. C. Daehnert.* Vol. I. II. Greifsw. 1756. 57. Vol. III. IV. Rostock u. Greifsw. 1763. (4.) FR. — Conf. et Steph. ad Saxon. Grammat. pag. 11—14.

†) Pag. 61.

tatione accurata ac mirabili, maximos eosdem, ac regulam normamque poeseos esse debere, statuebat. Hic vero longe praeferebat antiquos recentioribus. Scio quid dicam. Harum litterarum, nisi ipse mihi impono, non negligens cultor, praeceptorem praestantissimum hac super re saepe disputantem audivi, neque auribus surdis, neque peregrinante animo. Neque hoc solum: sed sine arbitris quoque liberius familiariusque mecum agens, qui sensus esset suus, candide aperuit. Tulisse vero virum illustris nominis, Michaelem *), responsum illud, est verissimum; et illa ipsa verba Gesneri inter eius acroases personuere aurem saepicule. Verum enim vero interpretationem addebat semper, quam tum, cum interrogaretur, retinendam putaverat. Videlicet actum hoc est isto tempore, quo dissidebant inter se atque discordabant, nescio qua de re, Illustres viri Hallerus et Huberus, gener alter, alter amicus Gesneri. Gesnerus licet privatim saepe, et publice etiam, Latina epistola ad generum,

*) Vid. Memor. Gesner. pag. (ed. Hal.) 260. sq. FR.

plagulis, quae libros novos indicant, Goettingensibus inserta, esset testatus, se hac in caussa non socium esse generi; iis tamen, quibus vel maxime vellet, non persuaserit plane. Quod ille cum ignorare non posset, considerate et circumspecte agendum putabat, ne qua re offenderet amicum. Iam vero illa ipsa quaestio, tam curate ac definite proposita, et hac quidem lege, ne responderet aliter, quam simpliciter et sine exceptione, captiosa visa, dedit †) locum suspicioni, interrogantem subornatum esse ab Hallero. Igitur re deliberata paullulum, ita respondit, ut et veritatem obtineret, et declararet simul, se favere Hallero, eumque magni facere. Hoc tamen iudicium non plus poetis tribuit nostris, quam res et veritas ipsa concedit. Primo enim significavit, male comparari generis diversi poetas, profanos cum Christianis. Si Homerus conditor fuisset Messiadis, si et Pindarus odas cecinisset sacras, aut philosophatus esset poetice; tum demum, quibus palma foret concedenda, iudicem potuisse dispicere vereque pronunciare. Dein-

†) Pag. 62.

de vero, cœpisse inde ab aliquo tempore poesin nostram magna incrementa, prae se semper quidem ferebat; illa vero non tam poetis, quam aetati, quae naturae scrutatione diligentiori, et matheseos studio altioris, orbem illustravit, deberi, professus est. Attamen neque hic Hallerum sua fraudavit laude: sed eum reliquorum ducem atque principem vocitare solebat, quippe qui novam viam non ostenderit modo civibus nostris, sed et ipse sit mysta, immo epopta Naturae. Inprimis vero libros sacros, et religionem a Deo ipso acceptam, ad immensum auxisse poeseos vim et magnificentiam, qui non potuisset Gesnerus agnoscere? Igitur ornamentis istis, quae antiqui petunt ex mythicis fictionibus, illa, quae nostris suppeditant vel plenior naturae cognitio, vel mathematicarum rerum scientia subtilior; vel verba librorum sacrorum, et ad illa, quam vocant, allusio, infinitum quantum anteferebat. Quam vere iudicaverit, potest unusquisque facile pensitare. Equidem ex omni antiquitate profana nihil simile novi Halleriano carmini in aeternitatem. Sed video etiam, aliquid id genus

†) non posse ab ista exspectari. Illa, quae mihi quidem maxime placent in illo sublimissimi carminis fragmento, vix potuisset expedire nobis divinum illud ingenium, nisi doctum a Deo esset, fuisse tempus, quo hoc universum, quod nihil erat, solo numine et voluntate Dei omnipotentis, ut esset, sit effectum; et esse quoque constitutum tempus, quo idem sit demoliundum. Nam neminem antiquorum, quantum constet, vel suspicatum aliquid esse de creatione mundi ex nihilo, quam dicimus, credo sagacissimo viro, Moshemio, qui hoc diligenter aliquando egit, et affirmat ad Cudworthum *), quod ego immortalis viri opus puto palmarium. Creationem quidem mundi quosdam agnovisse

†) Pag. 63.

*) *Radulphi Cudworthi systema intellectuale huius universi s. de veris naturae rerum rationibus et originibus commentarii, quibus omnis eorum, qui Deum esse negant, philosophia et ratio funditus evertitur. Acced. reliqua eius opusc. Omnia ex Anglico sermone Latine vertit, recensuit, variisque observatt. et dissertatt. illustravit et auxit, prolegom. et indice instruxit Io. Laur. Mosh.* Ienae 1733. Fol. Ed. II. ex autograph. Moshem. emendatior et auctior. Lugd. Batav. 1773. 2 Voll. (4.)

FR.

philosophos, licet inficias ire nolim *): omnes tamen ex materia illum aeterna formatum statuebant. At illa ipsa, quae me tanto delectant opere, haud scio an pressius nervosiusque dixerit Davides **), cum inter caetera, *Deum*, canit, *coelos abiicere tanquam vestes detritas.* Si cogites, quam illi sint durabiles; et audias tamen, illos tandem ita vetustate iri vexatum, ut tanquam inutiles, et obsoleti mutandi sint novis; nescio quemadmodum aeternitas Dei immutabilitasque expressius describi queat atque vividius. Sin autem respectum habeas ad religionem nostram; tum vero ego non recentiores modo antehabebo vetustis: sed aio etiam, quidquid est poematum ingeniosorum, hoc omne nec vel †) cum unico ex pulcherrimis canticis, qualia debemus quaedam Gellerto, Schlegelio, aliisque paucis, aut etiam cum Lutheri nostri ac Gerhardi aliquibus, iis inprimis, quae elimavit Klopstockii pia Camena, aequari conferrique posse. Haec enim Germaniae,

*) Vid. Wolfius ad Origenis philosophumena p. 112. sq.
**) Psalm. 102, 27. ubi cf. de Wette. FR.
†) Pag. 64.

quatenus sacris addicta est a Luthero perpurgatis, gloria est ac felicitas peculiaris et propria. Hic regnamus, hic provocare possumus nationes omnes, et omnes religionum cultores omnium. Iactent exteri et ostentent theatralia ista volumina! Equidem illis haec non invideo. Maiora sunt nostrorum poetarum merita; addere etiam debeo, musicorum nostrorum. Carmina illa sacra, sic modulata, complent pios animos voluptate vere divina, evehunt illos ad Deum, et immiscent mortales coelitibus. Fovet profecto Deus Germanos suos amore singulari *)! Et qui obliviscar Ramleri? cuius systemata odarum sacrarum ad symphoniam cantandarum oblectationem habent infinitam. Haec igitur in nostris carminum conditoribus ingenue et liberaliter laudabat Gesnerus. Sed neque dissimulati sunt ab illo eorum naevi, ne dicam

*) Nondum legeram, cum haec scriberem, *Leibnitiana*. Interim mire delectatus sum, cum reliquis gemmis, quae ibi servantur; tum vero meditatio, viri maximi et immortalis, LXIX. quae ad hanc sententiam pertinet, incredibilem mihi laetitiam attulit. Vid.: Felleri *otium Hannover.* pag. 169—171. ed. 2.

vitia. Primo improbabat nimium istud externam poesin imitandi studium. Quod vero quidam non virtutes peregrinas, sed vitia sectarentur, †) plane damnabat. Displicebant ei translationum affectatio, audacia, ineptia, et perpetuitas. Haud ferebat verba non semper sat bene et feliciter novata, dicendique genus linguae genio nostrae nimis saepe contrarium. Et in universum stomachabatur, multa fieri a novatoribus, quae viderentur vim afferre poesi genuinae, et ingenio Germanorum. Verbo; hic principatum obtinere affirmabat antiquos; et horum dictionem, tanquam praescriptionem naturae, aiebat esse sequendam. Nam licet hodie coelum nobis factum sit familiarius, et magis etiam pateant naturae mysteria; fatendum tamen esse, dicebat, veteres naturae imitatores fuisse eos, qui nostris hominibus palmam longe praeripiant. Et inprimis humanam naturam, quidque illam deceat, animique recessus humani intimos, ita illos pernosse, ut iure suo nostri sint praeceptores. Etiam hoc admirabatur in antiquis, notitiam

†) Pag. 65.

rerum naturalium, neque lautam valde, neque satis ubique certam, tam mirabiliter eorum paruisse utilitatibus. His caussas adiungebat alias etiam, cur veterum opera canon esse debeant, unde lineamenta poeseos petenda sint, velut a lege quadam. Quas si scire volupe est, recognosce sis, quae Anglicanae poeseos lumen illud, Popius, suis praefatus est carminibus; et in medio Gesnerianis dogmatibus invenies gemina. Ut denique exitum habeat haec disputatio, nostram poesin habere volebat sanguinem et succum sanum illum incorruptumque antiquae, ornamenta †) vero quaerere ex inventis nostri saeculi, et ex religione, nostra praecipue. Atque quin idem sentiat cum Gesnero Illustris * * *, poeta praestantissimus et ipse, cuius iudicio plurimum tribuo, mihi quidem non est dubium. Cum ei aliquando ostendissem carmen, cuius materies erat Ps. XVIII., dabat mihi hoc, ut non laude modo benigna stimulos admoveret, sed impertiret etiam horam, quam numero in iucundissimis quas vixi, ad instruendum rudem animum consiliis mo-

†) Pag. 66.

nitisque saluberrimis. Inter quae, quosnam ex nostris legissem poetas, interrogabat. Respondebam quod res erat; quosdam me novisse nomine tenus et fama, praeter Canizium vero legisse neminem. Ad haec ille, *Bene habet*, inquit. *Sapit hic et sobrius est. Iterum lege illum iterumque. Est fere solus, qui non urgueatur vitiis. Sed ex hoc ut non trahes succum vitiosum, ita non fies poeta magnus. Lege deinde illum et illum:* hic nominabat eos, quos tum, qui non essent Gottschediani, imitabantur omnes: *sed cave fias eorum imitator. Nam quae illi praeclare sublimeque cogitant, plerumque dicunt male; ut adeo vitiis scateat eorum oratio. Si Canizii nudam venustatem vestiveris ornatu horum exquisito, forti, et magnifico; tunc eris laudabilis.* Mihi quidem studiorum ratio otiique penuria tentare hoc non permisere. Sed aut omnia me fallunt; aut proxime ad hanc poetae omni ex parte laudabilis imaginem accedit Schlegelius maior. Si quis postulet a me †) specimen poeseos Germanicae verae ac genuinae;

†) Pag. 67.

ostendam illi carmen, quo canitur huius universi creatio *). In hac ode videor mihi conspicere poesin nostram tanquam in throno splendidissimo, ea veste, et sic loquentem, ut agnoscas Reginam Germanorum. Haud longe inferior est Ps. CIV. Metaphrasis, eiusdem, nisi aberro a coniectura, auctoris. Hanc poesin licet semper venerabundus intuear; fatendum tamen est, eam nimium quantum superari ab illa, quae libros sacros distinguit. Scilicet divina haec tam alte constituta est, ut humana ad illam non possit eniti. Videbar mihi in coelo esse, cum interpretantem audirem praestantissimum Michaelem Mosis carmina, Psalmos, et inprimis Iesaiam. Iobum quae mihi fortuna inviderit, ut ad interpretationem eius vivam non admissus, calamo alieno exceptam accepisse satis habere cogar, nescio. Non puto ante eum unquam contigisse sacris carminibus talem in Europa interpretem, qui praeter linguae cognitionem accuratam, talibus ingenii dotibus praeditus fuerit; qui fuerit poeta; qui, quid in poesi

*) Vid. *Neue Beytraege zum Vergnuegen des Verstandes und Witzes.* 4. B. Brem. u. Leipz. 1747. pag. 491.

pulchrum, rectum, verum sit, intellexerit tam bene; quique tam vivido animi impetu, eaque eloquentia docuerit; et, quod hic caput est, cum afflatu divino illo, qui facit poetas. Magnum illud ingenium, excellens pluribus in rebus, in praelegendis dilucidandisque sacrarum pandectarum libris poeticis †) esse puto maximum, et superare se ipsum. Non reminiscor, me vel legisse, vel audivisse, quae animum ita simul et impulerint meum, et delectarint, et abripuerint in admirationem. Nescio an cadere humanas in mentes sensus queant his altiores iuxta iucundioresque. Delectabunt me Goettingenses illae praelectiones, quamdiu vivam, et ut suaviter vivam, conferent plurimum. Sed de Deorum lingua, et Gesneri in illam meritis, satis superque dictum est. Vocat nos illius soror iunior, Eloquentia, quam is praeceptis breviter et bene, exemplo vero et scriptis ita illustravit, ut sit, quod sibi illa de eo gratuletur. Dictata enim rhetorum licet non contemneret plane, quod facere visus est Gesneri praeceptor et amicus is, qui, cum ei honoris caussa obtulisset *pri-*

†) Pag. 68.

mas lineas artis oratoriae a se ductas, trium aut quatuor plagularum libellum fugitivo oculo contemplatus, *Satis commodus esse videtur*, dixit, *sed vitio laborat uno; nimis longus est:* tamen et ipse stilum credebat optimum esse dicendi effectorem et magistrum *). Eloquentiam vero vivere non posse censebat, nisi in libera republica. In Germania quidem vocem ei praeclusam esse ita, ut vix os ad dicendum aperire ei liceat, nisi interdum pro concione sacra. Nam hic quoque non tam oratores agere malebat divinae interpretes voluntatis, quam bonos patres familias, qui cum liberis ac familia agentes neque verborum ornatui valde studeant, et tumultibus animique commotionibus †) magnis non nisi raro locum dent. Moshemii igitur eloquentiam, ad quam aliquamdiu se fingebant plerique, paganos oratores, quin oppidanos quoque multo maxima ex parte non magis decere iudicabat, quam vestes aulicorum sericas auratasque rusticos, aut opifices sellularios. Quales amaverit ho-

*) Vid. Quinctilian. Institutt. Orat. X, 3, 1. et quae ad illum locum adnotavimus. FR.

†) Pag. 69.

milias, ipse aliquando de illis Koerneri *) Lipsiensis, pro quo in baptismo spoponderat, iudicium censuramque faciens indicavit. Has mihi monstratas recordor hac cum sententia: *Si filium haberem, cui ad plebeculam in templo oppidano esset dicendum, dicere hunc in modum vellem.* Minime vero laetus erat novae origine eloquentiae, quam in Germaniam immisit Gallia. Si conquestus est poetas novissimos exempla deseruisse antiqua, qui tamen ipso iudice peccatum hoc magnis emendarunt virtutibus; quomodo non indignari potuit, oratores novos, spretis et derelictis veteribus eloquentiae verae documentis, in peius ruere sine more modoque? Nam sicut nostrae aetati primas deferebat in physicis et mathematicis; antiquitatem vero, Graecam inprimis, primas ferre rebatur in imitandi artibus: ita summam dicendi laudem antiquis, qui omnia sua consilia, studia omnia, operam, laborem, diligentiam, vitam denique totam ad illam merendam contulerint, haud dubie esse concedendam arbitrabatur. Ergo

*) Ioh. Gottfr. Koerner *Sammlung etlicher Predigten.* Leipz. 1759. 8.

istam Senecae aemulam, brevem, argutam, sententiosam, †) dictionem, quae omnem excludit continuationem et quasi orbem verborum, mollem, femineam, fractam, atque elumbem vocabat, quae titillet animum, non vulneret; talesque oratores dicebat rem punctim semper, caesim nunquam, gerere. Ipse eloquentiam, praecipue Romanam, cui inde ab aliquo tempore vulnera illata sunt tam multa, tamque gravia, quomodo scribendo tuitus sit, quid attinet te docere, Eyringi, qui ipse es verus aestimator et iudex harum rerum? At vero admirabile istud ac singulare qui consecutus sit, ut ea, quae Academiae nomine scripsit, tam proprie dixerit, ut illa scriptio semper aliquid afferat caussae, loco, tempori, personis conveniens *), hoc

†) Pag. 70.

*) Quid quaeso Regis praesentiae aptius proponere poterat solennia denuncians tabula, quam, qua ratione milites per pacem salubriter occupari queant, disquisitionem illam, quae ostendit Romanos militum otiosorum ministerio ad vias usos esse muniendas? [*De utilitate militum in pace.* Gott. 1748.] Hoc philologi monitum libenter amplexos esse Regem eiusque amicos, constat. Et quo minus hic idem factum sit actutum, quod fit in Anglia, Sco-

te scire tua interest. Ad hoc semper in promtu habebat parvum libellum chartae mundae forma oblonga, quem vocare solebat suum *Vade mecum.* Huic inter legendum custodienda paucissimis verbis mandabat, quaecunque aut ob sententiae †) pulchritudinem ac gravitatem servari digna prae reliquis viderentur; aut doctrinae aliquid exquisitioris interiorisque continerent; aut alias quacunque de caussa ei se commendarent. His apponebat statim harum siglarum unam, C. M. P. argumenta aut praefationibus Catalogis praelectionum praemittendis apta, aut in Memoriis vitarum, aut in Programmatibus tractanda indicantium. Huic debebat non hoc solum, quod nunquam tam ex inopinato scribendi necessitas existere poterat, quin ei consiliarius suus materiam suppeditaret pulchram et convenientem: sed hoc quoque, quod ex pluribus eligere poterat eam, quae idonea videretur maxime; quorum neutrum, absque eo

tia inprimis, non stetisse dicunt, nisi per militum duces summos quosdam, quibus bella cum salebris paludibusque gerere indignum visum fuerit fortitudine Germanorum.

†) Pag. 71.

fuisset, tam facile quivisset praestari. Ne vero bis in sententiam incideret eandem; eam, quae semel ei hoc profuerat modo, inducebat. Libelli huiuscemodi etiam hanc dotem laudabat non parvam sane, quod se nunquam solum relinqueret. Scilicet cum ambulandi caussa sub dio versaretur; vel aliquem exspectaret; vel librum legere alium non liceret; ab hoc amico, qui eum nunquam destituebat, ei subiiciebatur utilis meditatio. Aliquoties etiam, si forte incidisset, ut ex seminarii philologici sodalibus deesset, aut certe sero veniret is, qui ea hora partes agere primas deberet, illum hunc comitem in locum cessatoris aut emansoris vidi substituere. In hos iuvenes, qui boni ominis caussa Musarum numerum referebant, ut transfunderet de facultate dicendi †) scribendique sua quantum posset, utque eos sibi fingeret quam simillimos, ab Gesnero summa data est opera. Itaque illos diligenti continebat et perpetua exercitatione; ita ut singulis hebdomadibus semel exigeretur ab uno aliquo stili specimen; semel item, aut etiam, quod tamen meo tem-

†) Pag. 72.

pore unico semestri factum est, bis, unus disputandi caussa cum aliquot commilitonibus descenderet in arenam. Recitata commentatione, quod reliquum erat horae, illi tribuebatur percensendae summa severitate, cui iuncta erat humanitas summa. Inter praelegendum solebat censoria virgula notare ea, quibus venia danda non videretur. Antea tamen quam ipse ageret censuram, plerumque commilitonibus suum iudicium interponendi aperuit locum. Quo facto oratorem, si probabilis esset, laudabat ita, ut currenti adderentur calcaria; aut si laudes locum non haberent, alia ratione eum laudabilem efficere conabatur. Post haec quae reprehendenda viderentur, sive ista in rebus propositis, sive in verbis essent observata, libere quidem, sed humanissime indicabat; concessa tamen defensione, si quis, pro se quod diceret, haberet. In depascenda orationis luxurie; in scriptoribus vel incitandis, vel reprimendis, in affingendo alteri, quod de altero limasset, in confundendis sciolis; in excitandis confirmandisque timidioribus; in languescente industria, si opus esset, etiam cum auctoritate,

sine teste tamen potissimum exstimulanda; in flectendis denique regendisque animis; †) mirus erat artifex. Disputatores sic regebat, ut aliquamdiu se invicem agitare, quantum vellent, possentque, illis permitteret; tum ut vires experirentur quisque suas; tum ut fervore iuvenili, qui ab initio maximus esse solet, vel quaereretur, vel augeretur, loquendi potestas. Deinde vero ubi primo impetu effuso, iam deferbuisset pugna, ipse interveniens vindicias dabat secundum veritatem. Aut si uterque bene pugnassent, laudabat eos: ubi plerumque tanquam denarium accipiebant Virgilii illud, *Et vitula tu dignus et hic* *). Si vero Antabatae **) essent, aut Phaethontes, tum plerumque interpellabantur sic: *Alter*

†) Pag. 73.

*) Eclog. 3, 109. FR.

**) *Antabatae* sive *Andabatae* (hanc enim scripturam praeferunt; vid. Nolten. Lex. Antibarb.) erant gladiatores, qui ex equis galea frontem oculosque tecti pugnabant. Vid. Lipsium Saturn. Serm. II, 12. (in Graev. Thes. Ant. Rom. Tom. IX. pag. 1237.) a quo discas, quae ad nostrum locum recte intelligendum necessaria sunt. Phaethontes autem quos dixerit Niclasius, non opus est dicere. De Phaethonte enim satis omnia nota sunt. FR.

mulget hircum *); *et alter supponit cribrum.* Redactos deinde in ordinem denuo commisit. Hac praestitit ratione, ut illis augeretur dicendi scribendique vis; aleretur ingenium; iudicium vero acueretur; discerentque sapere. Ipse vero ut semper et ubique erat amabilis; ita hic erat longe amabilissimus. Hic praeceptoris optimi pectus discipuli videbant apertum, et versabatur cum iis, tanquam suis cum filiis pater. Hinc non sentio arctiora amicitiarum in Academia contractarum vincula, quam illarum, quae in auditorio Gesneri sunt contractae; et quae erunt immortales. Etiamnum Gesneri, patris benevolentissimi imago, cum imaginibus eorum, qui mihi illo septennio amore iuncti sunt fraterno, oblatae, iucundissime me afficiunt. Nec dum dimitterem suavem hanc phantasiam; nisi turbaret illam voluntati tuae, †) Eyringi dulcissime, obsequendi libido. Non falleris, dum negotium vocas arduum, lubricum, et perdifficile, defunctorum vitam atque naturam describere illo ipso in loco, ubi postremo vixerint, et

*) Virg. Eclog. 3, 91.

†) Pag. 74.

inter cognatos amicosque superstites. Haec muneris sui pars, quantis interdum obstructa esset difficultatibus, ipse sentiebat Gesnerus. Cum pinxisset imaginem Schmaussii *), fatebatur se versatum fuisse scopuloso in loco, plenoque periculorum. Vir ille magnam reliquerat sui famam, sed ancipitem. Talis viri studia, mores, placita ita complecti, ut ne ab altera parte ludificata videatur veritas; ab altera vero amici ne offendantur; et ut habeat tamen haec imago aliquid unde agnoscatur; hoc vix explicabile est, nisi Gesneris **) et Ernestis. Schmaussios enim et Gottschedios ita pingere, uti picti sunt, non est cuiuslibet. Tum aestuasse ipsum Gesnerum dixi: vellem etiam dicere possem, quonam artificio talia opera elaborarit. Hic nimirum plus petiisse videris, quam dari tibi ab hoc homine potest. Et forte postulas aliquid, quod non describi, sed intelligi queat. Quatenus tamen

*) Memoria Io. Iac. Schmaussii legitur in Biogr. Acad. Gott. Vol. I. pag. 111. sqq. FR.

**) Cf. de vitarum scribendarum arte, qua multum valebat Gesnerus, Klotzii Praefat. ad Biogr. Acad. Gott. Vol. I. pag. XV. sqq. FR.

artifex, qui quam longissime abest ab omni invidia, ipse suam prodere artem potest; hac narratiuncula, non commentitia ista, sed vera, Gesnerus prodidisse videtur. *Cassellis*, dicebat, *vidi pictorem, qui, quum posceretur effingere aliquem coloribus, diligenter considераret, utrum vultus ille, quem repraesentare deberet, naevo, aut verruca, aut cicatrice, aut vitio alio quocunque esset insignis.* †). *Si quid deprehendisset huius generis, tum res habebat successum. Ubi vero abesset tam peculiaris nota, sudabat frustra, nec reddebatur similitudo. Quare quum reprehenderetur eo nomine, parata erat excusatio: Non habui adminiculum quod apprehenderem, aut ad quod adniterer* *). Pictores huius similes malos esse non minus, quam iudices spectatoresque rudes, qui admissi admirentur id ipsum, quod exprimere sit in proclivi, et quod quaerant artifices imperiti, haud diffitebatur Gesnerus. Nam qui bene delineatum alicuius vultum ideo di-

†) Pag. 75.

*) Ipsa pictoris verba prolata cum indignatione haec sunt: *Ich hab' ja nichts, woran ich mich halten kann.*

cant, quod vel verruca, cicatrix, reliquaque vitia appareant; eos non intelligere, sine his frustra laboraturum fuisse pictorem. Sed talem pictorem se esse, idem iocans dicebat, hocque inertium simulatorum strategema se imitari diligenter. Igitur quoties pictura defuncti postuletur, se considerate dispicere, annon virtutem eximiam, aut naevum insignem, qui salvo eius honore ostendi possit, et quem nossent omnes, aut aliud singulare quidpiam investigare in eo queat. Hoc vero, quod quaesivisset, invento, in expedito esse reliqua. Tum hanc unam vocem omnium esse: *Ipse est; ne hoc quidem est omissum, unde cunctis erat noscibilis;* velut clamarint et clament cuncti, *hic est L*** hic est Elector B**** quoties in nummis viderint aut videant caput, quod appendix sit labiorum aut nasi; et in quo sculptoris †) imperitia vix aliud quidquam exhibeat dignoscendum. Igitur quod in illo viro oculis arbitrorum aliquid ostendere potuisset distinctius, reliquisque magis illuminatum, quodque praecipue Schmaussianum esset, et nihil tamen

†) Pag. 76.

haberet offensionis, haud parum laetabatur. Habuit vero eloquentia Gesneri comitem perpetuam, sibique iunctam, vinculo amoris arctissimo, philosophiam. Haec non unius magistri erat discipula; sed philosophorum, quotquot fuere, dogmata habebat cognita omnium, indeque decerpserat sibi sanissima quaeque, quae dein divitiis auxerat vernaculis ac domesticis. Iuvenis quidem nomen cum reliquis dederat Wolflio *), cuius haeresi aliquamdiu ita fuerat addictus, ut pro illa depugnaturus ferro fuisset, quin positurus vitam. Sed solutus tandem ista fascinatione philosophica, sibique redditus, alienus fuit a scitis Wolffianis plerisque, ita tamen, ut amaret laudaretque philosophum eo nomine, quod disciplinas excitasset physicas et mathematicas; et hactenus erat liberalis illius meritorum praedicator, buccinatorque existimationis. Quantum vero attinet ad partes, quas vulgo philosophiae nomine comprehendunt, reliquas, et quibus censeri potissimum volebant Wolfliani, parum favebat cum

*) Potius *Wolfio*. Sic enim ipse nomen suum solebat scribere. FR.

duci ipsi, tum sectatorum gregibus. Primo quidem superbum, nec ferendum, ei videbatur hoc, quod in philosophia dialectica, metaphysica et morali, inventa creparent sua, nescio quae. Exciderant Wolffio aliquando in scripto †) quodam haec verba: DUO PRINCIPIA MEA MAGNA ILLA ET NOVA, ALTERUM RATIONIS SUFFICIENTIS, CONTRADICTIONIS ALTERUM. Haec utrum philosopho nostro sobrio modestoque risum, an indignationem, moverint maiorem, haud facile dixerim. Nam res ipsas ita inhaerere in mente humana, ut cum hominibus natae sint et cognitae; nomina vero illi deberi, cuius fontibus Wolffius hortulos suos irrigaverit, magno Leibnitio, aiebat. Deinde vero indignabatur recentissimam istam philosophiam ea, quae illius auctor verus interdum per ludibrium et animi caussa finxisset, serio tanquam magnam sapientiam proponere: quorum in numerum referebat lepidam de *harmonia*, quam *praestabilitam* dicunt, fabellam cum *Monadologia* *).

†) Pag. 77.

*) De iis, quae h. l. et deinceps dicuntur, silere me-

Offendebant autem animum eius hae nugae, quas vocabat, eo magis, quod in seria ducere mala illas videbat, et tollere ea, quae de *ratione sufficiente ac determinante* disputarentur, libertatem, cuius maximus erat in vita defensor. Nam, *Se liberum esse animal, non machinam, et agere pro lubitu posse, scire se et sentire*, affirmabat. *Quod ipsum vero dubitari posse de istis, qui nihil nisi syllogismos et demonstrationes somniare, cogitare, facere, loqui, scribere queant. Has videri haud immerito posse machinas syllogisticas et demonstrativas.* Magis tamen succensebat discipulis Wolffii quibusdam, quam Wolffio ipsi. Hi enim longius etiam progressi sic philosophari †) ei videbantur, ut *Periculum esse*, diceret, *ne disputando animum et corpus nobis tandem eriperent.* Caeterum praecepta et huius philosophiae et antiquae adeo percepta habebat *), ut esset ei

lius puto quam parum dicere. Quare conferant tirones utilissimum librum Tennemanni: *Grundriss der Geschichte d. Philosophie fuer den academ. Unterricht*, a Wendtio nostro editum, §§. 336—345. FR.

†) Pag. 78.

*) Corn. Nep. XXV, 17, 3. FR.

hoc persuasissimum, in tota Wolffiana schola harum quidem rerum nihil proditum esse, quod non aut falsum sit et perabsurdum; aut non novum. Hoc se demonstrare ita posse asseverabat, ut evidentissime appariturum esset, quae nova et illi peculiaria iactentur, inepta esse; quae vero recte ab illa posita sint, olim iam fuisse observata. Et id ipsum agere voluit aliquoties, egissetque, nisi ipse solus fuisset cum altero forte et tertio, isti vero legiones, quarum invidiam ut sustineret metuebat. Debet autem mature ita statutum habuisse. Certe in diatriba *de Philopatride* Lipsiae iam xxx. huius saeculi anno pro cathedra disceptata inter corollaria invenio hoc: *Sententia Ill. Leibnitii de origine mali et mundo optimo non est nova* *). In morali †) doctrina cur eum poeni-

†) Pag. 79.

*) Quin *Harmoniam* adeo praestabilitam non originem suam, sed nominis tantum impositionem Leibnitio debere censebat. Audi quaeso, quae iam anno LXXV. saeculi superioris *Philareti* nomine in *Arnoldi Geulincx* [s. Geulincx] *Γνῶθι σεαυτόν* s. *Ethicam* p. m. 135. commentatus est Corn. Bontekoe. *Imo voluntas mea non movet motorem, ut moveret membra mea, sed qui motum*

tuerit Wolffiani istius principii, *Quaere tuam perfectionem*, ipse caussam exposuit luculentissime, in illa quantivis pretii oratione *). Istam crassa volumina meris syllogismis implendi methodum, quae *demonstrativa* audit, Wolffii commentum esse agnovit, sed vix dignum hecatombe. Ut enim evidentiae et πληροφορίας caussa syllogismis interdum docere necessarium esse dabat: ita hoc totis agere libris, et disciplinas totas,

dedit materiae, et leges ei dixit, is idem voluntatem meam formavit: itaque has res diversissimas (motum materiae et arbitrium voluntatis meae) inter se devinxit, ut cum voluntas mea vellet, motus talis adesset, qualem vellet, et contra cum motus adesset, voluntas vellet, sine ulla alterius in alterum caussalitate vel influxu: sicut duobus horologiis rite inter se et ad solis diurnum cursum quadratis: altero quidem sonante, et horas nobis loquente, alterum itidem sonat, et totidem nobis indicat horas: idque absque ulla caussalitate, qua alterum hoc in altero caussat, sed propter meram dependentiam, qua utrumque ab eadem arte et simili industria constitutum est: sic V. S. motus linguae comitatur voluntatem nostram loquendi, et haec voluntas illum motum: nec haec ab illo, nec ille ab hac dependet, sed uterque ab eodem illo summo artifice, qui haec inter se tam ineffabiliter copulavit atque devinxit. An dubitas Gesnero his nitenti verbis accedere?

*) *Utilitas honesti mater, non index.*

omnemque philosophiam in syllogismorum vincula coniicere, non cadere opinabatur in virum sapientem. *Pueris enim hos libros inutiles esse; viris autem obtrudere eosdem, insolentem esse iniuriam, nec minus ridiculum, ac si cursorem, aut saltatorem cogere velis repuerascere, patique ut sibi alligentur denuo serperastra. Non enim semper tam* †) *infantem esse animum humanum, ut perpetuo manu sit ducendus aliena, nunquam discat vi sua gradum facere firmum, velociter currere, saltu etiam cum decore ferri. Eos vix homines esse, qui libertatis negligentes aequo animo hasce in angustias compelli se patiantur.* Isti quoque nimio philosophandi fervori, qui Germaniam infatuaverat fere universam, et qui furori haud erat dissimilis, a Gesnero reclamatum est vehementer. Nempe dolorem magnum et acerbum commovebat ei hoc, quod iuvenes sentiebat plurimos tempus suum argutiis terere metaphysicis, et luem hanc philosophicam, quam dicebat, quae vulgata erat ubique, litterarum depopulari latifundium. Accusabat

†) Pag. 80.

etiam quosdam doctores, qui arti suae pretium statuentes nimium, et variis artibus illicientes ingenuos adolescentes, eos Sirenis suae philosophicae blanditiis deceptos, cursu inhibito, in vada et scopulos deferrent. Accidisse memorabat Goettingae, sub initia Academiae, ut generosus et magnus vir filio hospitium prospexerit apud philosophum. Hunc persuasisse iuveni, philosophiam artium clavem esse reliquarum omnium: hanc qui redegisset suam in potestatem, scilicet ei patere omnium magnarum rerum et disciplinarum scientiam. Circumacto triennio patrem repetiturum filium in eo deprehendisse praestantem quidem omnibusque numeris absolutam arcanorum dialecticorum atque metaphysicorum intelligentiam, iuris autem, cui discendo destinatus fuisset, †) non tantulum. Quare ita excanduisse hunc virum ira, ut damnum hoc gladio festinarit ac fustibus ulcisci. Philosophum vero consuluisse sibi fuga, et mox magno academicae iuventutis bono illa urbe excessisse. Metaphysicum autem istum rebus non prius potuisse adhiberi gerendis, quam in alia

†) Pag. 81.

Academia tantundem operae in iure posuisset, quantum antea in philosophia. Goettingae hoc fieri si potuit, quam tamen morbus iste omnium attigit minime, quid tandem aliis in locis factum esse oportet? Equidem novi, qui se theologiae candidatos profiterentur, praeter divinam autem Metaphysicam ex litterarum Universitate nihil secum attulissent. His debeo, quod Wolfii philosophiam in templis ante sum edoctus, quam in scholis. Gesnerus igitur, ne ad hunc scopulum offenderent, eum audientes, qui eius candor erat, monuit diligenter. Primum quidem hortabatur ad philosophiam omni modo, eius ostendendo utilitatem ac necessitatem: sed moderatum esse volebat eius studium. Iubebat facere, quod fecit apud Ciceronem *) Antonius, qui decrevit *philosophari*, *sed PAUCIS*. Contemplativam philosophiam brevem esse optabat; activam vero exercere totam vitam. Porro illud praefulcire atque praemunire conabatur, ut ne plus his opertis, quam deceret, tribuerent. *Non enim magnam esse sapientiam*, monebat, *disputare de rebus*, *quae*

*) de orat. II, 37. s. 156.

†) *parum habeant certi solidique, coniecturis multo maxima ex parte nitantur, et nunquam ad liquidum possint perduci. Quantum ad dialecticorum leges, esse illas quidem certissimas; sed sapere inde non magis disci posse, quam ire ex praestantissimo Borelli,* DE MOTU ANIMALIUM, *libro. Esse dialecticam veluti animae humanae anatomen, quae indaget, ponatque in oculis, quo illa modo ratiocinetur. Sed rationem ipsam qui peti inde, aut sperari posse, sibi persuadeat, non minus eum decipi, ac si caecus ex Zinnii* DESCRIPTIONE OCULI HUMANI *videndi potestatem sibi vellet acquirere. Quin frequenter fieri, ut homines, quibus forte Logices nomen inauditum sit, veluti milites, mercatores, de aula, longo rerum usu, assiduaque meditatione sensus habeant ad iudicandum ex vero celeriter et acutissime exercitatiores his ipsis, qui tota vita fuerint dialectici.* Observasse adeo sibi videbatur, regularum repetitionem Logicarum continuam, vim iudicii nonnunquam aliquantum imminuere, celeritatemque tardare. Plus hic posse

†) Pag. 82.

indicabat Geometriam. Maiorem vero honorem disciplinae huic deferebat, quatenus disserendi docet subtilitatem, quam veteres praecipue spectarunt; unde etiam nomen ei est impositum. Ex quo, cum ita haberet statutum, magnum ei solatium ferebat felix studiorum mutatio. Nam interfuit rebus humanis aliquot annis post quam elata esset, quam omnes adoraverant, magna Diana Germanorum, †) cuius exsequias saepe cecinerat ut vates; cumque posuissent Lipsienses in diurnis suis haec *): *Metaphysicas argutias non disputare, hodie praerogativa sapientum est.* Antea tamen iam sibi gratulatus erat et saeculo nostro, quod viderat, resedisse sensim aestum illum nimis philosophantium febrilem, et contra homines nostros omni ferri impetu ad investigationem naturae. Quamvis enim etiam hic vis saeculi, tanquam torrens, plures fortasse abripere ei videretur, quam aut necessarium esset, aut laetabile litteris; gaudebat tamen occupari homines rebus utilissimis, in quibus beati quoque horas otiosas

†) Pag. 83.

*) Leipz. gel. Zeit. 1757. pag. 918.

bene collocare queant, quibusque exhauriendis vix unquam operari mortales possint, dum sit hominum genus futurum. Hocque quamdiu fiat, barbariei aditum difficilem, immo clausum fore opinabatur. Ipse quanquam quod egit, agere malebat; quoniam vel rerum honestarum suscipere cogitationem; vel studere, quomodo cogitata mentis praeclare et eleganter eloquaris; adeoque ipsum parvum fieri quasi creatorem, vel denique, quae in verbis sententiisve alienis pulchra sint, declarare atque edisserere, homine non minus dignum iudicabat, quam vel insidiari ranunculo viridi, eiusque demonstrare constructionem; vel captare et ordinare papiliones: laetus tamen origine novi studii illud non commendabat modo diligenter; sed et ipse eius colendi nihil praetermisit occasionum. Quapropter quae iuveni defuerat †) opportunitas, eam vir captavit, quoties se offerret. Nam quod Lipsiae fecit, Hausenii auditor spectatorque, fecit etiam Goettingae, cum Segnero et Hollmanno, consummatissimis viris, amicitias colens perpetuas. Et prout ipse admirabatur

†) Pag. 84.

Dei opera, qui per illa nobis se offert palpandum, aliorum animos incendere hac virtute studebat. Ne longe abeam, quoties vitulinum caput inferretur culinae, demonstrabat suis oculi structuram, et auris item ad mensam. Nonne hae Platonicae fuerunt coenae vereque philosophicae? Itaque cum tantopere honoraret filiam Dei, Naturam, et illa amatori suo sese indulsit cognoscendam familiarius, quam forte opinabile sit. Sunt, qui dicant, eum physicorum, historiae speciatim naturalis parum fuisse consultum. At qui hos dicunt, non norunt Gesnerum. Nam ex Pliniana Chrestomathia hic non censendus est. Iuvenis ediderat hanc et Ciceronianam. Provectus aetate non dissimulabat, si nunc delectus locorum esset agendus, se aliam plane initurum esse rationem. Sed cum iuvenilem operam Germanorum iuventuti usque adeo prosperasset Deus beneficus, ut ei saepe gratiae actae essent a magnis viris; noluit destruere haec beneficia, sed relinquere libellos, ut ab initio ex manu editoris exierant. Qui vero in Pliniana hoc vituperant nominatim, quod multa excerpta sint non physica, sed

historica, et antiquaria; illi quid dicant videant. Gesnerus quidem non credebat hoc, quod ipsi volunt: *Qui* †) *Plinium legat, ideo hoc facere, ut naturae discat inde historiam.* Contraxerat cum Plinio maiorem familiaritatem, et quid ille docere posset melius norat. Igitur varietatem doctrinae antiquae proponere iuvenibus, eius fuit consilium. Hoc enim semper fassus est: *Speculatores naturae antiquos minus fuisse felices; et vulgarem nostrorum hominum libellum unum aliquem plura prodere illius mysteria, quam veteres universos.* Quos interim non neglectos volebat; sed historiae caussa, ut quid illis notum fuerit, quid incognitum, sciatur, diligenter legendos esse; pro certo autem accipi nihil posse aut debere, quod non experimentis firmatum sit recentibus, censebat. Interim tamen veteres quoque plura scivisse, quam plerique hodie credant, contendit. Multa quoque, quae hactenus in numero incredibilium habita fuerint, observationibus novissimis a fabularum vanitate asseri, pergaudebat. Ordinis

†) Pag. 85.

vero, methodi *) et veri, plurimum habent ex veteribus, eo iudice, scripta Theophrasti. Reliqua verbo expediam. Gesnerus non comparandus est ille quidem cum iis, quorum vita in retegendo naturae peplo occupata fuit, et quos genios dicas naturae, quales sunt Linnaeus, Hallerus, hisque similes alii; sed plus tamen calluit in hac quoque eruditionis parte, quam credibile sit iis, qui ex libris eius coniecturam †) capiunt. Interius eum norunt illi physici, tum Goettingenses ambo, et Roscii **) in sua arte, qui controversiam ex hoc genere suam ad Gesnerum deferentes illum arbitrum statuerunt, illiusque arbitrio stetere. Et vero etiam, Vinariensis cum esset, certa ratione experimentisque expugnaverat iam physicum Ienensem, Georgium Erhardum Hambergerum, indagatorem naturae valde illum sollertem

*) Hanc, Graecos cum Latinis comparans, in illis agnoscebat, his, praeter Varronem et Vitruvium, abrogabat omnibus.

†) Pag. 86.

**) *Roscius* praestantissimus apud Romanos histrio arte sua hoc erat consequutus, ut, in quo quisque artificio excelleret, is in suo genere *Roscius* diceretur. Vid. Cic. I. de Orat. 28, 130. Brut. 84, 290. FR.

quidem, at eundem quoque, id quod constat, in opinionibus sane quam pugnacem. Nec Gesnero citra pulverem hanc contigisse victoriam, inde potes divinare. Multum diuque quaestione aliqua naturali invicem disceptata, Gesnerus, ut plane suum faceret Hambergerum, ad se invitat. Cognatione coniuncti erant propinqua, igitur venit cum coniuge. A prandio mulierculae separatim se exhilarant: philosophi altercaturi amice secedunt. Dum autem meliora docet hospes hospitem, ita paullatim augescit magis concertatio, ut tanquam a verbis ad verbera ventum si esset, trepide accurrerent uxorculae. Tandem Gesnerus amici errorem ita coarguit rerum demonstratione, ut hic victus tandem manus daret, eumque noster suum haberet semper ab eo inde tempore. At thesaurus L. L. Stephanianus auctus ab eo emendatusque, eum physicorum fuisse expertem, credere nos cogit scilicet. Nescivit enim *Antacaeum* Graecorum, esse *Husonem* nostrum, et plantarum animaliumque nominibus Latinis nomina non addidit Germanica. Audis †) Po-

†) Pag. 87.

povitschii *) et aliorum accusationes. Quae quales sint videbimus. Primo cum per totum librum idoneis de caussis abesse voluerit Germanica; haec diligentia hic putida erat ac ridicula. Deinde Graecum est *Antacaeus* vocabulum, quod in libris Latinis vix semel apud Cassiodorum occurrit: adeoque eius disquisitio pertineat potius ad thesaurum Graecum. Hoc vero quod vult Hungarus **), factum iam erat in Fabro, ubi inveniret: *Antacaeus*, ἀνταχαῖος, *genus piscis*, HAUSSEN. Quod ipsum tamen forte dubio haud caret omni. Video certe Casaubonum ***) totidem verbis hoc negare. *Falsum est*, inquit, *solam anguillam ex omni piscium natura carere spina: nam et Antacaeus est ἀνάκανθος, et* HUSO *Danubii, qui est alius ab Antacaeo Pontico.* Assignare autem ubique nominibus plantarum Latinis nomina vernaculae consuetudinis vera, id vero supra vires est, non modo Gesneri, sed, pene dixerim, humanitatis. Cogita ama-

*) Cf. supra pag. 67. FR.

**) Intellige Popovitschium *Venedum*. FR.

***) Animadvers. Athen. VII, 13.

bo, in Germania quid fiat. Una eademque planta quam varie usurpatur? Nonne quot sunt provinciae, atque adeo quot sunt pagi, tot interdum eiusdem plantae sunt appellationes? Non poterat opportunius mihi afferri, quam nunc ipsum, de baccis iuniperi, quae alias etiam grana turdorum audiunt, Experientissimi Trampelii disputatiuncula **), quae dicta modo a me exemplo firmat luculento. Si in patria nostra difficultatibus conflictamur tot †) ac talibus, quid demum in terris fiet peregrinis? Nisi forte putamus, ibi totas gentes ac regiones uno ore consensisse de nominibus, plantis singulis, faciundis. Porro quot sunt plantae unius regionis incolae, quaeque idcirco in Germania nomen peculiare non sortitae sint? Tum vero nimis saepe desideratur diligentia ac fides veterum. Qui de re rustica Romanorum praeceperunt, plerumque satis habent, cum reliquis scriptoribus plantarum posuisse momina, utpote quae nemini cognita non essent. Igitur quae disci possunt curatius, solus fere docet Pli-

**) Hannov. Magazin 62. St. 1768. pag. 990.
†) Pag. 88.

nius. At qualis vir? Qui earum rerum, quas edisserit, bene plerumque et gnaviter est imperitus; qui in totum fere mutuata ab aliis, aniculis non raro, luce fulget; quem possumus demonstrare, quoties ex Graecis, qui tulerunt vetustatem, quosque adire et conferre cum eo licet, sua petivit, eorum limpidos fontes ferme perturbasse. Iam si ex Aristotelis, Theophrasti, Dioscoridis fontibus deducti rivuli in solo Pliniano tantum sordium trahunt, ut passim sic satis lutulenti fluant; an speramus, cum tot aliis, qui interciderunt, actum esse praeclarius? Si vero summi viri, peritissimi non modo artis herbariae, nam hoc hic parum est; verum et critici simul maximi, ope Graecorum, quorum flosculos carpsit atque delibavit Plinius, vix, aut ne vix quidem, exsolvere se et extricare possunt: quid fiet de locis his, ubi auxilia Graeca herbariis et criticis suppetias non veniunt? Nunc, cum in descriptionibus †) plantarum, ubi tantummodo sperari et exspectari aliquid potest, spes saepe emoriatur: nonne in reliquis plantis, quarum nomina sine notis nu-

†) Pag. 89.

da eduntur, res esse debet desperatissima? Hoc fatentur, qui sapiunt, nec sunt iniqui, omnes. Gesnerus cum pararet rusticos Romanos in lucem producere ornatiores, Lipsiae cum medicorum primoribus, in quorum amicitia erat, in his cum Platnero atque Walthero contulit consilia. Gratulati ei sibique gavisi, *Bonum factum*, dixerunt, *sic enim mox plurimas Italiae et Plinii herbas, quae rusticis tuis saepe in usu sunt, multo quam nunc habebimus notiores.* — *Recte:* respondit Gesnerus. *Date modo vos mihi operam, quam sperare a vobis fas est; adiutabilem; et ego amicitiae doctrinaeque vestrae non ero ieiunus laudator.* Conticuerunt illi tum tergiversantes. Nec postea fuit, qui ei operam navaret. Nec dum nominavi virum, qui in plantarum studio quasi tabernaculum vitae suae collocaverat; qui antiquitatem totam in confiscato habebat; paratissimus qui erat a critice; qui adiutorio gaudebat nautarum peregrinatorumque; quo nemo unquam fuit ad hoc agendum instructior; Bodaeum a Stapel designari, non exspectabis ut dicam *). Hic

*) Cf. Schneideri Praefat. ad Theophrast. pag. IX. FR.

talis ac tantus vir quoties aestuat dubitatione? quoties conciliare inter se non Plinium modo et Graecos laborat; sed Graecos ipsos? Nam Theophrastus quoque et Dioscorides aut discordant interdum; aut inter se dissidere videntur. De Plinii autem †) per-angusta et male ambulante fide commentarii illi praestantissimi pleni sunt querelarum. Sic, (pag. 632. b.) *Quod ad Plinium*, inquit, *nemo ignorat, hunc plura omittere, quae ad plantae cognitionem ac exactam delineationem pertinent. Satis negligenter Graecorum scripta vertit, et plurima, quae tamen optima, reiicit.* Ibidem (*col. a.*) ex plantis diversis duabus unam per eum male fieri ostenditur. Neque vero in plantis fides eius sublestior est, quam in animalibus et rebus aliis. Non hoc nunc ago, ut reum faciam Plinium, quem amo cum omnibus peccatis eius: nam in eo, quod iudicatum est a Salmasio *), standum puto: sed hoc mihi volo: Si viri qui ita his in rebus versati sunt, ut

†) Pag. 90.

*) In Prolegom. exercitatt. de Homonym. Hyles iatricae pag. 18.

habitasse in eis videri queant, vix aut omnino non difficultates eluctantur, ubi additae sunt rerum descriptiones: quanta iniuria et impudentia est postulare hoc a Gesnero, ut ubique rerum nominibus antiquis nomina adderet nova hominum nostrorum. Neque vero hoc olim tantum sic fuit. Cum maxime fervent haec studia; et progressus facti sunt haud poenitendi: et tamen, ut quisque doctrina et modestia maxime excellit, ita maxime agnoscit praepositam huic operi difficultatem. Martinus ille Cantabrigiensis Botanicus celeberrimus, et amicus Linnaei *), qui dedit nobis Georgica Maronis illustrata ita, ut hac parte omnes antecat, quam raro post operosas †) inquisitiones ita pronunciat, ut appareat lux veritatis! *Videtur*, *puto*, *credo*, *fortasse*, et signa dubitationis similia occurrunt quam saepissime. Certi contra summa est infrequentia. Itaque quid sint *Esculus*, *Lotus*, *Casia*, *Thymbra*, *Ulva* **), dubie finit. *Siler* autem, *Crustumia*, *Syria*

*) ad Georg. III, 196.

†) Pag. 91.

**) Georg. II, 15. ib. 84. ib. 213. IV, 31. III, 175.

et *Volema* pyra, *Caricem*, cum *Acalanthide* *) avi aperte ignorat. Neque vero de Plinii supinitate et ignorantia non queritur. Sic ostendit Martinus **) eum ζεάν Graecorum et *far* Romanum pro generibus frumenti diversis habuisse, cum sint unum. Similiter lapsus esse dicitur ***) in *Lappae* et *Aparines* descriptione. Vocatur etiam in crimen idcirco, quod de planta, quae una atque eadem sit, interdum bis disputet, diversitate nominis Graeci et Latini in istam fraudem impulsus ****). Observat praeterea, rei herbariae studiosis crucem fixisse Romanorum consuetudinem, suas plantas nominibus aliarum Graecis signandi; inde enim factum esse non raro, ut pro iisdem haberi coeptae sint herbae dissimillimae *****). Quae cum ita sint, ignorare Gesnerus sine pudore potuit hoc in genere infinita, cum summis viris, qui totos se ad investigationem naturae †) contulerunt. At pudeat suarum culpatio-

*) II, 12. ib. 88. III, 231. ib. 338.
**) Georg. I, 73.
***) Georg. I, 153.
****) IV, 63. *****) II, 213.
†) Pag. 92.

nium hos, qui exprobrant ei, nescio quid. Quanquam videtur quoque eius existimationem offendisse quadantenus rarissima modestia. Nam hic non scientiam, sed imperitiam, ut scilicet prolectaret, ad se docendum, quos putaret peritiores, semper praetulit aperte. *In tam magno autem campo, tamque fertili, hactenus neglecto, subinde eruere proferreque in lucem abdita et incognita ante, ludum esse homini non hebeti debere: contra in his litteris*, quarum ipse fuit princeps, *quae saeculis superioribus a tot vastis ingeniis, tanto ardore, diligentia tanta, tanto successu cultae sint, aliis indicta nec observata prodere, esse difficillimum, et tantum non desperandum*, semper prae se tulit. Et tamen ipse non pauca profecto, neque proletaria primus ostendit cum in verborum crisi, tum in rerum explicatione. Caetera vero quae nova dici non poterant, nove tamen dixit, suoque more, hoc est elegantius. Inprimis commentationes illae, quas doctrinarum collegio Goettingensi, cuius erat Director, obtulit, novitatis habent gratiam. Et tamen ex his ipsis doctissimarum una et lau-

datissimarum *de Phoenicum extra columnas Herculis navigationibus*, quam sit difficilis novorum inventio, demonstrat. Cum consuesset animo non supino, sed intento, antiqua monumenta scrutari, iam diu vestigia huius facti observasse sibi videbatur. Confirmabant eum quae Huetianus *de commercio et navigatione* †) *veterum* *) liber eandem in sententiam dicit. Cumque in eiusdem Huetii *Commentario de rebus ad eum pertinentibus* (pag. 341.) relatum legisset: venisse ex Alnetano *De navigationibus Salomonis* scriptionem suam, hanc diu quaesivit oculis et voce. Non enim perreptavit modo bibliothecarum suae et publicae forulos, qui librorum catalogos servant; sed percontatus quoque est alios, *Annon prodere sibi talem Huetii libellum possent?* Amicos insuper iuniores rogitavit, hoc sibi ut darent, quaererentque quantum valerent. Longae inquisitionis labore frustra exhausto censuit tandem, quae in Orphicis (pag. 488.) legimus. Quin,

†) Pag. 93.

*) *Histoire du commerce et de la navigation des anciens.* FR.

cum iam absolvisset ipse suam scriptionem, evolvit volumina illa, quae *Critici sacri Anglicani* usurpantur. Fors fortuna fuit, quae editionibus posterioribus locum in bibliotheca academica non dederat. Namque ultimus tomus supplementorum, quae Londinensis editio non habet, Gesnerianam nobis dissertationem erat intercepturus, quia custodit Huetianam. Strangulare autem suam volebat Gesnerus, ubi primum editae Huetianae catalogus librorum aliquis aut testis alius facturus fuisset indicium. Quibus gaudiis exsultavi, cum liceret duo haec opera Phidiaca contendere, a viris profecta maxumis; qui litterarum ornamenta erunt aeterna; quorum uterque suis fretus copiis rem suo Marte egit nullius adminiculis. Gesnerum enim Huetianum scriptum oculis nunquam usurpasse, tam scio, quam quae manibus †) tenemus. Interfui enim, ut ita dicam, generationi harum praelectionum; et possem, si ita res cogeret, signis nixus certissimis testari evidentissime. Sed tu mihi otium hic praestas, amicorum iucundissime: nam apud te mihi

†) Pag. 94.

est fides. Istud autem si accidere Gesnero potuit, quid illis demum verendum est, et quam timide, caute, modesteque, quae ipsi pro novis habent, aliis venditare ea decet, qui non tam parati sunt a subsidiis talibus vel domesticis vel externis. Enimvero non praefuit modo duabus bibliothecis, quae cum instructissimis Germaniae de palma certare queant: sed fuit etiam ipse, quod de Longino praedicant, *Βιβλιοθήκη ἔμψυχος, καὶ περιπατοῦν μουσεῖον* *). Est autem in ambiguo, utrum Musea haec ipsi se praebuerint opportuniora; an ipsi illis ornamento fuerit maiori. Hoc vero certum est, habuisse illa suo custode non ampliora decora. Fuit enim ea eruditione et moribus iis, ut, eum cum omnibus Musis et Charitibus omnibus rationem habere, appareret, utque dubii discederent spectatores, quid mirarentur potissimum, Musarum templum, an eius antistitem. Fuit etiam hoc insigne in illo decus, quod non temere tam peregrinus venit, quicum non colloquia potuerit serere suavissima.

*) Vid. Eunapius de vitis philosoph. pag. m. 16. in Porphyrio.

Praeter linguam enim Latinam callentissimus fuit Gallicae Italicaeque. Hispanorum, Anglorum, Belgarumque libros legebat. Suecice sciebat †) mediocriter. Fuit autem et ipse, quas curavit, bibliothecarum beneficiarius. Nam debuit illis non librorum tantum cognitionem, quae in eo fuit luculentissima, et pene dixerim, stupenda; sed doctrinarum quoque multitudinem. Has enim primum insigniter auxit institutum illud Vinariense, de quo meminit Venerabilis Ernesti *), et cuius aliquot folia, tanquam tabulas ex magno naufragio servatas vidi Goettingae, quae Vinariae partis immensum quantum addidit. Solebat inter alia id operam dare, ut hospites inter colloquendum sensim traduceret ad illam scientiam, cui potissimum essent dediti, ut hac ratione eius fierent doctores. Aut si horae consumerentur sermone, paciscebatur sibi hoc, ut impertirent sibi de suis aliquid, peterent deinde a se quae viderentur. Venit aliquando alumnus Neptuni, homo qui omnibus maribus, mediterraneo autem diutissime esset ia-

†) Pag. 95.

*) Pag. 18. sq. FR.

statua. Quos misceret Gesnerus sermones cum nauta, cui Proteus suis cum pecudibus innotuisset quidem, rebusque maritimis qui esset exercitatissimus, Musas autem nunquam, ne e longinquo quidem, salutasset? Commode occurrit quod audiverat de linguae commercio peculiaris, quod illo in mari nautae inter se habent. Vulgo duit *lingua Franca, (die Frankensprache,)* estque conflata ex linguis Arabica, Italica, Gallica, Hispanica, Anglicana, maxime autem Gallica et Itala. De hac igitur nascuntur sermones. Cumque affirmasset navita, esse illam naturae maxime convenientem, †) facilemque adeo, ut vel Arabes nullo negotio illam intelligant; plurima ab illo expiscatur vocabula, in his, interpretem esse *Miparlitiparli*, quasi tu dicas, *qui ad me, qui ad te loquitur.* Ita describitur officium eius, quem nos vocamus *einen Dolmetscher.* Nosse haec et scitari humanum est, et Philologo dignum. Sed eadem a curiositate traducere ad utilitatem, Gesnerianum est. Haec observatio placitura mihi erat inventa ubicunque, illamque eram custoditurus

†) Pag. 96.

nt gemmam: quoniam vero illam accepi a Gesnero, cum ad Io. XIV, 16. explicaret quid sit παράκλητος, non cara est auro contra. Offert enim imaginem animo non impio suavissimam interpellantis pro nobis Deum suspiriis inenarrabilibus, consolantis nos, incitantis ad virtutem Christianam, et internuncii desideriorum nostrorum, Spiritus Sanctissimi. Fuit autem bibliotheca vestra Gesnero non doctrinae modo, sed prudentiae quoque schola. Ac ne longum sit, uno defungar exemplo. Aperiens illam quodam tempore viro venerabili, dum caedunt sermones, facit quod semper facere solebat; vultum et oculos diligenter observat, tanquam animam per fenestras suas perspecturus, illiusque hausturus imaginem. Quod dum facit, ora sentit hospitis eo suffundi rubore, qui proditor est iracundiae. Miratur hoc quid sit, et magis etiam intendit oculos. Tum alter ille aperte conqueri et accusare Gesnerum; dicere inter alia: *Satis et abunde miseriae esse, quod altero oculo* †) *captus esset casu acerbo: non cadere in eius humanitatem hanc infortunii*

†) Pag. 97.

exprobrationem. At Gesnerus satisfacere illi, et affirmare liquido omnique ratione, *Se, nisi ipse dixisset, hoc fuisse ignoraturum.* Et sic facile sarta gratia denuo coiit. Inde vero didicit, et quod didicerat docuit, *Prudentiae esse et humanitatis adeo, avertere oculos de mutilatis aliorum membris, et dissimulare ea, quasi non videas. Esse enim hoc infelicium tanquam proprium, ut se semper putent contemni.* Cum in Gesneri potestate tanti essent librorum thesauri, nunquam ei non patentes; nihilo minus ipse bibliothecam collegit locupletem, quoniam de alieno vivere illiberalis esse putabat ingenii. Igitur indignabatur etiam, si alii commodatis uterentur, qui sui esse deberent, ad labores inprimis diuturnos et lucrosos; nisi tamen opera essent magna, privatos sumptus exsuperantia; aut ob raritatem non parabilia cuivis. Graviter tamen ferebat, si diutius retinerentur libri sive sui, sive publici. Suos quidem, philologicos inprimis, ultra mensem exire sua potestate non aeque patiebatur. Hinc inprimis curabat, ut libri ii, quorum usus est frequentissimus, et qui fere primum solent adiri,

sicut Lexica, oraculaque alia, semper adessent, nec temere desiderarentur. Caetera erat facilis. Ipse vero, si accommodasset ei bibliotheca librum, supra quam dici potest, fuit religiosus. Vix pernoctare secum permittebat. Et si omnino aliquot per dies retinendus esset, identidem, *An eundem alius* †) *quispiam utendum rogasset*, quaerebat. Et cura aliqua levatus videbatur, si in locum suum esset restitutus. Hos vero, qui per multa milliaria potius petere librum mallent, quam aliquot imperialibus emere, impudentes vocabat. Ipse exactae etiam aetatis, cum de vasis iam colligendis cogitaret, semper tamen opum harum fuit augendarum studiosus. Etiam cum postremo novi instrumenti tabulas auditoribus suis daret explicatas, libros complures novos paravit, *Esse* negans *boni viri, ea, quae publica esse deberent, plures menses parietibus continere privatis.* Interim tamen, quantum aberat a sordibus quorundam, tantum abfuit ab emacitate aliorum, qui, ornatus et famae caussa, librorum omni genere domos magnas rumpunt. Quos ipsos tamen

†) Pag. 98.

non reprehendendos sed laudandos putabat, si in medium quaererent opes. Quemadmodum vero in omnibus modestiae studuit; ita his sumptibus statuerat finem, destinando iis reditus certos, in his honoraria cum bibliopolarum, tum quae acciperet pro institutione privatissima. Contigit autem ei, quod haud scio an nemini eruditorum, qui quidem fuerunt mariti, ut non solum hac in re plane esset sui iuris, sed praeterea sociam haberet voluptatis huius quoque coniugem vere singularem. Nam quod dubitanter posuit Venerabilis Ernesti *), id ex animi sententia dictum fuisse, ipse habebat persuasissimum. Certe affirmabat, se, post quadraginta amplius annorum usum et consuetudinem, nihil ficti aut †) simulati subfuisse, credere. Et de hoc ipso sibi gratulabatur, quod amico non plane potuisset persuaderi. Aestimabat autem libros ex usu, ita quidem, ut in parandis iis, qui cum maxime opus essent, aut quos mox opus futuros praevideret, haud parceret impensae; reliquos vero emeret cautius, nec ni-

*) Vid. pag. 38. FR.

†) Pag. 99.

mis cupide. Interdum emebat etiam quibus non opus esset, aut quos iam haberet, si infra dignitatem vendi videret. Suis utebatur pro suo iure, ita ut etiam calamo ad marginem emendationes, coniecturas et explicationes paucis annotaret verbis. Publicos vero et alienos sancte custodiebat, nec ipse sibi hoc permittens, quod in suis facere consueverat, et dissuadens vehementer. Caeterum ex reliquis copiis selegerat quosdam, qui semper essent in promtu et in mensa. Ex his erant praeter Lexica generis non unius, Linnaei *systema naturae*, Eisenschmidtius *de ponderibus et mensuris antiquis*, Schraderi *tabulae chronologicae*, I. A. Schmidii *lexicon ecclesiasticum minus*, Aristophanes Kuesteri, cum aliis paucis. In tanta autem, quibus obruti hodie sumus, librorum ubertate, indices bonos et locupletes, quoniam volumina tot perlegi nequeunt, non tam ornamenta, quam partem necessariam esse statuebat, vocabatque eorum animas. Hinc quoties liber paullo maior indice careret, *Illi*, dicebat per risum, *animam deesse.* Fuit autem Gesnerus non custos modo, sed iudex quoque et cen-

sor librorum. Immortalibus illis Lipsiensium *Actis Eruditorum* †) inserviit, quamdiu Vinariae et Lipsiae fuit. Goettingenses vero *Relationes* cum Germanicae tum Latinae plurima ab eo habent ornamenta. Atque utinam in huius quidem censoris, velut unici exempli, mores, se formarent cuncti, qui hoc sibi sumunt, ut alios iudicent. Ille quidem haec iudicia exercuit ea modestia, et humanitate ea, quae decet humanitatis doctorem. Non enim similis erat canibus istis ac viperis, qui omnes allatrant mordentque, aut certe sibilis consectantur: sed erat elephantus, qui conscius sibi suae magnitudinis virtutisque *ea uti narratur clementia contra animalia minus valida, ut occurrentia manu dimoveat, ne quod obterat imprudens* *). Non infitiabatur ille quidem, *Esse quosdam in magna doctorum scriptorumque societate, qui fustuarium mererentur: sed se nolle carnificem esse,* dicebat, *qui eis infligeret plagas, poenasque ab iis repeteret.* Itaque ea scripta, quae lectu

†) Pag. 100.

*) Plin. H. N. VIII, 7. s. 7. [Cf. Solin. Polyhist. cap. 25.

indigna ei videbantur, dissimulata volebat; non indicata. Nam aliorum errores investigare, pudendaque aliena revelare, inglorium ducebat et indignum adeo viro honesto. Unum genus scriptorum excipiebat, ea videlicet, quae religioni, bonis moribus, et reipublicae nocent. Haec, nisi dissimulando negligendoque supprimi posse spes esset, designari tanquam felicitatis scopulos communis optabat, ut caverentur. Horum quoque auctores sale multo defricari salubre rebatur. Superbos etiam †) debellari ei non displicebat. Reliquis vero et parcebat, et ut parcerent alii quoque, obtestabatur. Laudanda, ingenue laudabat et liberaliter. Vituperanda non tacebat illa quidem; sed sine omni virulentia modeste, humaniter, et ita ostendebat, ut nemo se laesum esse iure posset conqueri. Eos vero, qui ob defectum ingenii, ob versiculum male natum, ob crisin non satis acutam, ob errorem quemcunque, bonos alioquin et modestos homines, iuvenes inprimis, proterve superbeque omnium subiiciant irrisioni, scurrili et scenica dicacitate captantes misellam ingenioli

†) Pag. 101.

sor librorum. Immortalibus illis Lipsiensium *Actis Eruditorum* †) inserviit, quamdiu Vinariae et Lipsiae fuit. Goettingenses vero *Relationes* cum Germanicae tum Latinae plurima ab eo habent ornamenta. Atque utinam in huius quidem censoris, velut unici exempli, mores se formarent cuncti, qui hoc sibi sumunt, ut alios iudicent. Ille quidem haec iudicia exercuit ea modestia, et humanitate ea, quae decet humanitatis doctorem. Non enim similis erat canibus istis ac viperis, qui omnes allatrant mordentque, aut certe sibilis consectantur: sed erat elephantus, qui conscius sibi suae magnitudinis virtutisque *is uti narratur clementia contra animalia minus valida, ut occurrentia manu dimoveat, ne quod obterat imprudens* *). Non infitiabatur ille quidem, *Esse quosdam in magna doctorum scriptorumque societate, qui fustuarium mererentur: sed se nolle carnificem esse*, dicebat, *qui eis infligeret plagas, poenasque ab iis repeteret.* Itaque ea scripta, quae lecta

†) Pag. 100.

*) Plin. H. N. VIII, 7. s. 7. [Cf. Solin. Polyhist. cap. 25. §. 6. FR.]

indigna ei videbantur, dissimulata volebat non indicata. Nam aliorum errores investigare, pudendaque aliena revelare, ingloriũm ducebat et indignum adeo viro honesto. Unum genus scriptorum excipiebat, ea videlicet, quae religioni, bonis moribus, et reipublicae nocent. Haec, nisi dissimulando negligendoque supprimi posse spes esset, designari tanquam felicitatis scopulos communis optabat, ut caverentur. Horum quoque auctores sale multo defricari salubre rebatur. Superbos etiam †) debellari ei non displicebat. Reliquis vero et parcebat, et ut parcerent alii quoque, obtestabatur. Laudanda, ingenue laudabat et liberaliter. Vituperanda non tacebat illa quidem; sed sine omni virulentia modeste, humaniter, et ita ostendebat, ut nemo se laesum esse iure posset conqueri. Eos vero, qui ob defectum ingenii, ob versiculum male natum, ob crisin non satis acutam, ob errorem quemcunque, bonos alioquin et modestos homines, iuvenes inprimis, proterve superbeque omnium subiiciant irrisioni, scurrili et scenica dicacitate captantes misellam ingenioli

†) Pag. 101.

gloriolam, *insulsitati* appellabat *homicidas*, et *litterarum pudenda*. Splendere enim aliena invidia nolebat. Longissime autem abfuit ab ea petulantia, quam hodie aliquibus familiarum esse cum horrore audio. Nam equidem chartas maledictis, sannis, et scommatis [illegible]catas nolo tangere. Fuit autem haec humanitas in Gesnero tanto laudabilior, quanto est certius, eam non tam naturae dotem fuisse, quam ex inductione animi profectam. Nam familiares eius norunt, linguam eius non semper tam lenem cautamque fuisse, quam eius stilum. Unicum specimen, quod iuvenis in Helladio edidit *), nobis tanquam pignus est, eum omnibus, qui ex maledicentia laureolam quaerant, istam, nisi bono viro, ne Christiano dicam, indignum iudicasset, fuisse praereptam. Istum quidem fervorem semper vehementissime detestatus est, ita ut non solum saepe doluerit, non esse in sua potestate †) istas plagulas abolere; sed publice quoque aliquoties egerit poenitentiam; semel quidem in thesauri praefatione Fabriani; iterum ve-

*) Vid. supr. pag. 64. FR.

†) Pag. 102.

ro in dissertatione *de Philopatride*, quam Lipsiae disputandam proposuit his verbis: *Humanitate ab adversariis me superari minime patiar, qui, quod iterum hic profiteor, si forte ita emendari culpa illa possit, numquam sine rubore meo aspicio, quae quondam petulantius, quam par erat, scripta a me sunt in Alex. Helladium, cuius animi aestum repressum et confutatum a me modestius, magno redemtum cupiam.* Hanc quidem culpam, quam dicit, magna modestia, quae illi propria fuit, emendavit cumulate. Inter reliquas denique, quas Gesnerus sustinuit personas, fuit et illa magistratus academici, quam bis suscepit, et semper tuitus est prudentia singulari. Priorem quidem ita gessit, ut diu postea quoque, quam illo abiisset, gratissimus esset civibus. Nam cum aequitatis esset iustitiaeque tenax, valde visus est popularis. Severitas quoque animadversionis paterno temperata amore non modo non invidiosa, sed etiam conciliatrix venerationis et benevolentiae fuit. Ex reliquis, quae edidit, sapientiae documentis hoc inprimis memorabile est. Duo iuvenes generosi, magna-

rum uterque familiarum spes, commoti inimice, intenderant alter alteri mortem. Gesnerus comperta ad certamen singulare provocatione, iubet eos vocari; ostendit iniuriam, impietatem et stultitiam; proponit poenam legibus sancitam; verbo, agit, †) quae mentem revocare bonam possent, omnia. Tum sic aliquamdiu tractatus iubet assidere, propinat vinum, et dat optionem; utrum malint extemplo condi in carcerem, an per se in gratiam reduci. Haud cunctanter illi, et sine ulla haesitatione eligunt posterius: fuitque haec amicitia eo reconciliata modo non vitrea, sed firma, ac stabilis. Gratiae vero quales et quantae ei actae sint tum a parentibus horum iuvenum, tum ab reliquis, qui iis gentilitatis vinculo coniuncti essent, quod sua sibi pignora sic custodiisset, dicere quid attinet? Quoties vero tale quid usu venerat, acrius animadvertit in incitatores, et eos, qui facem inimicitiarum subdidissent flagrantibus animis, quam in ipsos digladiantes. Posterior vero magistratus Gesnero periculosus ac pene fraudi fuit. Fuit tum, nescio quis, quem — — —.

†) Pag. 103.

De isto mox, cum suscepisset fasces academicos, vehementes auditae sunt eius conquestiones. Non solum inter amicos dicebat: *Istum, qui ad disciplinam diligenter regendam impedimento sit, cum posteris suis numen iratum sentire:* sed ad auditores quoque semel verba fecit, quorum cogitatione etiamnum horret animus. In his maxime in hanc sententiam locutus est: *Struxit mihi per hos dies adversarius aliquis periculum ruinae. Sed Dei virtute factum est, ut paratae calamitatis bona pars expetierit in ipsum auctorem. Si perfecisset inimicus conata, maculam certe mihi et familiae meae fuisse videtur inusturus, quam reliqua vita mea eluere non potuisset. Res est †) maxime memorabilis, et digna quae in gloriam providentiae proferatur a me in lucem, sed expectanda est maturitas temporis.* Tibi, carissime Eyringi, qui nosti moderatum illum sedatumque Gesneri animum, facile est iudicatu, debuisse negotium maximi momenti fuisse, quod ea mentis commotione ad auditorium talia praeter consuetudinem potuit com-

†) Pag. 104.

memorare. Sed provida Dei mens amicum suum etiam ex hoc mari scopuloso servavit, ita, ut post noctes unam alteramque tumultuosas, reliquum Prorectoratum quietum haberet et expeditum, et denique tempore suo illo se abdicaret praecipua cum laude. Fuerunt, Eyringi, munera haec diversa, tanquam theatra totidem, in quibus partes suas egit Gesneri doctrina. Lubet hic interiungere quasi, et antea, quam reliqua persequar, rationes investigare, quibus eam adeptus est. Scis, homines non esse meras machinas et ligna mera mobilia, quae nervis trahantur alienis, sed multa posita esse in sua ipsorum potestate. Verum enim vero est haec potestas circumscripta suis regionibus atque circulis, ut concurrere debeat multo maior vis, si debeat magnum quid existere. Primo loco perscrutabimur ea, quae in Gesnero ipso aliqua videntur habuisse momenta, ad currendum hoc stadium. Industriam, quae otium et discendi occasiones, divinitus concessas, recte collocat, nostram opinor esse. Haec autem tanta in Gesnero fuit, quanta esse potest maxima. Et tamen etiam haec bona fortuna

opus †) habuit, quae eam dirigeret. Adolescentulus enim fabularum amore Milesiarum *) captus erat infrunito, quae eum ita inescaverant, ut, quidquid istarum posset reperire, cupidissime in quovis angulo lectitaret. Et ne forte bis in eandem incideret, fecerat sibi indicem lectarum. Qui cum bene longus iam esset, percommode incidit in manus Koeleri illius. Is vero recitare catalogum coram commilitonibus, lectorem nostrum in pudorem dare saluberrimum, dicere inter caetera: *Vide quam sis stultus! Si eo ardore evolvisses scriptores Graecos et Latinos, quantos iam parasses tibi eruditionis thesauros, pro quibus nunc habes carbones!* Haec dicta impulerunt animum adolescentis, ut deinde tanto enixius litteras coleret meliores. Et hoc initium fuit illius honesti curriculi, in quo usque ad finem feliciter et gloriose versatus est. Observasti enim sine dubio, ὦ φιλότης, mecum, et, si attendis, observabis saepius: illam sapientiam, quae pro rebus humanis excubat, non raro permittere, ut homines boni

†) Pag. 105.

*) *Romanenses* fabulas vulgo dicunt. FR.

etiam et pii in agendo interdum ruant, et longa devium iter a veritate et recto teneant aliquamdiu, eo scilicet fine, ut aversi ab errore, et ad rectiorem vitam revocati, rem tanto gerant melius fortiusque. Dei enim est, ex erroribus nostris elicere bona; ut medicorum est venena mutare in medicamenta. Nolo nunc dicere, etiam ex his nugis tanquam ex noxia radice fructum provenisse dulcem et bonum, quo poterat amicos inter sermocinandum, et inter docendum †) etiam auditores oblectare honeste: sed hoc inprimis debuisse lectioni furtivae isti videtur, quod didicerat parva segmenta subsecivi temporis, quae alii fere perire sinunt, ad commoda convertere sua. Igitur tempora etiam minutula, quando exspectaret aliquem, ante prandium vel coenam, aut quoties alias serio res agere suas ei non liceret, captans, in suam et Musarum ditionem redigebat. His inserviebant libelli, quorum argumenta frequentem interquiescendi faciunt potestatem, veluti apophthegmata, epigrammata, poematia alia, fabulae, historiae parvae, stratagemata, libri in *Ana*, et si qui

†) Pag. 106.

his sunt similes. Sic antequam ex longinquitate gravissimi morbi, in quo Goettingae fuit, esset recreatus, intermissa studia repetiit per *Menagiana*. Etiam quoties sibi displiceret, et more consueto continuare laborem praesentem nequiret, animi relaxandi caussa suavitatem sectabatur. Memini, cum per plures dies morbo imminenti medicina facienda esset, eum vesperi *Elogia* legere *Academicorum* Fontenelliana, quorum dulcedine mirum se delectatum fatebatur. Verbo, tempus, cuius summa in eo parsimonia erat, in litteris, quantum fieri per reliqua officia poterat, consumere studuit omne. Hinc mutuis etiam congressionibus studia eius non temere turbabantur. Harum enim curam reliquerat coniugi. Ipse vix intererat nisi momento ad corpusculum calido potu curandum, quod sic satis fiebat impigre, immo praepropere. Eius salutationes officiosae †) erant rarissimae et perbreves. Atque sic volebat etiam ab aliis honorari, et quidem in bibliotheca potius quam domi, aut si omnino domi, malebat opprimi, quam praescire adventum salutatoris, ne vestes

†) Pag. 107.

mutare ac temporis plus perdere cogeretur. Neque tamen unquam fecit, quod apud Tullium *) Ennius poeta, qui familiam iussit se ab ostio quaerentibus dicere, *domi non esse*. Nam noster poeta plenus humanitate obvius fuit et paratus, expositusque omnibus semper, nisi post prandium. Hic Generum a ianua quaerentes plerumque accipiebant, illum intus non esse. Rationem mox cognoscis. Per reliquum diei, quotidie ab omnis generis hominibus, qui eum vellent conventum variis de caussis, interpellabatur saepissime. Ex his maxime amabat eos, qui Thomae Fritschii, quem librariae apud Germanos negotiationis principem vocare solebat, imitarentur brevitatem. Quippe ut ei placebat

*) de orat. II, 68. [unde bellam istam de Ennio et Nasica fabellam placuit transcribere: „Nasica quum ad poetam Ennium venisset, eique ab ostio quaerenti *Ennium* ancilla dixisset *domi non esse*: Nasica sensit, illam domini iussu dixisse, et illum intus esse. Paucis post diebus quum ad Nasicam venisset Ennius, et eum a ianua quaereret, exclamat Nasica, *se domi non esse*. Tum Ennius, *Quid? ego non cognosco vocem*, inquit, *tuam?* Hic Nasica: *Homo es impudens. Ego quum te quaererem, ancillae tuae credidi, te domi non esse: tu mihi non credis ipsi?*“ FR.]

libros vendentium negotiandi breviter, et mercis suae pretium semel indicandi, consuetudo: ita Fritschium laudabat, quod Laconicam venustatem ex libraria taberna assumtam in vita obtinuisset. Hic Gesnerum conducturus ad Fabrum locupletandum, per Vinariam transiens, salutat philologum. Audi quomodo duo viri amantes se et observantes, sed distenti impeditique officiis, et efficaces ambo, dum se invicem primum vident, alter alterum excipiant. Dum versatur Gesnerus in schola inter discipulos, †) pulsat aliquis ianuam. Prodit magister; adest vir, qui sine mora sic infit: *Salve. Esne Conrector Gesnerus?* Tum noster: *Ego sum Gesnerus.* Alter: *Ego sum Thomas Fritschius; petesne mecum Lipsiam?* Non cedens Gesnerus eius brevitati, non plura quam haec: *Peto itineris societatem.* Tunc Lipsiensis denique, *Ubi primum*, inquit, *hora audita fuerit proxima, invenies me illic et illic.* Praeter haec tum quidem ne γρῦ quidem dixerunt. Sub haec dicta Gesnerus rediit ad suos, et Fritschius conductum ivit vehiculum. Tanto

†) Pag. 108.

autem facundiores fuerunt in via, ubi revocata etiam sunt verba honoris elegantibus viris consueta, quae interdixerat ante festinatio. Haec prudentia Gesneri, et iter hoc, primo Lipsiensibus Gesnerum commendasse videntur. Nam Fritschius, quem sic ceperat, ut vir, qui esset apud omnes ordines gratiosus, laudavit eum veris et propriis laudibus coram Stiglizio, Consule tum et principe Senatus Lipsiensis, et suffragante eodem vocatus est in illam Mercurii et Apollinis sedem. Hanc vero parcitatem non senectus demum attulit, sed aluit eam iam iuventus. Sic in scholis Ienensibus, antequam venirent doctores, amicum ex Belgio exercebat, cuius lingua eum ceperat, et a quo illius hac via prima accepit initia, quemadmodum accessiones factae sunt per Vandenhoeckium Goettingae. In qua illi mirifice placebat gravitas et significantia. Philosophicam quoque vocabat eandem, quoniam plerumque appellatio res ipsas definit. †) Velut cum suo ex amico quaesivisset, quomodo *plenilunium* diceretur Belgice, accepit *Opposissy*, quoniam tum ter-

ra inter solem lunamque media est, luna vero soli ex regione *opposita*. Is si non verus hic fuit, fuit certe ingeniosus. Quaesivi aliquando non negligenter hoc ipsum vocabulum, sed frustra. Quod cum dixissem Gesnero, mirabatur, et parum aberat, quin ipse in dubium vocaret fidem doctoris, quam tamen ideo non damnaverim; quoniam scio, usitatissimas voces interdum in glossariis optimis quoque, non comparere. Sic ante aliquot annos verbum, quod in Anglorum nunciis publicis frequens est, ubi polenta *Drash* appellatur, in nullo eorum librorum, qui vocum Anglicanarum sensa collegerunt, invenire in bibliotheca vestra potui; et idem accidit nunc in Gallorum *Drecke*. Quanquam diligentius quaerere iam neque vacat neque placet. Cum per ludos temporis iacturae veniant maximae, etiam hos Gesnerus fuit ceu pestem litterarum. In Academia quoties vis ei afferretur, restitit quantum licuit. Si effugere non posset, *Nolite*, dixit, *stulti esse et me cogere ut exenterem vobis marsupia. Si tamen stat desipere, desipiam vobiscum hac lege: Hic pono denarium: hoc amplius*

neque perdere neque vincere volo. Et ab hoc statu suo nunquam dimotus est. Sed huiusce modi quidem ludos cum Academia illa plane reliquit. Dehinc ludendi rationem referebat duntaxat ad ingenii praesentiam, velocitatem, †) sollertiam, memoriae item exercitationem. Sic memini ab eo referri, in Saxonia se a duabus matronis primariis, inter quas medius sederet, aliquando per duas horas variis quaestionibus sine intermissione agitatum esse in has leges, ne quid particulis *Sic* et *Non* vel negaret vel affirmaret. Leibnitiani *finium* alter, alter *remediorum* ludi *) Goettingae adeo instaurati in conviviis interdum eum oblectarunt. Ex memoriae ludis unus erat illa mirae dulcedinis cantilena Iudaica, quam incipit *Capella* **). Nam ista

†) Pag. 110.

*) Ad quos spectandos locum oppido quam opportunum aperiunt Felleri *Monumenta inedita* P. XII, 3. Ubi invenias Leibnitii *Zufaellige Gedanken von Erfindung nuetzlicher Spiele*. Magnus ille vir utique multa ad inveniendi artem facientia in ludis latere putabat, ut docet eiusdem Felleri *Otium Hannoveranum* pag. 165.

**) Exhibet I. C. Wagenseilii *Belehrung der Iuedisch-Teutschen Red- und Schreibart* pag. 108.

gens iudicandi potestate modo non in totum exuta, hodie quidem merum est ingenium et mera fictio. Huius ad similitudinem finxerat et alios. Semel etiam *Sortibus* lusit *Virgilianis* *). Amicus quidam dubius haerebat inter duas conditiones, ita ut quam legeret non satis sibi in corde esset. Pauperem virginem, moratam egregie, inprimis commendabat modestia. Superbiorem alteram venustas et divitiae. Consultus †) Gesnerus ioci gratia, *Responsum*, inquit, *petemus a Virgilio.* Adit oraculum, et extemplo datur dictio haec: *Fiet enim subito sus horridus, atraque tigris, Squamosusque draco, et fulva cervice leaena* **). Candidatus matrimonii trahens hoc ad puellam divitem, ludum vertit in serium, istamque valere iubens atque res sibi habere suas, animum plane adiicit ad pauperculam. Dic, amabo te, mi Eyringi, an unquam lusum sit ad caussam

*) Quarum rationem ostendunt Matth. Berneccei *Observatt. miscell.* XXVII. et C. G. Schwartzii *de sortibus poeticis* disputatio.

†) Pag. 111.

**) Georg. IV, 407.

pertinentius? Alterum quod vindicare sibi in solidum potest Gesnerus, hoc est: quod discere ab aliis eum non puduit, cum iam doctor esset, et quamdiu fuit in vivis; quodque discendi occasioni semper et ubique imminuit. Hausenio quomodo usus sit nosti. Goettingae sub ortum novae Academiae, cum scholae doctorum nondum frequentarentur ab hospitibus, ipsi alter alterius auditiones obierunt. Sic Gesnerus interfuit sectionibus corporum humanorum Albrechtianis; et Albrechtus panegyricum Plinii interpretantem audivit Gesnerum. Ne plura; didicit a iunioribus, ab hostibus adeo, a quolibet denique, qui aliquid docere posset, cum alterum pedem iam haberet in tumulo. Quod autem tam diu discere potuit, inde quoque aliquatenus esse consecutus videtur, quod, ut valeret, curavit diligenter. Inprimis sancte coluit somnum, unde pietatis fructum tulit haud poenitendum. Cum tres annos habitaverim ex adverso domus Gesnerianae, sum huius religionis †) testis oculatus. Aestivis mensi-

bus hora decima condebatur dies, et sine mora lectum petebat. Sexta matutina vocatus ex lecto repente se corripuit. Hiberno semestri, undecima vespertina, sine ulla exceptione, et tanquam aliqua lege cogente, removebat lumina. Postero die hora septima redibat ad opus. Diffindebat quoque diem insititio somno meridie. Nempe pransus praestolabatur illum in sella. Hic paratissimus Gesnerum amplectebatur, at non arcte, ut nocturnus ille, qui gravis erat et continuus; sed cum effecisset, ut per quadrantem horae sui conscius non fuisset, illico abibat. Sed hoc parvum beneficium tanti aestimabat Gesnerus, ut sine illo sibi displiceret per omne id, quod reliquum erat diei. Igitur hora prima ad secundam pia coniux in statione posuerat, qui, vel quae ad maritum aditum intercluderent. Et si quis forte audax homo per muliebres custodias egressus pervenisset quo voluerat, is non inveniebat blandum illum et affabilem Gesnerum; sed alium plane, submorosum, et stomachosum, similemque Pani Theocriteo, qui *τὸ μεσαμβρινὸν — κεκμακὼς ἀμπαύεται· ἐντί γε πικρός, Καί οἱ*

αἰεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται *). Quae etiam caussa fuit, cur foris gravatim pranderet. Et si quando discesserat a consuetudine, beneficium †) non accepisse, sed dedisse se, iocans dicebat. Cum sic a Geenero honoraretur Somnus, fuit et is in illum beneficentissimus. Perofficiose et peramanter praesto erat statim, quasi fuisset vocatus, arctissimisque eum complexibus per totam plerumque noctem fovebat. Et quod plane singulare est, tantum aberat, ut tristitia turbaretur, ut potius fiducia Dei mollissime et otiose in utramvis dormiret aurem, quoties vesperi nuncios accepisset minime laetos, aut alias quid evenisset haud exoptabile. Quare cum ultima historiae ac vitae Domini nostri interpretaretur, *se minime mirari*, dicebat, *discipulos id temporis somno fuisse gravatos. Nam magnam tristitiam homines vividos somno quasi sepelire.* Cum Philippo

*) — — *Media de luce* — —
— — — — *fessus in herba*
Venandi studio requiescit, et asper habetur:
Et gravis illius sub naribus aestuat ira.

** . .

Melanchthone, quem maximi faciebat, amabatque toto pectore, communia habuit quam plurima. In his hoc etiam, quod uterque litterarum vesperi allatarum lectionem in posterum diem differret *): sed caussis plane diversis. Philippus quidem, ne seria ac tristia impedirent somnum; ne laeta, Matthias. Nam si magna laetitia ei paullo ante esset obiecta, quam cubitum iret; laetae imagines per totam noctem eius animo obversantes abigebant somnum adeo, ut hunc tum vix oculis videret suis. Hinc belli tempore rogabat amicos et familiares, ut bona nova sibi impertirent mane; mala afferrent, cum se intendissent tenebrae. Superest et aliud †) somni beneficium, collatum ab eo in Gesnerum: hoc nempe, quod illum sive per se, sive per ministrum suum, Morphea, monuit de valetudine. Quoties per quietem aut volaret, aut certe, cum mutare locum vellet, non hominum, sed Deorum more id faceret, qui haud gradiuntur, sed fluunt, ut antiqua tradit su-

*) Vid. Camerar. vit. Melanchth. pag. 56. Voegelin. [ead. ap. Strobel.]

†) Pag. 114.

perstitio *); tum vero recte valebat: aut si per morbum tale habuisset visum; spes mox revalescendi ostendebatur certissima. Contra si moveret quidem, sed nihil promoveret **); et magnis conatibus nihil ageret, haereretque ubique; tum aut aegrotabat, aut denunciabatur morbus propinquus; cui, monitus sic, in tempore obviam ire, et interdum ante, quam indictum bellum esset, illud deprecari pacemque firmare poterat. Quae cum ita sint, videtur mihi verissimus fuisse, cum iocose diceret: *Se dormiendo plus effecisse, quam vigilando alios.* Quocirca cum beneficia tot ac tanta posuisset apud eum somnus; ipse vicissim gratus conciliare ei et venerationem aliorum studebat. Igitur amicorum quoque discipulorumque eos, quibus non calcaria adhibenda esse, sed frenos ***) putaret, ut uterentur iisdem, hortabatur. Hi saepe audiebant hoc praeceptum ****): *Quod*

*) Vid. Intt. ad illud Aen. I, 409. *Et vera incessu patuit Dea.*

**) Cf. Terent. Eunuch. V, 3, 3. sq. FR.

***) Cic. Brut. 56, 204. FR.

****) Cic. offic. II, 15, 54. [*Quid autem stultius, quam,*

libenter facis, cura, ut id diu facere possis. Repeto me discedentem cum hoc veteri monito dimissum esse: *Mature fias senex,* †) *si diu velis esse senex* *). Cibos dicendo perficiebat. Idcirco ab hora inde secunda semper habebat scholas. Intermissa per ferias consuetudine fere valetudinem amittebat. Recuperabat autem, simul ac se ad has exercitationes retulisset. Hinc per ludum dicebat: *Si quando rude donaretur, conducendas sibi aliquot esse aniculas, quae aures suas ea hora suis darent sermonibus.* Sanitati cum corporis tum mentis etiam consultissime providit recta sessione. Quod enim generatim homines solent facere, ut peccata sua aliis imputent, hoc etiam ex doctis non pauci faciunt, dum suam culpam transferunt in litteras. Morbus ille hypochondriacus non tam multos excruciaret, si sequerentur Ges-

quod libenter facias, curare, ut id diutius facere non possis?]

†) Pag. 115.

*) Id. de senect. 10. [*Nec enim unquam sum assensus veteri illi laudatoque proverbio, quod monet, mature fieri senem, si diu velis esse senex.*]

nerum. Ne pectus atque lactea vasa comprimerentur, utque corporis positio, quantum liceret, esset erecta, summo studio adnitebatur. Cautum hoc etiam per illum est *institutione scholastica Brunsvicensi.* Melius ducebat tergum obrigescere, etiam cum dedecore aliquo, quam peccari sic consueta negligentia in animum. Porro rigorem istum, Fontenellii ioco, consolabatur, qui monet, ab elephantis philosophisque non exspectandas inclinationes aut salutationes venustas. Multa quoque stans aut deambulans peragebat. Ante coenam, aestivo tempore, plurimum etiam videbatur spatia circa vallum facere. Oculos conservare studuit, illos neque intendendo crepera luce, neque iis nimium admovendo librum, et temperando lampadis †) iubar umbraculo. Utebatur autem invento utilissimo commodissimoque Splendidissimi Segneri, Goettingensis olim, nunc Halensis Academiae ornamenti. Hoc tanti mathematici artificium, quod lucubrationibus principis litterarum tam officiose deservüt, ad te, mi Ieremia, transiisse audio, et accipio omen.

†) Pag. 116.

Scilicet gestit illa lampas, quae illustravit orbem *), per te etiam splendore suo lucere litteris et posteritati. Macte hoc dono esto, cui pretium statues tanto maius, qui scis, fuisse, qui Epicteti lucernam fictilem tribus drachmarum millibus emerit **). Cum prima Gesneri cecidisset aetas in ista tempora, quae honoratum aliquem dicerent, cum sepultus esset vino atque epulis; barbariei huic nunquam cessit. Cumque in aula, aut alias, multis urgueretur culullis, confugit ad suum illud solenne: *Rogo Vos, Domini indulgentissimi, ut mihi concedatis ius equorum vestrorum, et quod rustici vestri concedunt bubus et asinis suis, ut ne cogantur vel tantillum, quam velint ipsi plus bibere.* Hac armatus formula, feliciter defendit semper libertatem suam, et cum libertate bonam valetudinem. Haec quidem

*) Fuit enim Gesnerus unus, de quibus illa Musa Martia canit:

— — — *Die deren naechtliche Lampe*
Den ganzen Erdball erleuchtet.

Kleist.

**) Lucian. advers. indoct. §. 13. Tom. III. pag. 111. Amstelod. 4.

sunt, quae equidem imputanda Gesnero invenio. †) Sed potest aliquis agere haec omnia: potest vivere ex regula asinorum, aut, si mavis, naturae: potest ambulare, studere, vigilare, et insuper somno certare cum gliribus; et tamen non evadere Gesnerus. Igitur caussae circumspiciendae sunt, quibus effectus queat tribui tantus, maiores. Vegetum scilicet, molle, flexibile, suave, acutum, velox et praestans omni ex parte ingenium in vivido pectore vigebat. Sortitus erat a natura nobiles ad laudem impetus: et accenderat in illo eadem sitim sciendi insatiabilem. Sed fac esse in aliquo Gesneri materiem atque indolem: nisi accedant reliqua, tamen parum efficietur. Igitur ad haec prima naturae fovenda, nutrienda, perficienda, conspirasse amice videbantur omnia. Zuckermantelius, qui non in munus modo, sed in torum etiam Gesnerianum successerat, privignos pari ac liberos cura habuit, animoque in illos fuit fere patrio. Huius viri maximam mihi movit admirationem optimus praeceptor noster, qua nunc quoque quasi defixus teneor. Caruit is

†) Pag. 117.

omni litterarum institutione, nec vidit Academiam. Nixus autem ingenii magnitudine, eo pervenit, incitato studio, ut munere scholastico primum, deinde vero et sacerdotis non probabiliter modo fungeretur, sed laudabiliter vel maxime. Gesneris vero patrem cum usura reddidit. Operam, curam, diligentiam, amorem eius, Matthias noster non poterat satis laudare. Ne plura afferam, vitricus privignos hieme hora septima, insuper †) habens frigorum magnitudinem, per intervallum bene longum quotidie comitabatur in scholam, ubi eos cum paucis aliis linguam docebat Latinam. Quod tamen fecerat iam, cum patri vita suppeteret. Hinc traditus est Gesnerus in manus Koeleri illius, qui natus factusque ad id videbatur, ut ingenium formaret Gesnerianum. Iecit hic πολυμαθίας fundamenta ampla et firma. Sed de huius vita cum exposuerit ipse Gesnerus, mihi abunde otium factum est. Ergo persequar reliqua. Onoldiae Gallicam quoque linguam avide arripuit. Cumque ipse adolescentulus peregrinum hominem doceret quondam, ne-

†) Pag. 118.

scio quid, ab hoc, eodem tempore, pro didactro linguam accepit Italicam. Quod cum audivisset praeceptorum aliquis, parum abfuit, quin ob peccatum hoc flagris obiurgaretur Gesnerulus. Sed hic discipulus, qui hac quidem parte magistro erat sapientior, eius iurgia susque deque habens, strenue perrexit Italus fieri. Orientalem litteraturam, cuius cupiditate inflammatus erat a Koclero, nunquam satis laudando, ex parte nutrivit loci opportunitas et consuetudo patriae. Scis, mi Eyringi, in patria tua Iudaeis non licere esse tam felicibus, quam in regionibus his, ubi ad libertatem illis parum aut nihil deest. Contra in Franconia ludibrio expositi vel sunt, vel fuerunt, omnium. Quid mirum, si experti quoque sunt Gesneri vigorem, aut, ut ipse vocabat, petulantiam? Sed is licentiam hanc Franconicam in usum flexit suum. †) Cum haberet ius cogendi Iudaeos, persecutus istos est ubique, donec in pugillaribus verba scriberent Ebraica quaedam, aut Rabbinica. Tum certamen erat, uter prior litteras posset animare vocalibus: ubi ipse plerumque discessit

†) Pag. 119.

superior. Quam vexationem Iudaei licet suis ulciscerentur pediculis, ipse tamen haud potuit depelli. Ienensis denique Academia laudabilem hanc sitim explevit, ubi in Danzianis scholis tantum ex Orientis fontibus hausit, ut pene factus esset alter Danzius, qui tum longe princeps huius doctrinae erat. Hic quoque philosophiae scientiam, quae ibi tum regnabat, ad plenum adeptus est. Qua occasione illa iuris etiam imbutus est. Tribuit enim nonnihil temporis Iureconsulto, Gravinae *Origines* enucleanti *), tradentique iuris civilis disciplinam. Et eruditum illum pulverem attigit. Neque historiam coluit negligenter per quinque annos, quos Ienae fecit. Cum applicuisset animum ad sanctam doctrinam, Buddeum, qui tum columen erat theologiae, nunquam deseruit. Et cum is per tres ipsos annos Gesnerum, non modo ut filii studia regeret, sed quoque ut eum haberet laborum adiutorem ac pene socium, contubernio admovisset; factus est in domo Buddeana theologus. Hic, nomine hospitis, responsa sive consilia theologica, quae vocant, dedit

*) Cf. supra pag. 46. FR.

aliquantum supra centum: ubi ille nihil aliud, quam perlegit ab initio, postea vero ne hoc quidem. Tantum is tribuebat huic iuveni. Aliquamdiu etiam quotidie declamavit, †) ut assidua meditatione daretur facultas bene pro sacra concione dicendi. Sed cum destituerent eum vox et latera *), quae magnis templis vix suffectura videbantur, mutavit propositum et vitae genus. Quod superest, tam instructus ac plenus sanctis disciplinis fuit, quam qui maxime: abhorruit tamen semper ab illarum professione, ut ne implicaretur theologorum litibus, quas nimis facile ab illis susceptas invidiose agi conquerens oderat et exsecrabatur. Academica studia multum etiam adiuvit frater natu maior Andreas Samuel **), Gymnasii Rotenburgensis ad Tubarim Rector, quem habebat in numero praeceptorum, faciebatque plurimi, ob eruditionis copiam et elegantiam scribendi, adeo quidem, ut affir-

†) Pag. 120.

*) Cf. supra pag. 49. sq. FR.

**) Virum hunc, magno fratre dignissimum, si familiarius noscere volueris, vide eius *exercitatt. scholast. var. argument.* (Noriberg. 1780. 8.) et ad eum libr. praefat. Harles. FR.

maret, se ab eo superatum esse futurum, si eius rationes ei permisissent, ad scribendum se dare. His initiis respondit reliquus vitae cursus. Cogita munerum varietatem ac multitudinem; bibliothecas; societates tot, cum publicas tum privatas, sicut historicam illam Lipsiensem, quarum vel sodalis fuit, vel director, vel praeses; fratres, filium, generum, medicos; tot amicos tam excellentis doctrinae, et in litteris omnium generum veteratores. Nonne haec omnia videntur destinata ita ac copulata a rectrice mundi, natura illa incomprehensibili, ut tanquam experiretur, aut potius, ut ostenderet, quid posset efficere *), et quantae scientiae capax sit mortalitas? Et tamen sunt homines *μεμψίμοιροι*, quos non suae tantum poenitet fortunae, sed alienae quoque; †) qui reprehendant Gesnerum, quod fuit Polyhistor, nec fuerit, ut ipse vocabat artis unius possessores, *glebae adscriptus* **); et qui possint optare, ut nihil

*) Corn. Nep. VII, 1, 1. FR.

†) Pag. 121.

**) Docti huiuscemodi audiebant etiam *servi glebae*,

scivisset, nihil coluisset, nihil docuisset denique, praeter linguam Latinam; utque lexica, sed Latina tantum, tanquam Sisyphi saxum, nunquam desiisset volvere. Sed quoniam boni viri sunt; quodque illos, quid dicant, nescire apparet; det illis veniam hic nostra censura. Illud tamen scire utique cupiam, quid dicturi essent, si ego, aut alius quicunque, publice aliquando optaremus, ut sacrorum antistites nihil ederent praeter panem, et praeter aquam nihil biberent. Et finitura tamen erant optata nostra, si illis responderetur, omnes horum virorum de sustentandis familiis querelas. Sed valeant hi Providentiae reprehensores. Nos vero venerabimur illam, quod tot discendi opportunitates Gesnero procuravit destinavitque. His, quas modo enumeravi, addi debet matrimonii illius faustitas. Hoc quantum sibi ad litterarum culturam profuerit, exposuit ipse in Caritatis suae memoria. Sed desidero ibi virtutem matronae prorsus

et *adscripticii*, quorum conditionem, praeter iuris interpretes, docent quoque alii, v. c. Tit. Popma *de operis servorum* pag. 153. [ed. Amstelod. a. 1772.], du Fresne cum amplificatoribus Glossarii, loco non uno, etc.

unicae, quam tamen laudaverat in Ayreria *). Nempe ut amat vera virtus latere potius, quam conspici: ita etiam illius cura, †) quae pro commodis et quiete mariti primo loco excubabat, hoc ei bonum, clam illum, fecit, ut quoad ferret facultas, quae turbatura illius animum viderentur, quam longissime averteret omnia. Documentum si unum dedero, plura non requires. Aliquis Gesnero maxime necessarius longe lateque peregrinans diu nihil dederat litterarum. Quod silentium magna cura illius incenderat animum. Accidit inter haec, ut Senatus Regius, qui terras Hannoveranas regit, Gesnerum ad lustrandum quoddam paedagogium mitteret, in quo itinere comitem habebat suam Caritatem. Hic tu vidisses, quam pulchre illa curarit, ne viri illius, quem necessario amabat coniux, ulla iniiceretur mentio. Non solum hospites statim obsecravit, ut se hoc obligarent beneficio; sed etiam, quoties salutationes indicerentur aliorum, aut Gesnerus ad illos esset visurus,

*) Memoria eius legitur in Biogr. Acad. Gott. Vol. II. pag. 83—102. FR.

†) Pag. 122.

ut monendo praeformarentur cum salutandi, tum salutaturi, providit summa sedulitate. Si hoc illa fecit foris, quid demum domi suae fecisse putas? Talis coniux, quae te tanto amet opere, et de nulla re quae tam laboret, quam ut tibi et Musis tuis bene sit, ut mox tibi detur, mi Eyringi, serio opto. Eadem tamen Dei providentia, quae Gesnero ad intima litterarum tot patefecit aditus, ad caeteras summas utilitates unam peregrinandi opportunitatem, cui inhiavit ardentissime, adiungere noluit. Ut appareret scilicet hinc quoque, se dominam esse rerum humanarum, nec posse hominem quidquam accipere, †) nisi datum ei fuerit divinitus. Aliquoties attemperate obtulit se occasio, quasi decidisset de coelo, erantque nobiles viri, filiis suis, terras peragraturis remotas, pacti iam Gesneri comitatum: sed in ipso articulo oppressit eum morbus; sicque tempus huic occasioni sese subterduxit, et sufficiendus fuit alius. Verum fac denique, fuisse omnia haec parata ingenio Gesneriano: an tu putas construi potuisse et coacervari sapientiae thesauros tantos, si

†) Pag. 123.

defuisset ei dispensatrix bona, quae accepta reponit in loculis suis, usui sic reposita servat, depromitque illinc suo tempore, et quoties opus est? Nonne est talis velut condi promi vice animae nostrae memoria? Sine hac frustra discitur, et laboratur in cassum. Quemadmodum diligentissimus paterfamilias non augebit opes, nisi domi parcat et custodiat parta materfamilias. Igitur quanto firmior, quanto tenacior memoria ingenium praestans comitatur; tanto possunt progressiones ad summam doctrinam fieri maiores. Et fuit natura, quae in distribuendis dotibus reliquis tam larga fuit in Gesnerum, neque hic maligna. Excellebat igitur etiam memoria. Fides illius accusari quodammodo posse videatur. Rem servabat; sed verborum erat negligentior. Igitur si mandatum ei fuisset sacerdotium, non hoc ab illa habiturus fuerat, quod Spenerus et alii facere poterant, ut verbotenus quae in scripto essent, dicerent memoriter. Qua de caussa in declamationibus etiam Ienensibus illis, quas dixi, sic se instituit, †) ut rem bene praevisam ac medita-

†) Pag. 124.

tam, verba, inter dicendum demum nata, haud invita sequerentur. Si qua ad verbum custodita vellet, operosius memoriae erant committenda; et tamen, nisi versiculi essent, vix haerebant. De reliquis sententiam reddebat, non verba. Sed nimirum excusatio parata est bonae memoriae iustissima. Videlicet noverat illa, verbis domino suo non valde opus esse, et solere illum pulchrius plerumque suis verbis res ostendere, quam aliorum. Interim tamen haec sive negligentia, sive morositas, sive prudentia, saepe caussa fuit querelarum. Nam memini dominum cum sua dispensatrice ea de re non raro conqueri. Finita aliquando disputatione, in qua defensorem suo texerat praesidio, publica, inter congratulandum, ut mos est, audit Brendelius, ille multi atque celebrati nominis medicus, agere hodie Gesnerum diem natalem suum. Tum ille infit subito: *Hic vitae natalis erit. Tu Troica dignus Saecula et Euboici transcendere pulveris annos, Nestoreosque situs* *). Haec praesentia animi et memoriae Gesnerum

*) Ex Statii Soteriis pro Rutilio Gallico, fin. [v. 125. sqq.] Silv. I.

tantum non dedit in stuporem. Fatebatur, *Se vix recordari verba honoris caussa tam opportune, tam convenienter, quae tam placerent, facta.* Addebatque: *Esse se hanc facultatem hancque versiculorum sententiarumque copiam beatam, quam haberent Richterus, Brendelius, et pauci alii, venalis si esset, magna vi pecuniae redemturum.* Praedicabat deinde Scholarum †) Portensis Grimensisque, ubi uterque has opes paravisset, disciplinam. Etiam hoc addebat: *Scire se, verba esse, praetereaque nihil: sed homini, qui septuagenariam attigerit aetatem, supra quam enarrari possit, dulce esse, si illi optes, ut nunc demum vivere incipiat.* Videlicet sensit is vim naturae, qua efficit benigna mater, ut senes, nisi si infelices sint, vitae sint amantissimi. Hinc non libenter senectutis admonentur; et si omnino admonendi sunt, vegetam, crudam, ac viridem malunt, quam alteram istam. Haec omnia in se quoque agnoscebat. Non erat ille quidem ea infirmitate animi, quam de Henrico Valesio refert

†) Pag. 125.

Hadrianus frater *), qui, annos iam septuaginta habens, Gronovii filii epistolam abiecit tanquam iuvenilem et inepte scriptam, quod longam et felicem senectutem ei precatus erat, et vix post aliquod intervallum, velut emerso ab indignatione animo, sui compos redditus, computatis annis, iuveni ignovit, ante cuius litteras de senectute sua nunquam cogitaverat: sed se tamen intelligere dicebat, verum esse Tullii illud **): *Nemo est tam senex, qui se annum non putet posse vivere.* Quod observaverat in aliis, deprehendit in se quoque: Vitam, iam occidentem, esse iucundissimam; et quemadmodum illae ambulationes plurimum habeant suavitatis, quae fiant solis sub occasum; ita paucis ante vitae obitum annis vivi placidissime. Attamen ab lege †) hac communi excipiebat unum Io. Georgium Wachterum, quem Gesnerus in bibliotheca Senatus Lipsiensis, a quo conductus erat, ut ratis ordinibus describeret nummos, post spatium satis longum revisens, eadem ei

*) in vita, fin.
**) de senect. 7.
†) Pag. 126.

precatus, quae Valesio Gronovius, plane offendit, ita ut is iracunde cum Gesnero expostularet iniuriam, negaretque, se cum hominibus tam pravis vivere velle diutius. Nec potuit commotus eius animus sedari, nisi voto placidae ac maturae mortis. Putabat naturae viri vim allatam esse per theologorum invidiam et odia, quibus iuvenis probe erat exercitatus. Ipsius senectus virebat integris sensibus sine incommodis, nec poterat praesentia eius animadverti. Ipse tamen senescere se, his duobus sibi confirmari asseverebat: primo quidem ira, quae magis in promtu esset, quam alias, atque habenas rectoris minus audiret; qualis imbecillitas teneris aetatibus et sexui sequiori propria est. Hinc eius inter effervescentiam, eamque confutandi nisum, metuebat sibi ab ictu sanguinis, quem Graeci vocant ἀπόπληξιν *). Deinde trahebat argu-

*) Videntur animi perturbationes caussa fuisse potissima, cur vitam septuagenariam *morbum* dicere soleret satis *diuturnum*; quam sententiam etiam a morituro repetitam esse docuit me scriptiuncula Richardi nostri, (*Memoria I. M. Gesneri pie culta a Seminarii philol. artium Sodalibus.* Gotting. 1761. 4.) cuius praestantissimi iuvenis, omnia magna minantis, festinatam mortem nondum eluxi.

mentum ex fractis aliquantum viribus memoriae, quam interim exercitatione firmare nunquam intermittebat. Et licet †) multos illa anteiret iuvenes; hoc tamen in indiciis senectutis habebat decrepitae, quod, quae nuper legisset, audivisset, fecisset, gesta esse iam diu viderentur: contra, quae iuvenis, nuper admodum. Comparabat eam vasculo, quod, quae primum accipit, continet; quae novissimo tempore, cum iam impletum est, infunduntur, statim effluere patitur. Proinde neque illi fidebat ita ut ante. Hinc inter docendum saepe videbamus eum annulum suum invertentem, qua nota cavebat, ne, quod venisset sibi nunc in mentem, oblivisceretur, sed proxima hora perageret. In collegio doctrinarum, quod dirigebat, proponenda, ordinanda, monenda, annotabat. Quod facere etiam solebat in scholis certis: verum non ambitiose et multis verbis; sed unico. Ipse indicia haec cum Anglis nuncupabat *Hints.* Ingenium vero semper habuit in numerato. Quod neque desiit sales et iocos progenerare, qui eius sunt tanquam naturales et ingenui

†) Pag. 127.

liberi. Hi vero erant venusti, humani, modesti, sobrii, opportuni. Valuit etiam semper acumine in respondendo, a quo neque destituebatur apud principes viros. Sicut cum Lipsiae Manteufelius, Comes, vocasset aliquando multos doctos ad coenam, et in his Gesnerum, ubi processerat hilaritas, infit Celsissimus Comes: „*Docti habendi sunt ut canes venatici, qui, nisi parce alantur, nolunt venari. Sic docti, si scribere debent et proferre ingenium, salario sustentandi sunt tenui.* Reliquos vel offenderat comparatio; vel praesentia †) animi non utebantur; igitur nemo contradixit, et fuit silentium. Sed Gesnerus, ut paratus erat ingenio, et valde ἀγχίνους, haud cunctatus sic respondit: *Longe falleris, Domine. Habendi sunt ut feles, quae, nisi illis bene sit domi, non capiunt mures. Contra si curentur nitidiuscule, captant illos animi causa.* Quo dicto et placuit hospiti, et gratiam iniit a convivis. Sed quamdiu Principes canum sunt, quam felium, studiosiores, conditio nostra vix mutabitur in melius. Hoc igitur ingenium, morum illa

†) Pag. 128.

urbanitas; omnisque vitae lepos, et summa hilaritas, efficere potuerunt facile, ut esset non Principibus modo ac summis viris, sed hostibus adeo carus. Quod belli tempore apparuit; ubi in legationibus fungendis, excipiendis ducibus, et curandis aliis, quae bellum fert, eius insignis fuit opera, et ab ipsis hostibus tanti aestimata, ut, cum eum invidia aliquando removisset, essentque succenturiati alii, Galli ultro eum poscerent cum eius amico Ayrerio illo, cuius elegantem morum gravitatem, suavitatem aulicam, pronunciationem Gallicae linguae nativam, et alias dotes hostes non minus, quam ipse Gesnerus amabant et mirabantur. Iubeat eum Deus vestrum esse quam diutissime, cumulatumque iis, quibus censetur humana felicitas, omnibus. Sed nobis iste honos, qui Gesnero a Marte habitus est, nimis magni constitit. Forte illo adhuc frueremur, si contigisset senectuti eius pax perpetua. Et haberemus nunc ab eo non editionem †) modo Virgilii, ad instar Horatianae, quam promiserat Fritschio, absolutis Orphicis, quamque meditabatur iam

†) Pag. 129.

cum delectu scholiorum antiquorum, qualis est in Flacco Baxterianus: sed forsitan legere etiam pro hac epistola posses *I. M. Gesneri commentarium de rebus ad eum pertinentibus* *). Ad hunc enim scribendum haud videbatur non proclivis. Dicebat interdum: *Se quinquaginta annis non tantum spectatorem fuisse theatri illius magni, ubi docti partes agant; verum in eodem quoque versatum; et fore vitam suam quasi historiae litterariae saeculi huius compendium.* Quale fere vita est Huetiana, quam apprime adamabat. Sed haec spes decollavit. Operibus edendis postumis non reliquit iustam materiam. Ad rem enim serio agendam non prius accingebatur, quam iuberent bibliopolae. Et quae sibi scripsit, vix prodesse possunt aliis, quia, ut scis, indicia sunt brevissima rerum verbis explicandarum pluribus. Ex epistolis quamplurimis edi volebat illas, quae haberent aliquid eruditionis, et ad litteras pertinerent, non integras illas, sed modo eo, quem magnus Reimarus observavit in Fabricii magni

*) Qualem de se scripserat Huetius, cuius mox mentio fit. Vid. supra pag. 215. FR.

vita; quae ratio apud eum valde fuit gratiosa. Integras tamen edi velim paucas, quas meditate honoris ergo scripsit, ex quarum numero sunt, quas indulsit Felseckerianae Syllogae *), ad Quirinum. Talis exstat inter ineditas ad Mich. Richeium, Hamburgensem philologum. Nempe coluerant et amaverant alter alterum iam diu, sed sine litteris. Tandem †) victus Richeius, nec se continens diutius, scripsit ad Gesnerum, paucis ante discessum hac ex vita annis, humanissime et elegantissime. Delectatus Gesnerus, utpote φιλόκαλος natura, et calligraphia senis amabilissimi, in qua erat mirificus; et excitatus argumenti suavitate; cum Richeius prior fuisset tempore, ne ferret etiam amoris et venustatis victoriam, operam dedit. Illis litteris Gratiae velut quintam sui partem indiderunt **). Tales igitur publice

*) Norimberg. 1760. 8. Huius Syllog. Vol. II. comprehenduntur Gesneri et Ang. Mar. Quirini Cardinal. Emmeram. epistolae mutuae. FR.

†) Pag. 130.

**) Quinctilian. X, 1, 82. de Xenophontis iucunditate inaffectata: *ipsae sermonem finxisse Gratiae videntur.* — Caeterum cf. Horat. Carm. I, 13, 15. *oscula, quae Venus Quinta parte sui nectaris imbuit.* FR.

legi integras maxime velim. Hoc genus epistolas, et quibus doctrinae, criticae inprimis artis, particulam ad amicos ferendam credidisset, transscribendas per neptem, vel per discipulos curabat plerumque. Caeteras vero, nisi magni momenti res continerent, plane sua exire potestate sinebat. Neque reliquit, quae auctorum novis antiquorum editionibus inservire magnopere queant, nisi emendationes aut coniecturas parce inter legendum margini allitas. Intercidisse tamen dolebat, quo casu, nescio, fasciculum observationum suarum atque amici sui Theophili Siegfridi Bayeri, et, nisi fallit me animus, aliorum quoque, in Antiphontis, et oratorum reliquorum orationes, quem miserat ad Hauptmannum, Illustris Ruthenei, quod Gerae floret, Directorem, praeceptorem meum plurimum venerandum. His temporis et operae aliquid dederat, cum describeret in usum amici. Nam sibi ipsi sufficiebant plerumque notae criticae. Velut indicare cum vellet, locum in mendo cubare videri, aut circumspiciendam †) esse interpretationem, interrogandi signum ad la-

†) Pag. 131.

tus ponebat. *De vita Romanorum privata, et de Diis παρέδροις* libelli duo, quin omnes numeros haberent, prorsus nihil abfuit, nisi artificis manus ultima, quae silvam observationum, dispositam iam, exasciaret. Horum alterum abiecit, cum Commentarii Academici inscriptionum litterarumque elegantiorum Parisienses similem exhibuissent. Alterum vero dum coercet alitque domi, ut tenue corpusculum tanto plus succi et sanguinis in publicum afferret, paulloque prodiret habitius, antevertit Geo. Arnaudi *de Diis adsessoribus et coniunctis commentarius* *). In quo cum sua maximam partem inveniret occupata, etiam hic foetus est nutriri curarique desitus. Mente agitabat tabulam marmoream fratrum Arvalium **), secundis curis illustratam, sodalitio doctrinarum offerre ante, quam proficisceretur e vita. Sed et haec res stetit intra consilium. Quam pronus fuerit Gesnerus ad errores suos vel agnoscendos, vel emendandos, editiones librorum antiquorum, ab eo procuratae, quae omnes errorum defectuumque in-

*) Hagae Comitum a. 1732. 4. FR.

**) Vid. SS. rei rust. pag. 127. sqq.

dices habent *), testes sunt pergraves. Quod hic fecit, fecit quoque in auditorio, et fecit ubique. Neque hoc solum. Quibus eum nosse contigit penitius, sciunt ii, illum grato animo ab aliis quoque aberrationum suarum significationem accepisse: †) et nihil fuci aut ostentationis habere Luciano **) praefixam professionem. Dicere solebat: *Qui sibi errorem aliquem suum indicaret, perinde de se mereri, ac si maculam e facie tolleret, abstergeretve sordes.* Et vero omnino fuisse illi in usu, sic suos habere animadversores, res ipsa loquitur. In Plinii Secundi editione, pro annotationis brevitate non pauca monuerat V. Ernesti; nec raro aliter senserat Cl. Arnzenius. Quos, quam humaniter, quam amice, acceperit, illa suum ad Ernestum epistola testatur. Quin discipulorum adeo correctiones magna cum benevolentia admittebat, eoque magis, quoniam et ipse iuvenis oculis usus lynceis praeceptores, et magnum in his Bud-

*) Hac de consuetudine Gesneri, vide ipsum ad Horatii eclogas pag. 637.

†) Pag. 132.

**) Prolegom. pag. XXX.

deum offendere interdum perspexerat non tantum, sed modeste quoque docuerat rectiora. Vix novi criticum, qui tam aequus fuerit monitoribus, adeo qui non fuerit fastu et supercilio tumidus; et qui, si quando eum fugisset ratio, tam candide atque simpliciter hoc ipsum sit professus. Magna quidem et haec virtus est, in illis, a quibus habemus undique expletam formam critices, in Casaubono, in Graevio, et, cui Gesnerus esse volebat quam simillimus, in Gronovio patre; sed nullus tamen hanc Gesneri laudem aequavit. Ingenuitatem hanc magni animi signum esse, Romanorum medicus his docet verbis *): *A suturis se deceptum esse, Hippocrates memoriae prodidit; more* †) *scilicet magnorum virorum, et fiduciam magnarum rerum habentium. Nam levia ingenia, quia nihil habent, nihil sibi detrahunt. Magno ingenio, multaque nihilo minus habituro, convenit etiam simplex veri erroris confessio; praecipueque in eo ministerio, quod utilitatis caussa posteris tra-*

*) Celsus de medic. VIII, 4. [pag. 493. ed. Targ.]
†) Pag. 133.

ditur, ne qui decipiantur eadem ratione, qua quis ante deceptus est. Si haec vera sunt, sicut sunt, profecto quantus fuerit Gesnerus, existimatu difficile potest esse nemini. Quid? quod ipse sui castigator fuit severus. *Non multa scripsi,* ipsum audis, *sed vix relego scriptorum meorum pagellam, quin multa se mihi offerant, quae velim aliter dicta. Interdum etiam deprehendo erubescenda.* Eadem magnanimitas ex eo quoque perluxit maxime, quod, quae nesciret, non apud auditores solum et interrogatores, verum apud lectores *) etiam confessus est ingenue. Igitur eundem candorem requirebat quoque ab aliis; et sicubi desideraret, indignabatur. Itaque diffidebat etiam Graecis Scholiastis, quod omnia scirent, nihil ignorarent, hoc est, ut ipse interpretabatur, pleraque fingerent. Puerorum vero magistrum quendam, quem ipse inauguraverat; quod cocum arthriticum Paeti **), cum diu magno fluctuasset aestu, tandem, desperata re, poti-

*) e. c. ad Quinctil. XI, 1, 81. Claudian. XVIII, 264. etc.

**) Cic. Epist. IX, 23.

us ita tractare voluisset, quasi hoc illius proprium esset nomen, quam, ut sibi vera significatio subiiceretur, petere, aut modeste †) fateri ignorantiam, merito ridebat. Dabat enim hoc, doctorem etiam non inexercitatum fugere interdum posse aliquod vocabulum. Itaque in scholis, quibus ipse praefuerat, ut utriusque linguae lexica bona semper possent, si quando opus esset, consuli, sedulo providerat. Denique quoniam vestitus quoque ingenia hominum prodere solet, etiam hic modestiam Gesneri et flexibilitatem indicavit. Quid multis moror? Dignus erat philosopho. Vestiebatur enim ita, neutram in partem conspici ut posset. Quod ad formas, neque erat novarum cupidus; neque antiquarum pertinax. Has nolebat postremus relinquere; illas non primus imitari; et aliquamdiu esse volebat medius. Igitur magistris harum elegantiarum praecipiebat, sub initium mutationis, se velle bifronti Iano similem videri; respicere hinc ad tempus, quod defluxisset, hinc ad exoriturum.

†) Pag. 134.

Haec de ingenio, doctrina, et muneribus Gesneri. Describenda restat denique animi Gesneriani potissima pars et pulcherrima, Religio. Hanc vellem pingeret tibi Eusebie coloribus suis, penicillo Ernesti aut ipsius Gesneri. Mihi quidem non exprimere illam, sed adumbrare modo licet. Scis, Eyringi, animo meo carissime, non amare Deum, qui non amet homines. Religio igitur vera altero oculo nunquam Deum non respicit, et altero, quibuscum vivit, sodales. Erga hos si tantum eum religiosum dicam, †) minus, quam debeam, praedicem; fuit enim religiosissimus. In amore erga illos quidem, quos putaret amabiles, eo nihil fuit ardentius, nihil constantius. Sicubi deprehendisset virtutem aut scientiam rerum honestarum, ad hunc amandum naturali impetu non tam trahebatur, quam rapiebatur. Et ex hoc amore primo facile coalescebant animi in amicitiam. Ad has iungendas gerendasque formatus erat a natura. Hae, quantum in illo fuit, erant immortales. Iucundissimae tamen illae erant, quas litterarum similitudo coniugavisset. Igi-

†) Pag. 135.

tur hos, a quibus, vel quibuscum, litteras accepisset docuissetve, et eos, qui aliquem eruditionis suae colorem ex se altius traxissent, amabat flagrantissime *). Sic ex fratribus †) natu maiorem, quod domi et in Academia studiorum suorum cum rectorem habuerat, complectebatur eximia caritate. Erant

*) Hic amor cum aetate auctus aequaverat illum quem in matribus observamus, ubi prae gaudio cum lacrimulis prorumpere solet. Nimirum senectus virorum quoque animos mollit paullatim ad hanc teneritudinem, quam iuvenes fere ignorant. Ipse Gesnerus de se commemorabat: cum in adolescentia aliquando templum adiisset Onoldiae, antequam sacra procurari coepta essent, se offendisse ibi sedentem senem bene notum, qui lacrimis os totum sibi oppleseet. Ob notitiam se eo magis misericordia tactum, caussam esse percontatum, hancque a bono sene accepisse: *Ah! Hodie concionem habebit cognatus meus (mein Herr Vetter) nuper ab litterarum Universitate redux.* Tunc quidem hoc responsum mirabile visum esse, nec se mente concipere potuisse, quomodo quis fleret, cum deberet potius gaudere. Sed nunc, quales illae fuerint lacrimae, sibi esse cognitum. Quotiens enim mentio fieret honorifica discipulorum quos amaret, aut laeti de eis afferrentur nuncii, totiens in procinctu esse lacrimas, et se semper cum illo sene suo cogitare, *Hic est cognatus tuus, das ist dein Herr Vetter.*

†) Pag. 136.

tamen amicitiae eius non scholasticae omnes. Consecutus etiam est non paucas virorum Illustrissimorum et ordinis amplissimi, quas coire facile dicebat, si altior se demittat paullulum, et inferior aliquantulum se erigat attollatque, sumendo superbiam quaesitam meritis. Arctissimae tamen et hae fuerunt, quarum copula essent litterae. Sic nata et servata est Hardenbergiana illa. Vir hic Illustrissimus invitaverat eum in praedium suum, cuius descriptionem ex parte dedicatio habet Horatiana. Cum mox captus esset eius dulcedine, diligenter, ut altissima in eo erat eruditio et mira, excussit Gesneri intelligentiam historiae omnis et litterarum, per aliquot horas. Quod alio tempore iterum fecit, et ita quidem, ut Gesnerus ipse alicubi *) hoc reliquerit testatum: *Quo ego, qui toties explorandum praebere me debui, acriorem quaesitorem nunquam expertus sum.* Cum vero subiisset hoc ab eo examen, explorator scientiae Gesnerianae Generosissimus ex-

*) In epistola I. F. Gruneri, amici olim nostri, *Disputationi, quae Herodotum ab interpretibus non satis caute tractatum commentatur*, subiuncta.

osculatus ingenium illud, et illam doctrinae †) vastitatem, dextra sanxit fidem amicitiae, quam conservarunt litteris sine titulorum verborumque, vani honoris ergo fictorum, syrmate scriptis familiariter. Quod superest, quanta fuerit de Gesnero Hardenbergii opinio, hinc potes iudicare, quod is, cum missa sibi esset *Isagoge in eruditionem universalem*, auctori rescripsit: *Velle se, ut ei illam interpretanti operam dare posset;* qui tamen explanationibus haud multum indiguit: nam nascebantur haec domi suae, ubi in his studiis libentissime conquiescebat. Quemadmodum vero hic Regis amicus Gesnerum nostrum honoravit familiaritate: ita alter eorum, ad quos ablegatus ab eo Claudianus commeavit; Illustrissimus Behrius, eum subinde honoravit litteris Latine non elegantissime modo, sed peramenter quoque scriptis: utpote quae eum inter alia blandimenta vocarent suum praeceptorem. Hic enim in toga heros, cum a Georgia Augusta recens nata acciperet altissimam illam exquisitamque iuris scientiam, cum Musis quoque et cum doctri-

†) Pag. 137.

na Gesneri habebat commercium. Neque vero fuit Gesnerus in amicitiis desultorius, sed, nisi si caussae eum impedirent gravissimae, amavit perpetuo. Si qua offensiuncula facta esset animorum, errore quocunque, ipse plerumque prior amicum ad amicitiam consuetudinemque reduxit. Quod facere neque dubitavit plenus annis, plenus honoribus, in amicis quantumvis iuvenibus. Memini adeo, cum aliquando in discipulo, quem insigni complectebatur amore, †) tristitiam praeter consuetudinem diuturniorem, ex caussa quaecunque contractam, animadvertisset, putaretque illum forte afflictum debilitatumque esse opera molestiore, quam imponi sibi ab praeceptore passus erat, eum propterea angi, istum blandissime alloqui, et, si sua culpa foret, satisfactionem adeo parare. Neque ob sententiarum diversitatem dissociabat amicitias; sed inducias paciscebatur, aut temporarias, aut sempiternas; veluti cum Heumanno, cuius neque crisin, neque epigrammata Latina sine exceptione poterat probare. Itaque harum rerum mentio plane

†) Pag. 138.

intermissa est. Fuit vero etiam copula amicorum communium; et aut effecit, ut nullae omnino intercederent inimicitiae; aut, si cavere hoc non potuisset, ut reconciliarentur in gratiam, obnixe omnia fecit. Cum cognoscerem tum ex litteris, tum ex amico, quid egisset sarcinulas colligens et proficiscens ex vita; veniebant in mentem, quae de Domino nostro legimus relata *): Ἀγαπήσας τοὺς ἰδίους τοὺς ἐν τῷ κόσμῳ, εἰς τέλος ἠγάπησεν αὐτούς. Nam non modo coniugis suae sororem, ut ipsa scribebat, *testamento legavit filiae*, sed et per illud triduum, quod ad vivendum sibi dari sciret, inter caetera, patronis commendavit quosdam caros sibi discipulos, in quibus te quoque, suavissime Eyringi, fuisti. Hic vero cum amico litteras dedisset commendatitias signandas, identidem festinare iussit; *nam tempus instare ad discedendum.*

†) HAVE GESNERE HAVE SANCTA ANIMA HAVE PATER PIISSIME! Ego

*) Io. XIII, 1.

†) Pag. 139.

quidem pro beneficiis, quae tot ac talia a TE habeo, praeter gratias immortales animumque memorem nihil referre queo. Sed iustitiam DEI immortalis, quam sancte, quoad hic fuisti, veneratus es, supplex orare et obtestari nunquam desinam, ut TIBI ea suis rependat muneribus in beata illa habitatione, quae TIBI facta est; atque iubeat ex posteris TUIS nunquam esse, qui beneficiis indigeat; nunquam vero deesse, qui beneficia apud alios ponere queat. Nunc quaeso da hanc veniam, ut liceat mihi, pace TUA, absolvere haec, quae de TE scribere inchoavi, et tradere hoc, quidquid est, amico nostro Eyringio. Quae tali occasione aliquando ad me dicebas, hic locum habent vel maxime: *Scio quid faciam; semina spargo profutura posteritati.* HAVE GESNERE HAVE SANCTA ANIMA HAVE PATER PIISSIME!

Sed dicat aliquis: Crimen effugit, non promeretur laudem, qui respondet amore mutuo. Si Gesnerus in doctores pius fuit; a condiscipulatu ad ultima vitae si firmissime duraverunt amicitiae; si discipuli, si ii gradum, si caritatem filiorum apud eum habue-

runt, quorum animis insederant praecepta illius, et qui ab eo habuerunt ornamenta; quid fecit eximii? Nam in hoc quidem naturae omnes paremus, ut diligamus, †) qui nos diligant; et ut ne beneficia nostra perdere velimus, sed tueri. Fecerit igitur haec in parte natura duce: sed fecit, quae sequuntur, doctrina, Christiana potissimum. Dilexit enim; vere dilexit, inimicos, usque eo, ut eos saepe utiles, amabiles, ferret, eo ipso tempore, cum expertus istos esset. Nam dicebat: *Quae amici mei vel amore coecutientes in me non observant; vel quae consuetudo illis reddidit tolerabilia; vel quae indicare mihi dubitant, aut reformidant; ad ea perscrutanda omnia vigilant acuti inimicorum oculi; et ad ista proferenda ac patefacienda armati sunt audacia, et impellit eos nocendi, pungendi certe, cupiditas. Hinc fit haud raro, ut peccatum aliquod meum, quod, quia in tergo meo erat, non ante oculos, latebat, tanquam animi ulcusculum laedendo sanent, idque sine mercede. Saepe mihi praestiterunt, quod hostis Iasoni*

†) Pag. 140.

Pheraeo *). Habuit autem inimicos non paucos, et in his quosdam satis vehementes. Quod non mirum haberi debet; sine his enim non fuisset vir tam bonus. Fuerunt enim fere qui ei inviderent **). Quidam etiam falsam opinionem de eo acceperant. Nosti, dulcissime Eyringi, qui bibliothecarii munus Goettingae sustinet, eum, quoties vehicularius cursus occasionem offerat, aliquot plagulas catalogorum, si nova accessio facta sit, continuandorum, ad Maecenatem ex officio mittere. Ex quo quibusdam insederat suspicio, tales fasciculos continere †) debere alia omnia, quae nominare haud opus est. Ipse, haec *arcana* quaenam essent, an nescirem? aliquoties sum interrogatus. Et licet haec

*) [Valer. Max. I, 8. extern. 6. „Divinae fortunae vulnus Pheraeo Iasoni quidam exitii eius cupidus intulit. Nam quum inter insidias gladio eum percussisset, vomicam, quae a nullo medicorum sanari potuerat, ita rupit, ut hominem pestifero malo liberaret.“ FR.] Plin. *H. N.* VII, 50. 51. et ib. Gesn. [pag. 240. sq.]

**) Verissime enim Hieronymus epitaph. Paulae Tom. I. pag. 114. G. ed. Francofurt. Lips. „Semper quidem virtutes sequitur invidia, feriuntque summos fulgura montes.“ FR.

†) Pag. 141.

arcana librorum titulos esse affirmarem, quos quinque annis descripsi; suspicionem tamen, quam habebant, nullo dimovere modo potui. Inprimis scribas certos habuit iniquiores, quos morderet, quod largiter apud dominos suos amicitia posset et dignitate. Sed hoc genus, ut merebantur, suaviter deridendo susque deque habuit, eorumque inimicitiae ludus fuerunt iocusque. Fraudi illi fuit quoque proditio, nescio per quos facta. Accidit interdum, ut religione boni viri obstrictus a patronis; scis enim, habuisse eum multos patronos, multis in locis, qui eum hac religione obstringere potuerint; ab his igitur obstrictus, fecit, quod iussus erat; sententiam, ut erat valde εὐθυῤῥήμων, libere dixit et bona fide. Post aliquanto nonnunquam suas litteras, in quibus dixerat sententiam, in manibus vidit eorum ipsorum, ad quos res pertineret. His sive casus, sive perfidia, haec plus quam Punica *), familiarium sine dubio, tales litteras dominis insidiose primum avertentium, deinde vero his, quibus minime oportebat, tradentium, invidia, oneravit virum sanctis-

*) Cf. Cort. ad Sallust. Iug. 108, 3. FR.

simum innocentissimumque. Haec de obtrectatoribus et inimicitiis. Alii adversati ei quoque sunt scriptis. Iustas vituperationes, moderato positas, gratus accepit pro beneficio. Iniustas, iniquas, inhumanas ferre potius patienter maluit, quam ulcisci. †) Nam lites vitavit angue peius et cane *), quodque iis caruerit, Deo saepe egit gratias. Quae eius ratio fuerit, quomodo induxerit animum, si scire vis, veni in rem praesentem, et cognosce, qui in epistola ad Reitsium, Virum Clarissimum **), secum litigaturis sententiam et voluntatem declararit suam: et si noris, qui hac parte humanius, sanctius, laudabilius, admirabilius, Christiano denique homine dignius se gesserit, illum mihi, amabo te, indica: nam talis cognoscendi valde sim cupidus. Popewitschianam inhumanitatem quomodo exceperit, legisti ***). Sed scito, Gesnerum plus etiam fecisse. Nam non ob-

†) Pag. 142.

*) Horat. Epist. I, 17, 30. 31. FR.

**) Pag. XXX. Proleg. Lucian.

***) Vid. supra pag. 67. sq. et Memor. Gesn. a Michael. scriptam pag. (ed. Hal.) 262. sq. FR.

tulit ei modo quidquid praesidii esset librarii Goettingae, verum promisit ei victum quoque liberalem cum stipendio, donec, quae in *thesauro* suo desideraret, fuisset expleturus. Sed invitatus sic venire recusavit: sive quia nusquam diu uno in loco poterat manere *): sive, quod similius veri est, quia, quae vituperaverat, praestare ipse desperabat. Contra calumniatores vero, et eos, qui falsum crimen, quasi venenatum telum, iaciant, alia utendum via putabat. Hic illud, quod moderamen tutelae inculpatae **) vocant, locum habere ei videbatur. Hos enim latrones vocabat, qui nos non vita quidem privent; at, qui bono viro pluris sit, honore. Ita cum Burmannus, aeternum litterarum decus, et summae caetera laudis vir, eum insimulasset malignitatis, ut suam innocentiam protegeret, planum fecit multis exemplis, †) Burmannum

*) Ille enim mobilis admodum et inquietus homo erat. FR.

**) Nos: *die Nothwehr*. Cod. Iustinian. VIII, 4, 1. *Recte possidenti ad defendendam possessionem, quam sine vitio tenebat, inculpatae tutelae moderatione, illatam vim propulsare licet.* FR.

†) Pag. 143.

quoque hominem esse *), qui cum doctrina summa labi non raro et hallucinari posset. Quam demonstrationem misit ad amicos communes, Hemsterhusium inprimis et Ruckerum. Sed hi petiverunt ab eo maxima contestatione, ut ne hoc telum, vibratum iam, iaceret emitteretque: sed ut inhibitum reductumque reconderet in vaginam. Nam cruciari per plures iam menses virum bonum morsu non ferendi doloris acerrimo, ex putredine pedis; et descendisse in se, et agnoscere, se ab affectu, nescio quo, transversum actum esse abreptumque. Horum igitur precibus donavit Gesnerus ultionem paratam, sub ea conditione, ne quid bilis aut amaritudinis in se effunderetur in commentariis eius postumis. Hac mente totum illum apparatum cum litteris amoebaeis reposuit in Lucano Burmanni, qui nunc apud filium est; huiusque rei me quoque testem fecit. Sed non spero, unquam opus fore, telum istud, loco positum, repetitum distringere. Nam non Virgilius tantum

*) Vide nos ad Quinctilian. Institutt. Orat. X, 1, 25. Caeterum de iis, quae h. l. narrantur, cf. supra pag. 66. FR.

Burmannianus ita curatus est, ut se probaverit Gesnero; sed Burmannum quoque Secundum, qui magnis passibus humanitatis via ad gloriam patrui grassatur, Gesnero benevolum laetus deprehendo. Igitur per tuam te fidem obtestor, optime Eyringi, quoniam scio, inter te et divi praeceptoris filium Illustrem, notitiam non nuper admodum esse, ut eum reges etiam atque etiam, ne, donec Batavi manibus parcant Gesneri, quod semper esse facturos confido, illud †) scriptum epistolarum editoribus Gesnerianarum unquam concedat, sed aeternis premat tenebris; ut ne persona pacifica viri, quem pro dignitate laudare nemo satis commode potest, laesa esse post fata queat videri. Huius quoque litis mentionem epistolae ad Cl. Reitzium illatam invenies *). Iulii Pontederae, aut Andreae potius Marani querelas, quibus ibidem **) satisfactum est, mitto. Interim si quem noris, qui oculis suis, quam Gesnero, credere malit, illum ad me mitte, hic suppetias illas Pontederae,

†) Pag. 144.
*) Pag. XXX. Lucian.
**) Pag. XXV. sqq.

et Facciolati Italicas, cum aliis quibusdam huc facientibus, inspiciendi habebit arbitrium. Sic Gottschedii etiam ictus cavit atque depulit, cum illum potuisset referire. Is nimirum irritatus in Gesnerum approbatione libelli, qui suum tanquam acervum grammaticum, paleis granisque mistum, ventilat, illi facit, more suo, convicium. Gesnerus vero per epistolam adit Gottschediam, matronam quam admirabilem in artibus liberalibus, tam ob morum humanitatem amabilem; maritum reum facit maledictionis; denunciatque, nisi mox iste finem faciat, se propediem recensum peccatorum conviciatoris esse acturum; addita simul formula censendi. Ab illo tempore continuit Gottschedius linguam et stilum. Quemadmodum vero Gesnerus existimationi suae consuluit, qua nihil habebat carius: ita non minus fama aliorum illi fuit sacrosancta. Quam ob rem tantum abfuit, ut aut inviderit alienae laudi; †) aut famae et honori alterius insidiatus sit; ut potius iugis eius caritas aliorum peccata texerit ac velarit. Non opus est, ut longe abeam. Est enim in manu mea

†) Pag. 145.

fasciculus, annulo Gesneri obsignatus, quem accepi cum paratu illo rustico, de quo ante dixi, hac cum inscriptione: *Pudenda* (hic leguntur litterae initiales nominis cuiusdam proprii,) *non revelanda, nisi ipse coegerit.* Mihi quidem solvendi sigilli potestas facta est: sed ita me tetigit viri unici in pietate erga alios religio haec, ut decretum sit, fasciculum illum, sicut signatus est, servare quidem, tanquam fidei et amoris pignus, memoriae gratia: at simul ac signum dederit summus Imperator receptui, et ubi primum iussus fuero discedere ab hac vitae statione, ne istis magni viri pudendis, tam pie a Gesnero opertis, unquam metuendus sit alicuius conspectus, curare effectum. Quid plura? Cavit omni ratione in scriptis, quae foras dabat, ne imprudens speciem laesuri indueret. Igitur cum in Memoria Francisci Rothfischeri, operarum negligentia, positum esset *in procurandis bonis liberis*, pro *libris; se errorem hunc aureo redimere velle*, inquiebat, *si posset fieri; ne ordinis monastici castitatem sugillasse videretur.* Quid? quod laudes adeo, si mererentur, inimicis tribuebat libenter. In-

iurias autem voluntaria oblivione conterebat, neque unquam istarum adhibuit memoriam. Certe illas non persecutus est. Inimicos tamen decipiebat interdum; sed modo maxime laudabili; verum dicendo. Isti enim †) putantes, contrarium eius, quod dictum esset, credi debere, sic facete elusi, risui Gesnero fuerunt. De amicis et inimicis vidimus. Sequitur, ut, qui cum his egerit, neutri qui fuerint, videamus. Si noris legem illam Regiam: *Quae tibi non vis fieri, alteri ne feceris: contra quae tibi vis fieri, aliis ultro facies;* noris etiam consuetudinem Gesneri. Namque haec aequitatis et benevolentiae regula vitam eius regebat universam. Plane ita esse, crede huic historiae. Pervolutans quondam librum quendam suum, deprehendit, deesse aliquot folia: facit ei defectus stomachum; *Statim*, inquit, *mittam in ignem, quod iam aliquoties factum est, ne et alii post mortem meam emptores capiantur, quemadmodum ego captus sum. Quod si vero liber rarus et idem bonus est, frontem eius stigmate noto, ut, qualis sit, primus prodat aspe-*

†) Pag. 146.

ctus. Hoc mihi plane erat novum. Ex modis, quibus homines peccant invicem, reliquis, haud scio, an sit damnosissimus iste, qui speciem quidem habet humanitatis, reapse vero est iniuriosissimus. Levitatem dico in promittendo, quae, quidquid rogatur, pollicitatur prolixe cumulateque, rogantes aliquamdiu lactat et falsa spe producit, tandem destituit. Ab hac aulis fere familiari consuetudine abfuit is longissime. Si rogaretur quae fieri non possent; haud multum haesitans praecise negavit. Si quis ab eo petiisset probabilia; promittebat cunctanter et religiose: sed semper praestabat plura, quam esset pollicitus. Quoniam †) epistola haec est quasi tabula, in qua utcunque pingitur anima Gesneri; non dubito, adspergere ei historiam hanc, quae effinget plura illius lineamenta simul. Non enim erit tantum eorum, quae modo dixi, firmamentum: verum docebit quoque, quomodo hic praeceptor cum discipulis, quibus aliquid deferret, egerit. Io. Christophorus Macherus, doctor litterarum et virtutis magister, quo haud novi praestantiorem,

†) Pag. 147

ipsique comparandus Gesnero, qui mihi in patria per sex ipsos annos fuit is, qui per septem Gesnerus Goettingae, praeceptor optimus et alter pater, sed ante diem, eheu! cum vix annos fecisset triginta, ereptus repentino Gerae, ubi eloquentiam et poesin, summa cum laude, et cum omnium bonorum amore summo, professus est, is commendaverat Gesnero aliquot discipulos, deque seminario philologico rogaverat. Huic Gesnerus sic rescripsit:

IO. CHRISTO. MACHERO
Ampl^mo Doct^moque Viro
I. M. Gesnerus S. P. D.

*Humanissimis litteris tuis debebatur responsum accuratius. Sed malo statim, in re tali, reponere quod opus est, quam maius otium exspectando, ac forte frustra, te, et amicum nostrum, * * * * suspensum et incertum, tenere. Ac blanditiis illis suavissimis epistolae, unum illud, verissimum quidem, respondeo, minime me poenitere* †) *qualiscunque diligentiae nostris in litteris colloca-*

†) Pag. 148.

tae, si tibi ea placere, si aliquid ad te talem formandum conferre, quantulumcunque id sit, potuerit.

De Seminario philologico breviter habe. Patet illud peregrinorum etiam industriae: sed eam habet legem, ut commendare Consilio Regio non possim, nisi ante, non alieno testimonio, sed meo iudicio probatum. Quoties talem vel in civibus nostris, vel peregrinorum de numero invenio, quem magna cum fiducia commendare possim; tum vero gemmam reperisse mihi videor, et serio triumpho. Qui deinde ita se gerunt, cum nacti sunt beneficium stipendii: (institutio enim, gratuita etiam, patet omnibus, et vere ἄφθονοι sunt musarum mearum fores,) ut se dignos illo esse, et non sine causa, nec sine fructu a me commendatos, rebus ipsis ostendant: hos vero ego veri nominis patronos meos esse arbitror, et quacunque ratione possum illos vicissim ornare studeo. Quidni enim patronos putem, qui sua virtute perficiant, ut fides mihi etiam habeatur in commendandis aliis, ut pluribus commodandi, remque adeo publicam adiuvandi, mihi am-

*plior subinde nascatur opportunitas. Proinde si talem deprehendero, * * * * (de quo egregie sentio, quod tibi se probare potuit) quem ceteris, qui futuro Michaelis sacro erunt candidati, praeferre possim, lubens volensque illum ornabo.*

†) Polliceri plus non possum, sed incumbendum erit, plus, quam polliceri patitur religio, si queam, praestare. Equidem dabo operam, quantum potero, ut Gerani vestri intelligant, felices me putare, qui possint commodare multis, bonos, qui velint, magnos denique, qui ipsa re quam plurimis prosint. Bene vale, vir Amplme, et festinatam prope indecore scriptionem, studio tibi statim satisfaciendi, commodus imputa.

Scrib. a. d. 21. Mart. 53. Gottingae.

Venit hic, de quo nunc sermo est, excipitur humane quidem, sed frigide. De seminario vero silentium erat nimis altum, quam pro voto hominis, adeo, ut desponderet animum. Discessuro tandem dicit: *Si forte efficere possim, ut tibi aditus detur illas ad mensas,*

†) Pag. 140.

ubi Regis beneficentia prandium curat civibus quibusdam academicis, mihi erit periucundum. De seminario autem nihil habeo polliceri: opus est, ut ante nos inter nos noverimus. Labitur interim mensis circiter. Dum videt Gesnerus, novum hominem non alienum videri ab humanitatis litteris, illum iubet gustum sibi dare. Recitat hic in sodalitio philologico Idyllium, ex Graecis Theocriti, in versus translatum Latinos. Tum vero eum omni comitate complectitur, dicit inter alia: non opus fuisse commendatione aliena, se ipsum commendare; quin litteras suas commendatitias in fronte gerere; et in eam sententiam plura, quae mihi exciderunt. Post neque ita multo †) peregrinus, (qui se vellet perhiberi Italum; sed ex litterarum commercio, quod ei intercedebat cum Graecis, et ex indiciis aliis apparuit, fuisse illum ex Graecia,) venit Goettingam, Gesnerum adit, rogat, ut sibi praelegat et interpretetur Aphorismos Hippocratis Graecos. Gesnerus, aliis negotiis distentissimus, vocans istum iuvenem,

†) Pag. 150.

eum pro se vicarium dat Demetrio, sic enim vocabatur Graecus, qui medicinae doctor iam, Patavii puto, erat creatus. Potuisset meus homo, qui iam tot amoris pignora a Gesnero haberet, petere maiora: sed hoc is non audebat; nam verecundia tanta in eo erat, etiam cum Gesnero familiaris iam esset, ut hic saepe iocabundus ac ludens diceret, eum posthac Virginium aut Parthenium esse vocandum. At quid Gesnerus? Rogatus ab alio patrono Goettingensi, qui huic adolescenti etiam faveret, intercessione sua perfecit, ut eius studia diplomate mensae liberalis adiuvarentur. Neque hoc solum: sed cum diploma, die illius praeterito, non diutius in usu esset, ut nova quater aut quinquies mitterentur, nunc per se, nunc per alios efflagitavit. Inter haec lapsum erat semestre. Iam tempus instabat, subrogandi novos seminarii sodales, in locum eorum, qui discesserant. Ultro interrogat Gesnerus adolescentem istum, *utrum nunc commodare ei posset?* Gratias ille agit pro hac benevolentia, sed addit simul, *quo minus dignior legatur, se non intercedere.* Gesnerus alia omnia opinatus, *u-*

trum exuerit huius beneficii †) *cupidinem?* mirabundus requirit. Tum iste: *Minime omnium. Nam mihi quidem nihil est tam desiderabile, quam hoc ipsum. Sed dubius ab aliquo inde tempore inter theologiam haereo et inter philologiam, et cui me dem, mihi nondum constitutum est.* Tum Gesnerus: *In talem nondum incidi. Hoc mihi annotabo. Tu nihilo minus meus eris, etiamsi forte studiis nostris te non totum addicas; et ex hoc ipso auditorio theologiae tuae adiumenta habebis, quorum te haud poeniteat.* Igitur adscripsit eum seminarii sui sodalibus. Nondum exacto biennio, eum adiutorem sibi esse voluit, in bibliotheca curanda Bueloviana *), quo honore nihil ei obtingere potuisset optatius. Nam in illa tanquam colonia litterarum, quam per Maecenatem suum imposuit Georgius Augustissimus Goettingae suae, non tantum patefacta ei est ianua ad litteras interiores: sed Gesnerus quoque pro stipendio multiplicavit ei suum amorem, huic homini, scio

†) Pag. 151.

*) Cf. Gesn. narratio de Academia Georg. August. in Biogr. Acad. Gott. Vol. III. pag. 247. sqq. FR.

planissime, omni auro cariorem. His beneficiis successerunt alia. Nam quod ei datum est munus publicum, quod innotuit etiam aliis, totum hoc muneris est Gesneri, utpote cuius suffragatione est adornatus, et per quem prope invitus in lucem productus est publicam. Nisi hac narratione fatigatus iam forte diu esses, Eyringi, quo meo cordi non est quisquam carior, possem tibi exponere alias huic similes, pene infinitas. Sed progrediendum est. Quominus tamen statim illuc proficiscar, quo intendo, res moratur una pulcherrima, †) quam non transiliendam puto. Ut reges, ita Gesnerus quoque *proditionem amabat, proditores oderat et contemnebat:* quod ipsum semper habuit in ore. Igitur eos, quos ad virtutem et litteras institueret, nolebat esse clandestinos rumigerulos. Si opus esset emissario, sicuti in Prorectoratu, aut alias, quemvis alium malebat. Ab initio semel aut iterum, tentandi caussa, res novas requiritabat. Cum vero intelligeret, me ab his moribus natura abhorrere, nunquam pudorem meum hisce quaestionibus posthac o-

†) Pag. 152.

neravit: sed semper, cum officii ergo, aut necessitate impulsus, aut vocatus, nam aliter eum non adibam, cum illo essem, expedito negotiolo, corollarium accipiebam litterarium. Cum vero, sicut erat humanissimus, *Numquid vis aliud?* dixisset, discessum est. Haec de privatis novis dicta puta, non de publicis. Nam belli tempore discipuli quoque saepius audiebant illud: *Ecquid novi?* Ubi laetos nuncios remunerabatur interdum his Theocriti versiculis: *Πλῆρές τοι μέλιτος τὸ καλὸν στόμα, Θύρσι, γένοιτο, Πλῆρες δὲ σχαδόνων, καὶ ἀπ' Αἰγίλω ἰσχάδα τρώγοις Ἁδεῖαν· τέττιγος ἐπεὶ τύ γε φέρτερον ᾄδεις* *). Et, *Ὡς μέλι τοι γλυκὺ τοῦτο κατὰ* †) *βρόχθοιο γένοιτο* **). Item, *Ἁδύ τι τὸ στόμα τοι,*

*) Id. I, 146. *Plenum, Thyrsi, tibi dulce os sit melle, favisque*
Plenum saepe tibi, quamque Aegilus arida nutrit
Carica: nam blandam superat tua Musa cicadam.
Heins.

†) Pag. 153.

**) III, 54. *Hoc tibi flore thymi redolens in gutture mel sit.*
Heins.

καὶ ἐφίμερος, ὦ Δάφνι, φωνά. Κρέσσον μελπομένω τεῦ ἀκουέμεν ἢ μέλι λείχειν *).
Habes Eyringi dulcissime, quod satis est ad colligendum, qualis Gesnerus fuerit in homines. In Deum qualis fuerit, his ex signis colliges. Muneribus, quasi ea non tam ab hominibus, quam a Deo ipso sibi essent demandata, ita fungebatur diligenter ac religiose. Debebat caussa sontica esse, si rogaret auditores, ut sibi horae, ad docendum destinatae, facerent gratiam, quod vix semel aut iterum factum esse memini. Et quidem, quamvis multa scripserit et operosa, nunquam tamen fecit, quod multi faciunt scriptores, qui ad docendum conducti, ad libros scribendos, ut clarum nomen adipiscantur, toto pectore incumbunt, negligentes interim officium, quo sibi nihil erat antiquius. Quare cum ita honoraret Deum, ab eo vicissim honoratus est. Eos quoque, qui munia cum maxi-

*) VIII, 82. *Os tibi nae blandum est, nae vox est lactea, Daphni!*
Optem audire tuos, quam vel mel lingere, cantus.
Heins.

me obeunda sic sustinent, ut, praesentibus posthabitis, sola spectent futura, ridebat ac despiciebat. Igitur cum scholis formaret magistros, hoc diligenter eorum inculcavit animis, *Non esse boni viri, discipulos* †) *negligere, et statim ad munera adspirare ecclesiastica vel academica, eoque studia dirigere. Quin immo se expertum esse et scire certissime, viam ad altiores quoque honores haud certiorem esse hac:* MAXIMA SANCTITATE TRADITAM ADMINISTRARE PROVINCIAM. NEQUE HAC IPSA AD MUNUS HONORATIUS PRAEPARATIONEM ALIAM ESSE MELIOREM. *Deum enim ita copulasse res humanas, ut praesens semper contineat futurum, et fortuna posterior progerminet ex anterioribus vel bene vel male gestis.* Itaque, ut immortalis Leibnitius iuvenibus, in amicorum albis, plerumque scribere solebat, *Praesens gravidum futuro;* ita Gesnerus immortalis scribebat τὸ παρὸν εὖ ποιεῖν *). Deum vero amabat, ve-

†) Pag. 154.

*) *Παλαιὸς λόγος* vocatur Platoni Gorg. pag. 340. E. quem alii etiam sic efferunt: *τὸ παρὸν εὖ θέσθαι.* U-

rebatur, et colebat sanctissime. Igitur libros quoque illos, qui religionis nostrae fons et norma sunt, numquam secum habuit, quam pro epistola summi Domini ad genus humanum *), cui reverentia deberetur maxima, plenissima fides, et enixa obtemperatio. Qui aliis persuasum †) irent alia omnia, istos hostes dicebat non religionis solum, sed nominis humani, et felicitatis turbatores publicae exsecrabiles. Quidni? Nihil enim certius est Tullii hoc **): *Pietate adversus Deos sublata, fides etiam, et societas humani generis, et una excellentissima virtus, iustitia tollitur. His autem sanctissimis rebus sublatis, quae manet umbra, quae specula felicitatis quietisve?* Cum autem sic se parasset Gesnerus; cum Deo et verbo illius crederet propense; cum instituisset animum ad obe-

tramque formulam ad Lucian. Necyomant. pag. 485. magnus Hemsterhusius illustrat, ut solet, admirabiliter.

*) Eodem fere modo concionatur Macarius Homil. XXXIX. *Τὰς θείας γραφὰς ὥσπερ ἐπιστολὰς ἀπέστειλεν ὁ βασιλεὺς Θεὸς τοῖς ἀνθρώποις.*

†) Pag. 155.

**) de N. D. I, 2.

diendum; qui poterat exspectare aut agnoscere persuasionem, illa, quam Christus promittit piis *), certiorem apertioremve? Religionem nostram veritate niti, non evinci argumentis volebat externis, et demonstratione formularia; sed sentiri. Veram nimirum religionem non esse sine enthusiasmo, sed sano, sed sancto, sed divino; nec amare se religionem, quae ratiociniis inaedificata sit: hanc enim non capere multitudinem, cui Deus tamen consultum voluerit vel maxime: verum religionem veri nominis movere, et impellere animos debere sic, ut lignator non minus quam theologiae doctor cum Davide exclamare cogatur **) *Gustate et videte Dei bonitatem*; et ***) *Anima mea, corpusque meum exsultant virtute Dei immortalis*; monere nunquam destitit. Ad hoc utebatur etiam Augustini †) illo: LEGE. FAC. SENTIES ****). Qui Christo nomen dare velit et

*) Io. VII, 17. XIV, 21. 23.

) Ps. XXXIV, 9. *) LXXXIV, 3.

†) Pag. 156.

****) Locum, nolo enim dissimulare, ubi hoc dixerit Hipponensis Episcopus, adhuc quaero. Nisi forte in

amplecti eius doctrinam, illi non circumspectandos esse, aiebat demonstratores; sed opus esse obedientia. Nam esse Christianorum religionem ὑπακοὴν πίστεως *), demonstratam quidem ab initio miraculis, nunc autem arripiendam simpliciter. Tum vero dari testimonium homini, amplius multo, firmius, et gravius, quam quod oratione queat exprimi. Commode accidit, ut eo ipso tempore, cum Goettingae agerem, Germania ferve-

animo habuit divinus doctor noster, quod is narrat Confess. VIII, 12. *Se vocem audisse* TOLLE LEGE TOLLE LEGE *dicentis.* Ut adeo Gesnerus dicere voluerit, *Augustinum quoque πληροφορίαν tum demum sensisse, ubi verbo Dei lecto se praebuisset obsequentem.* Insisto nunc certis vestigiis, quae me amplius quaerere non sinunt. Nam repeto, semel TOLLE verbum cum reliquis iunctim esse pronunciatum. Plane autem sensisse cum nostro Monicae filium, evidenter probant, quae in *Lib. de verb. Apost. serm. II.* s. *T. X.* [pag. 251. Froben.] de dicto Domini Io. VI, 44. sic meditatur: *Ista violentia cordi fit, non carni. Quid ergo miraris?* CREDE ET VENIS. AMA ET TRAHERIS. *Sic tu veni ad* CHRISTUM; *noli* LONGA ITINERA *meditari. Ubi credis, ibi venis. Ad illum enim, qui ubique est, amando venitur, non navigando.* Metuo profecto, ne Demonstrationibus Christianum fieri velle, sit ad Christum venire *navigando, et longis itineribus.*

*) ad Roman. XVI, 19. 20. [Cf. supra pag. 131. FR]

ret †) lite, de vi verbi divini, Schubartiana *). Nam praebuit ista occasionem, saepius super hac re cum Gesnero conferendi sermonem. Quod feci tanto libentius, quia nunquam aliter senseram, nec possum sentire. Etiam hoc ei dolori erat, quod videret Goettingenses theologos quosdam iuniores, ut puta Heilmannum, in sententiam ire novatam. Ipse gratias agebat Deo, quod sciret, se vera credere. Id vero se expertum esse affirmabat tum alias, tum in morborum gravitate, qui eum ter minimum sic oppresserant, ut tantum non esset exstinctus. *Tunc sensi*, inquiebat, *quae et quanta vis insit verbo Dei, et omnino religioni nostrae, cum morti vicinus despondissem vitam. Non capax erat animus voluptatis ullius, nisi divinae. Hanc capiebam ex verbo divino sacrisque canticis. Solebam, quoties daretur intervallum, quod lucidum vocant, ex schola Thomana pueros symphoniacos unum et alterum accire, quos canere iubebam cantilenas pias, cum alias, tum Lutheri illam*, Ein' veste Burg ist un-

†) Pag. 157.

*) Vid. Nov. Act. Hist. Eccles. Tom. II. pag. 263. FR.

ser Gott, *quae ex longinquo, per conclaria aliquot aperta, tanquam per odea extemporalia, cum illa suavitate vocis ad aures meas pertinentes ea animum perfuderunt iucunditate, ut maior concipi mente nequeat.* Igitur non invidebat ille quidem iis, quos genus probationis artificiale ad credendum compulisset; sed melius tamen cum his agi ferebat, qui rem experientia ipsa cognitam haberent atque compertam. De demonstrationibus vero, pro concione faciundis, †) quid censuerit, quoniam eius epistola ad virum plurimum Reverendum Io. Car. Koken, in opusculis Gesnerianis *), comparet, non operae est referre. Nam hoc et alia complura rectius inde aut tenes iam, aut disces. Quae vero ibi monuit virum praestantissimum maximo cum fructu, ea repetere nunquam desiit. Et sic religioni doctores et oratores, bonos, prudentes, utiles, finxit quam plurimos. Cum autem honorem libris sacris deferret tantum, se quoque ad interpretandum illos dedit. Novi codicis paginas explananti

†) Pag. 158.

*) Tom. I. pag. 95. sqq. FR.

dedi operam, ubi multos scripturae sacrae doctores longe antecessit. Qui docte magis, et magis pie, Domini nostri illiusque legatorum verba interpretetur, esse credo neminem. Nam non optimas modo interpretationes aliorum, novissimas etiam cognoverat; verum infinita quoque in medium attulit ex sua locuplete penu, linguis inprimis orientis, Ebraica, Syriaca, Talmudica, et Rabbinica, sine quarum ope haud lepide hoc sub manu succedit negotium, et frustra est omnis interpretatio. Sancte autem semper nostram est tuitus religionem. Quae etiam caussa fuit, cur ex auditorio suo disputationes theologicas relegaret omnes, neque a seminarii alumnis, exercitii caussa, in disceptationem et controversiam vocari religionis praecepta pateretur: puta ne evilescerent, aut in contemtum adducerentur; opponens eis, quod Balbus apud Tullium *) Cottae: *Mala et impia consuetudo* †) *est, contra Deos disputandi, sive ex animo id fit, sive simulate.* Neque ipse cum istis, qui Deo et religioni bellum

*) de N. D. II. fin.

†) Pag. 159.

indixissent, disputare voluit; quia nihil effici sciebat, quod plenius docuit in illa epistola. Vinariae cum esset, ita cecidit aliquando, cum in itinere cursu vehiculari uteretur, ut ei comites se praeberent athei duo. Hi mox perspicientes, ex vestitu etiam, hunc virum esse religiosum, statim incipiunt voces iacere impias. Gesnerus primum reponit pauca. At istorum impietas cum longius proveheretur, et Deum plane tolleret ex rerum natura, ipse tacet, quasi lingua obmutuisset, seque ludibrio haberi fert. Quid fit? Subito cooritur saeva tempestas, cum magno fragore tonitrubusque. Iam mei homines sedent defixi et muti; capite demisso contrahunt se, luporum instar canumque, cum coguntur in angustum; ad fulmina non connivent solum, sed corpore cohorrescunt toto; et torpent prae formidine. Tum vero Gesnerus istos deridere, ludos facere, rogare, *ubi nunc sit animus iste contemtor?* dicere inter caetera: *Hinc intelligite, impio pius quid intersit. Ego non timeo a Domino meo, quia scio, me illi curae esse, ab illo amari, et mihi nihil mali posse accidere. Et si me nunc*

fulmen tangat; immo enecet; nihilo tamen secius in manu sum Domini, ubi mihi nunquam bene non erit. Hisce dictis maledicos istos ita confudit, ita elingues reddidit, ita dedit in ruborem, ut proxima statione, obtentu nescio quo, eum relinquerent. Solebat †) etiam adhibere disputandi contra oppugnatores religionis virtutisque modum alium, hunc, ut libros sceleratos, quantum posset, removeret deleretve: ne videlicet iuventuti inde importaretur detrimentum. Iuvenilis enim pudoris et virtutis custos erat sanctissimus. Nunquam eum vidi commotiorem, quam cum liber, obscenarum imaginum plenus, carcere suo per hostes liberatus, ex tenebris, quibus merito erat damnatus, in lucem evasisset. Haec quasi rapina pectus eius anxiis implevit curis, quia metuebat, ne iuvenes academici, qui se ad hostium amicitias applicavissent, conscelerarentur. Nec potuit sedari, nisi subito hostium discessu, quorum exitium non valde curabat. Cum autem, praeter spem, librum reliquissent

†) Pag. 160.

ipsum, satis habentes, cultello Flaciano *), quem vocant, aliquot folia exscidisse, ut scilicet similes haberent labra ista lactucas; in custodiam istum inclusit, quam non facile perrumperet. Sic aliquoties iussus sum, emere libros tales, qui constituta auctione venderentur. Cum eos afferrem, *Bene habet*, inquit: *hic sunt iam aliquot exemplaria.* Cum mirarer, *Hoc ideo facere soleo*, dicebat, *ne iuvenes nostri, quorum animi adhuc integri sunt, hoc inficiantur veneno. Nam si certum habuissem, venturos in manus fuisse eorum, corrupti qui iam sint, et qui bonam sibi mentem auferri iam sint passi, non intercessissem: nam in his quidem nihil fit damni. Ego vero igne istos abolebo, aut certe, ne elabantur, custodiam.* In his erat unus et alter, †) velut *de Opti-*

*) *Cultellus Flacianus* nomen accepit a *Matthia Flacio* famoso saec. XVI. theologo, qui eo malitiae processisse dicitur, ut dissimulata persona et habitu, aliquot in Germania bibliothecas perlustraret, quos commode posset historicos auferret, vel plagulas, quae maxime placerent, furtim exciderct; quibus utendis in re litteraria gloriolam sibi pararet. FR.

†) Pag. 161.

mismo *), et *de Ulyssibonae Eversione* **), Voltarii eiusdem, cuius *Henriciada* tantopere erat admiratus, et summis extulerat laudibus. Senex idem carmen denuo legere instituebat: sed mox abiecit, vehementiori cum dolore, an cum contemtu maiori, haud dixerim. Fatebatur, *illa ipsa loca, quae longe ante alia acceptissima animo suo fuissent, ob sententiarum vibrantium gravitatem, nunc exolevisse, nec vim habere aut potestatem. Non posse enim fieri, ut homo, qui Deum conviciis incessat; qui Providentiam derideat albis dentibus; omnem religionem funditus exstirpatum qui eat; quique virtutis nervos incidat; ullum habeat verae virtutis sensum. Ficta omnia esse, ludumque ingenii.* Audiebatur et illud: *Pergula pictorum, veri nihil, omnia falsa* ***). Ipsius autem animus in habitum formatus erat Voltarianistis, id vero est, Cyclopibus novis, plane contrarium. Providentiam sic

*) *Candide ou l'Optimisme.*

**) *Poemes sur le desastre de Lisbonne, et sur la Loi naturelle* etc. En May 1756. 8.

***) Lucil. apud Lactant. Div. Institutt. I, 22, 13. *Pergula pictorum, veri nihil: omnia ficta.* FR.

admirabatur et venerabundus adorabat, ut nemo magis. Nos ad curam Dei immortalis pertinere; curareque mentem illam aeternam res humanas optime, nec universe modo, verum singulatim quoque, plane ei persuasum erat, non opinione, sed ad veritatem. Illa autem impietas, qua homunciones, naturali perversitate duce, vehimur omnes, ut consilia †) Dei vituperemus, expugnata ei mature erat feliciter hoc casu. Ovicula patris una aliqua passa erat crurifragium. Venit suo cum puero pastor ad sanandam fracturam vocatus. Ligatur crus. Idem fit die altero, tertio, et sic deinceps modo eodem. Evenit quodam die, ut pastor, clam puero, faceret medelam, obligandi consuetudine aliquantulum immutata. Vix abiit pastor, cum venit puer meus, omnium, quae acta interim essent, nescius. Considerat crus, quassat caput, expostulat cum praesentibus, *hic multa commissa esse peccata*, ait pro sapientia sua. Tum familiares opponunt: *At dominus tuus fecit.* Hoc responso is plane acquiescens, *Bene*, inquit: *si dominus meus fecit, rectum est sine du-*

†) Pag. 162.

bio *). Haec pueri pastoritii confidentia, qui, fretus domini sui prudentia ac dexteritate, suam opinationem prostraverat obtriveratque, sic affecit animum Gesneri pueri, ut ab illo tempore plane erga Deum ita se gereret, ut gesserat se puer ille erga dominum suum. Cogitabat enim: *Si nos homunculi, fide in quibusdam praestructa, alter alterius bonitati et prudentiae sic credimus confidimusque, ut ibi etiam, ubi aliter factum oportuisse videatur, recte tamen et bene factum esse, non turbidae fidei nec* †) *ambiguae, sed purae liquentisque sit; quidni firma animi confisione credamus Deo, cuius bonitas, sapientia, potentia nullis terminis circumscripta atque definita est, et ad quem ego sapiens sum profecto multo minus, quam ad Leibnitium aut Newtonum philosophus puer iste ac mathematicus.* Quoties igitur quae res natae essent minime optabiliter; ostende-

*) Haec verba, quoniam tanquam bonum semen ita feliciter ceciderunt, ut excepta optimo animo, tanquam agro fertili enata, fructum reddiderint multiplicem, merito hic quoque ipsa servantur. Haec igitur sunt: *Wenn es mein Herr gethan hat; so wird es wohl recht seyn.*

†) Pag. 163.

bat ille quidem, se hominem esse, neque ex Zenonis stoa philosophum: sed mox mente composita redibat ad praeceptum doctoris sui, *Si*, aut potius, quoniam ne paullisper quidem addubitabat, *Quia Dominus meus fecit, rectum est sine dubio, licet non intelligam* *). Hoc solenne suum, belli tempestate, servabat perpetuo, ubi sexcenties hanc formulam audivi. Et quoties tum haec illius meas cepere aures! *O! quam incedam omnibus laetitiis! O! quas et quantas Providentiae agam gratias, si videro illius artificium, pacem redditam, redditam inprimis cum dignitate; quae quomodo confiat tandem, sapientissimi homines rerumque civilium peritissimi nullo modo exputare possunt aut perspicere!* Non vidit ille quidem hanc pacem. Sed nimirum admirator ille et cultor Providentiae dignus erat, cui pax daretur melior, tutior, certior, felicior, cui pax †) daretur coelestis

*) Totum in hanc maxime sententiam scriptum est programma, quo indixit anniversaria inaugurationis sacra 1759. quod *popularem de optimismo disputationem* exhibet. Qua una Gesneri plagula equidem redimere nolim omnia Voltariana.

†) Pag. 164.

et aeterna. Tu vero, mi Eyringi, quid putas? Habuitne unquam ex infima plebe doctor discipulum maiorem? Aut poterat Gesnerus a summo philosopho discere aliquid hoc ipso ad totam vitam utilius? Mihi certe non liquet. Et vero alias quoque Gesnero virtutum pulcherrimarum auctor fuit obscura et humilis multitudo. Patientia illa, cuius admiratorem habuit S. R. Ernestus *), Brendelium illum, cui in vita summa medendi laus ab omnibus concessa est, sine dubio ex parte fabro debetur Hardenbergensi. Habuit nempe Illustrissimus Hardenbergius in praedio suo fabrum, cuius et virtutem rarissimam, et sapientiam, ut in ferrario, mirandam ac pene singularem, laudaverat apud Gesnerum. Virtus enim et vera sapientia, sine discrimine personarum, aeque habitat in tuguriis cum turba pullata, atque in domibus aureis et museis. Gesnero igitur, huius inter rusticos Socratis cognoscendi percupido, occasionem virtutis spectandae praebiturus Hardenbergae dominus, subornat quendam, qui armatus omni conviciorum genere impeteret hunc philoso-

*) Vid. supra pag. 70. FR.

phum Christianum. Ipse cum Gesnero per speciem aliud agendi procul observant furtim patientiae documentum. Effundit aggressor sua tela: sed sine effectu. Nam faber pergit aliquamdiu suum exercere ferrum sine ulla acerbitate, aut commotione animi. Tandem summa usus lenitate infit: *Quid pateris, mi vicine? Habui te pro viro honesto et vero etiam prudente. At me profecto* †) *non nosti. Nam si me nosses, non audirem nunc haec a te ego. Erras vicine. Non enim sum fraudator; nec nequam sum; nec denique is, qui contumeliose a te vocor: sed, id quod mihi satis est, sum vir bonus. Tu autem quomodo appellandus sis, non satis liquet. Nam is si esses, qui ego sum, non ita mecum ageres.* Haec philosophus Hardenbergensis. Goettingensis vero noster, hinc iniuriis conviciisque aliorum immeritis paullo quam opus esset commoveri vehementius, pudorem fuisse, aperte atque ingenue confitebatur. Nam se artium liberalium magistrum atque doctorem, nec philosophiae Socraticae tantum, (hanc enim cum auctore suo efflictim

†) Pag. 165.

amabat,) sed Christianae quoque studiose operatum, a ferrario superari, visum sibi fuisse minime honorificum. Ita recordor, cum videret puerum mendicum, nudum, et hieme asperrima raro calceatum, quotidie ante suam fenestram hilariter se agentem, eum aliquando sic disseruisse: *Hic puer docet me divitias meas; docet, quam paucis natura sit contenta; docet denique, quam ingratus et iniquus sim adversus Deum, si non acquiescens, immo laetus praesentibus, plura concupiscam.* Sed longum sit, quae a plebecula didicerit Gesnerus, enarrare omnia. Igitur qua via modo exivit narratio, eadem semita revertatur. Quae persuasio ergo, rerum omnium Dominum res quoque nostras recte curare, cum penitus animo illius insedisset; etiam hoc bonam partem ei debuit, quod ita se comparaverat, ut semper speraret †) optima quaeque, et totus in spem prominceret; deinde vero, si quando evenissent alia omnia, ipse patienter hoc, quidquid esset, ferret, se sustentans interim nova spe. Neque vero indignabatur, quod spes eum fefellisset. Nam

†) Pag. 166.

dicebat: *Interim fruitus sum usura* *). Quod ut facerent secum alii quoque, subinde adhortabatur, *Interea*, dicens, *usura fruamur spei nostrae*. Quemadmodum vero semper spe erat armatus; ita non ferebat homines Providentiae diffidentes, querulos, lamentantesque in antecessum. Hinc mirum in modum placuerat ei dictum aliquod filiolae vere Salomoneum. Cuius cum quondam mater, morbo implicita letali, decumberet, et lacrimaretur tota domus, illa sola servavit serenitatem animi vultusque constantiam. Correpta propterea, interrogataque, *annon flere et ipsa vellet?* Puella philosopha, ut decebat Gesneri filiam, ita respondit: *Flebo; sed ubi tempus erit. Mater autem quamdiu vivit, quid quaeso opus est fletu?* Et illam sapuisse ostendit eventus, qui defendit hoc responsum comprobavitque. Nam mox morbo depulso illi mater est restituta. Hanc imitabatur ipse; hanc imitari volebat et alios. Neque vero minus sancte Gesnerus veneratus est Dei iustitiam, illam inprimis, quae paria re-

*) Vox Ciceronis est Ep. VI, 12. [al. 13.] Quintil. VI, 3, 68.

fert paribus. Sic observantiam et amorem discipulorum fructum dicebat venerationis erga suos praeceptores. Quoties hic homo, faciens suum officium praestitisset, quod ei esset iucundum, †) pro humanitate sua, *Reddit mihi nunc Deus*, dicebat, *mea beneficia: Haec Ienae olim meo de Buddeo merui.* Hunc enim, dum vixit, observantia coluit summa, ad modum fere hunc, quo nos Gesnerum. Sic, quae de illo litteris prodiderunt Clarissimi Viri, Michaelis et Ernesti, legere si posset; audire ex eo mihi videar: *Ita mihi retributum est cumulatissime, quidquid ego studii ac temporis aliorum tribui memoriae.* Agnoscebat vero non iustitiam modo Dei beneficam hanc; verum alteram quoque illam, quae culpae talionem reponit. Ad hanc observandam pius liber Matthiae Halii *), Angli, iuveni iam ingens fuerat hortamen. Hic ex Iosephi historia contemplans verba fratrum illius haec, *Meruimus hoc de fratre nostro*, unumquemque iubet descendere in se,

†) Pag. 167.

*) Cuius *Meditationes* et reliqua scripta etiam Germanice leguntur.

et, excutere conscientiam, quoties quid usu venerit sibi molestum, quodque nunc non meritus sit; et cuivis suam adstringit fidem, semper fore, ut in vita ante acta caussam inveniat mali, quo nunc immerito suo premi sibi videatur. Fidem Halii Gesnerus liberavit, tempore quodam sic disserens: *Me virum esse bonum, scio certissime. Igitur non possum satis mirari interdum, si criminationibus infamor horrendis. Nam audio calumniator, delator, falsus, tectus, et si quid istis peius est viliusve. His et similibus titulis mactor plerumque. Consulo conscientiam: sustentat me praeclare,* †) *et pro testimonio dicit, me hisce ab criminibus esse remotissimum. Sed hoc mihi accidere iniuria, negat eadem. Nempe quod male cum summa integritate audio; quodque, qui non sum, nec recte appellor usquequaque, auribus mereor meis. Versor interdum cum hominibus, qui alios maledictis petulantissime insectantur, et mihi risum concitant.* Ego, *ubi animum remisi, et dedi me ad ridendum, verene an falso, quae me delectant, iacten-*

†) Pag. 168.

*tur, minus pensi habeo. Γλῶσσα ἐν ὑγρῷ κεῖται, et mea inprimis lubrica est. Haec ergo, ut fit, ad istas epulas etiam dat symbolam. Igitur hisce in conviviis ipse hoc intero, quod mihi paullo post exedendum est omne *), non sine molestia.* Exemplorum aliorum vis est ingens. Quod autem magis sit commemorabile, quam quod afferam, habeo nullum. Gesnerus peregrino homini aditum patefacit ad bibliothecam Buelovianam. Dum serit colloquia cum hospite, interrogat de coniugio. Negat is sibi coniugem domum ductam esse. Pergit Gesnerus: *Annon mox animum ad uxorem appelles?* Tum ille: *Minime. Ab re uxoria abhorreo. Nam ego iuvenis insidiatus sum aliorum matrimoniis; igitur poenam metuo reciprocam.* Quid fit? Aliquot annis post, iter faciens Gesnerus per urbem, ubi habitabat iste coniugiorum insidiator, ab aliis, an suppetat vita et quid agat, sciscitatur. Rogat etiam: *Duxitne aliquam in matrimonium?* Recte. Statim addit: *An est curruca.* Ita, ut in tota urbe nemo magis.

*) Terent. Phorm. III, 1, 4.
Tute hoc intristi, tibi omne est exedendum. FR.

Adeo miser †) iste non potuit effugere talionem, quam providit, et ominatus est ipse: adeoque non prohibere potuit, quo minus ex maleficio, quod severat, fructum meteret tristissimum. Itaque cum sapientia Dei, cum bonitas, cum iustitia eius, Gesnero essent praesentissimae, ut eas tanquam oculis contrectaret, et prope tentaret manibus; quomodo poterat summi rectoris et domini numen non colere castissime? Nec divinae maiestatis Gesnero alius fuit reverentior. Haec adversus Deum pietas apparuit undique. Nam ubi est, non potest occultari, sed prodit in conspectum. Igitur dies quoque, quos sacros esse iubet religio nostra, egit sanctissime, neque solus domi, sed cum aliis publice. Non enim approbavit, sed abiecit respuitque istud: *Haud in magno ponendum esse discrimine, ubi, aut quibuscum opereris sacris;* ut fert multorum hodie opinio. Ille vero aiebat: *Non solum exempla deberi plebeculae ab his, de quibus bene existimet:. sed altius quoque evehi animum, et flammam illi subdi ardentiorem, in consensu illo et unitate plurium;*

†) Pag. 169.

quemadmodum ignem prunis enutritum pluribus surgere videamus in flammas. Esse enim animorum etiam contagionem felicem. Ad haec, cum Dei cultus in precibus et illius laude vertatur potissimum; hanc tanto fore pleniorem, quo plures eam celebrent; illas vero viribus unitis eo potentiores. Eo notabat etiam ac vituperabat, in angulo, remotis arbitris, epulas Domini nostri coelestes adeundi novam consuetudinem, †) quod illae non modo esse debeant animi corroboramentum; sed copula quoque piorum, horum inprimis, qui nobiscum coena hac sanctissima simul accipiantur; quodque oporteat, ut palam simus Christiani; et nos in nomen et familiam Christi esse cooptatos, indicemus omnibus. Quod reliquum est, de fructu huius epuli et sentiebat, et praedicabat, magnifice. Disputatum autem esse magnis motibus; nec dum conquiescere quaestionem, *Quomodo id fiat?* totum hoc ei displicebat. En quomodo ipse se paraverat. *Facio*, dicebat, *quod aegrotus, qui confidit medico. Valetudinis affectus imbecillitate, animo fidenti accipit me-*

†) Pag. 170.

dicinam, cuius vim iam aliquoties expertus est, praescriptam; neque unde composita sit, neque modum, quo vires exserat suas, scire laborat: sed haurit poculum bona fide; sentit sibi melius esse, acquirique vires; honorat medicum, et gratias ei agit exsultans. Neque parcus erat et infrequens lector talium librorum, a quibus non tam discedimus doctiores, quam emendatiores nobisque ipsis meliores. Quo nomine Thomae laudabat Kempeni sanctissimum *de Christi imitatione* libellum, cuius versionem Hispanicam multum Gesneri manibus tritam sudatamque debes invenisse, Eyringi iucundissime, cum lustrares copias eius librarias. Me, cum eam mihi aliquando ostenderet, subridens commonebat de Quinti Caroli dicto: *Cum Deo Hispanice loquendum est, ob linguae magnificentiam.* Magni quoque aestimabat Arndii *de vero* †) *Christianismo* libros. Ultimos tamen, qui de rebus exponunt physicis, intellectui suo patuisse negabat. *Hortulum* autem eiusdem auctoris *Paradisiacum* commendabat omni ratione, aureolum eum vocans, et tribuens ei

†) Pag. 171.

vim ad virtutem maximam. Hanc enim aiebat ita pingi pulchre et amabiliter, verbis plerumque Dei ipsius, ut, cum discesseris etiam a fide Dei preces nostras audientis, abesse tamen non possit, quin capiatur lector, non plane profanus, illius amore. *Ea fine*, sic dicebat; cum ultimum mihi et commilitonibus artem praeciperet instituendae iuventutis, *eius exemplar uxori, sponsalibus rite factis, his dedi verbis: Etsi nullus dubito, mea Caritas, quin me ames; tamen sic velim tibi persuadeas, id me in hac re maxime indicaturum, si hunc libellum diligenter volveris. Fecit ea, quod rogata tum a me est, studiose; et magnam partem virtutis eius, si recte ratiocinor, acceptam huic libello faciendam puto.* Super caetera maxime favebat iis, qui patrocinantur caussae Dei, et pietatis religionisque fines aut prorogant, aut tutantur ac defensitant. Hinc ad Leibnitium, cuius praeconium aeternum illius est *Theodicea*, admirandum, amandum, omni ferebatur impetu. Hinc Spenerus, Franckius, hisque similes, illi nomina erant maxima et carissima. Hinc Edzardum patrem nunquam sine praeconio

appellavit, quod aliquammultos Iudaeos ab impio errore, quo sunt impliciti, ad viam felicitatis revocavit. Hinc collega eius Io. Alb. Fabricius haesit tanquam †) in medullis Gesneri, quoniam per piam illius eruditionem tam multi profecerunt ad bonitatem. Namque et Derhamiani libri, in nostram translati linguam, per illum sparsi sunt per Germaniam, quam late patet; et ipsius beneficio aucti sumus geminis; et alia multa scripsit egitque Fabricius, ut merito suo dici debeat beneficium publicum. *Omnibus scriptis Fabricianis*, dicebat Gesnerus, *fortuna divinitus adiuncta est singularis ad res bene gerendas* *). Quod in Gesnerum non minus convenire puto. Cum primis quoque suspexit eruditionem, pietatem, virtutem, et merita Reimari immortalis, quo gener dignior Fabricio haud potuisset obtingere. Huius *naturalis Theologia* **) ei cordi erat sic, ut il-

†) Pag. 172.

*) Tradam tibi potius ipsius verba: *Gott hat einen rechten Seegen darauf gelegt.*

**) Herm. Sam. Reimari *vornehmste Wahrheiten der natuerlichen Religion;* quo de libro iudicium, quod me

Iam exterorum gratia Latinis litteris fuisset mandaturus, nisi ipse suarum rerum sategisset; aut si stilo properato rem agere licuisset, cuius celeritatem retardatura videbantur multa nova inventa antiquis incomperta, nec dum verbis signata Romanis, sed nova dotanda appellatione. At Ierusalemii *religiosae commentationes* *), quarum †) nunc ipsum mihi facta est notitia, quo gaudio completurae fuissent nostrum Gesnerum, si illas vidisset! Dignissimus est divinus liber, qui non Latine modo loquatur ad Romanenses: sed Hottentottice etiam, et ore Caribum, et linguis gentium universarum, cunctis barbariei omnibus. Nondum potest, opinor, satis constitui, noxiae plus religioni inferat, an faciat plus emolumenti, impietas saeculi perversitasque. Satis equidem admirari non possum Dei sapientiam, quae ex hoc veneno medicinam elicit,

valde delectavit, memorabile fecit Celeberrimus vir, Io. Iac. Reiskius, sub finem epistolae, qua dicat ei ad Cassium Dionem animadversiones.

*) *Betrachtungen ueber die vornehmsten Wahrheiten der Religion.* Braunschw. 1768.

†) Pag. 173.

non unius generis, saluberrimam et praesentissimam. Neque vero minus favebat Gesnerus noster institutis, quae ad propagandam Christi doctrinam spectant. Callenbergius, Halensium theologus ille, cum primos mitteret ad Iudaicam gentem legatos; in laetitiam impense magnam illum coniecit. Veniunt quodam die duumviri dilatandae disciplinae Christianae, salutaturi Gesnerum, bene barbati, habitu lanionum, aut calonum. Habet eos pro ipsis Iudaeis, quidque sibi velint rogat. Iudaeos se esse negant; sed theologiae cultores se esse aiunt, et ire Evangelium annunciatum Iudaeis. Hic sussultat Gesnerus, et percontatus ab illis instituti rationes, rogat ut sibi dent gustum, ad quem respondeant rem agentes serio. Tum vero illi sermone usi Iudaeis, qui nunc sunt, proprio, ita verba fecere, ea contentione animi ac vocis, ea vultus gravitate, gestus praestantia ea, ut eum horror sacer perstringeret, ac viderentur †) coram esse Barnabas et Paulus *). Et ita

†) Pag. 174.

*) En ipsa, quae interim reperi, Gesneri verba, ad Act. XIII, 15. sic commentati: λόγον παρακλήσεως, ho-

eos usurpabat etiam, quoties essent nominandi. Nam nomina sua ignorari voluerat eorum modestia. Schultzium autem et Woltersdorffium fuisse, postea comperit *). Quo facto

dierni Iudaeorum Apostoli vocant recte eine Ansprache. Et cum ante aliquot annos essent hic duo Apostoli, Schulzius cum socio suo, interrogaremque ego, qua ratione alloquerentur in synagogis Iudaeos? ita verba fecerunt, ut ipse quoque impellerer in Enthusiasmum, et viderer mihi audire Paulum et Barnabam. Qui etiam extra contemti homines erant, ut Paulus. Gerebant vestes attritas, braccas longas et bene pingues, barbas promissas, et capillum naturaliter fluentem. Sed erant plane divini homines, et divinitus agitati. Commendabam eos per litteras Card. Quirino, affirmans, si genti perversae consuli possit, aut per hos homines fieri illud debere, aut nunquam posse. Qui certe rescripsit: Esse tamen melius, si ad nos converterentur, quam si perversi manerent.

*) Solebat tamen alias quoque homines appellare non suis semper nominibus, sed ab re ea, qua ei maxime vel placuissent, vel displicuissent. Sic *Thersitae* audiebant, quorum formam et mores aspernaretur atque abhorreret. Contra lumen et decus illud Angliae, quem sui Askew dicunt, ipse suum *Digamma Aeolicum* plerumque vocabat; quoniam per illos dies, quibus iucundissimo hospite erat usus, [cf. supra pag. 4.] multa et frequens disputatio super ea re fuerat, quam hic vir doctrinae summae et exquisitae commode adhibuerat ad medicinam afferendam locis corruptis librorum antiquorum, iuris etiam compluribus.

illis affirmavit, †) *Si ita se agant semper, uti modo sui dedissent specimen, non esse dubium, quin ad spem exitus sit responsurus.* Et gratulatus illis, precatusque ut haec res eis fauste, feliciter, prosperequé eveniret, dimisit eos honorificentissime. Sicque te etiam dimitto nunc, Eyringi animo meo carissime. Habes enim quae voluisti, id vero est, de Gesnero dicere quae potui. Galenus, ille quasi Deus medicorum, suum *de usu partium corporis humani* admirandum et divinum opus *ἱερὸν λόγον* dicit, et *ὕμνον ἀληθινόν*, effectori rerum opificique consecratum *). Verissime ille. Nimis vellem, ut et tu, Eyringi amicissime, tanquam legisses hymnum Dei, sic ab hac epistola affectus discederes. Non ego quidem egi quod Galenus, qui domicilii, quod habitat mens humana, amplissimi, formam dedit ac descriptionem: sed animam unam pulcherrimam amabilissimamque, aut certe partes animae unius pulcherrimae et

†) Pag. 175.

*) Galenus περὶ χρείας τῶν ἐν ἀνθρώπου σώματι μορίων III, 10. [Tom. III. pag. 237. ed. Kuehn.] coll. XVII. fin. [Tom. IV. pag. 366.]

amabilissimae, ut potui, animo et oculis tuis subieci. Desiderabis forte in pictura mea diligentiam, et artem; optabis forte etiam, quaedam ut essent expressiora, coloribusque collustrata floridioribus: sed fidem ac veritatem ne desiderares, praestare omni ope annisus sum. Si qua parte tibi se mea probaverit opella, noli mihi imputare, sed ipse tibi vindica. Tu enim, quidquid impendi studii, illud totum excitasti atque animavisti solus. Nam nisi tu iussisses, †) nunquam animum ad scribendum appulissem, quamvis sciebam, Gesnero nostro arrisisse hoc Pescennii Nigri, dicentis *): *Se vivum placere velle, mortuum etiam laudari.* Non indiget ille quidem laudis nostrae; neque ego hoc, ut eum laudarem, egi, nisi quatenus, quae fecerit, dixerit, senserit, enarrare aliis, est illum laudare; nam tota vita eius summa eius laus est: sed maluissem tamen Manibus Gesneri iusta essent soluta ab Hambergero, Viro Clarissimo. Quin immo adhuc solvi pervelim componendis vitae Gesnerianae commentariis prodendisque. Mi-

†) Pag. 176.

*) Apud Ael. Spartian. cap. 11. extr.

hi cum Heraclito et Galeno εἷς μύριοι *). Eyringius mihi meus unus est instar mille lectorum, quoniam peramat mecum Gesnerum toto pectore. Quod nisi scirem, certo mitterem epistolam hanc in caminum potius luculentum, quam Goettingam; quia alii cuivis ridicula ne videretur vererer. Est enim amatoria, de Gesnero amando, ab homine amato scripta ad dilectissimum Eyringium. Amori autem non videtur modo minima etiam res momenti permagni; verum solet quoque valde esse loquax. Deinde vero veri amatores qui sunt, non amant testes; sed satis magnum alter alteri theatrum sunt, placentes sibi, sibique plaudentes. Quod superest, haec non aurificis statera, sed quadam populari, immo amica trutina examinabis **). Si vero et sic †) multa sunt, quae non concoquas; cogita sis, alteram huius scriptiunculae partem tibi paratam esse eo tempore,

*) Galen. περὶ σφυγμῶν Tom. III. pag. 53. Bas. Tom. VIII. Paris. [Ed. Kuehn. Tom. VIII. pag. 773. Cf. Muret. Var. Lect. XVI, 5. FR.]

**) Cic. de Orat. II, 38, 159. FR.

†) Pag. 177.

cum denae in dies fere singulos horae ponendae essent in institutione adolescentum; alteram vero tum, cum panaricii tetri cruciatus et febricula me sufflaminassent. Nam neque tum prorsus avocari me a meo munere pensoque passus sum, nisi per dies aliquot, ubi dolores et nata inde insomnia, ita obtuderant ingeniolum, ut nihil possem eblandiri. Gratias mihi agi nolim: sed ipse tibi ultro ago. Non enim potuisses, pro iure amicitiae nostrae, laborem imperare mihi hoc ipso iucundiorem, immo vero utiliorem. Nam inspicere in vitam Gesneri, inspicere est in speculum providentiae et bonitatis divinae; sapientiae autem ac virtutis humanae. Igitur ab illo die, quo accepi mandata tua, omne tempus, quod vacat publici officii cura, traduxi hilarissime et maximo cum fructu. Primo, sicut praeceperas, institui animum ad cogitandum. Soleo diebus sacris, quos litteris eximo, quoties coelum favet, ambulatione pomeridiana, animi et corpusculi reficiendi sustentandique caussa, inter contemplationes religiosas pererraro solivagus ericeta et silvulas agri Lunaeburgensis. Hic habui per duo

deinceps dies comitem, quo mihi iucundior aggregari nullus poterat, Gesnerum. Tum dedi me ad scribendum ea ipsa, quae in illo comitatu mihi redacta erant in memoriam. Inter scribendum vero, licet non raro ceciderint lacrimulae, tamen et hae non caruerunt animi oblectatione. Et pro his ipsis, †) *quod* mihi eas movisti, habeo gratiam. Si vero hoc officio effecerim forte, ut has litteras in loco beneficii numeres, quod mihi munerare velis; id quonam modo pulcherrime fieri possit, indicabo. Videlicet de ultimis vitae Gesnerianae me certiorem si feceris. Sane gaudeo, vehementerque laetor, quod paullo ante, quam aegrotaret moreretur que Gesnerus, ex illius seminario in locum alium transpositus sum. Ita enim non species tristes me perturbant; sed offerunt se mihi, quoties in mente versatur imago praeceptoris carissimi, laeta omnia. Nam, quamdiu cum illo vixi, stetit in doctrinae, honoris, gloriae, fortunae, fastigio summo. Paullo post immutata fortuna casibus locum fecit tristioribus: et mox exstinctum est illud litterarum

†) Pag. 178.

virtutisque lumen. Haec omnia, uti dixi, quod non vidi, laetor. Sed si mihi enarrare velis queasve, qualis Gesnerus sub ipsum vitae finem fuerit, quaeve dixerit; non modo beneficium istuc meum, si quod datum putas, foeneratum mihi pulchre dicam; verum me etiam beneficii tui feceris. Hoc constat generatim, eum morientem quoque sui fuisse similem, id est, virum, quem ego viderim in vita optimum religiosissimumque. Mors enim eum non oppressit, sed offendit paratissimum. Supra *) de amore vitae senilis quae dixi, non indicio esse, eum vixisse in diem, optime calles. Nempe volebat ostendere, quam ad summi omnium regnatoris nutum voluntatemque se totum converteret. Non poenitebat eum suae conditionis; nec munus †) assignatum a Deo defugiebat: quin contra libenter manebat in statione. Nec idcirco minus itineri ultimo instructus erat intentusque. Mortis nomen libenter crebris usurpabat sermonibus, plerumque addens: *Neque opto, neque metuo.* Sic animus eius

*) Vid. pag. 260. sq. FR.

†) Pag. 179.

semper stetit in procinctu. Mortis admonebatur etiam quotidie per consanguineum eius, Somnum, quem Graeci pulcherrime dixerunt τὰ μικρὰ τοῦ θανάτου μυστήρια. Eius autem adventum animo praesagiente longe praevidit. Iam quatuor mensibus ante, quam de vita migraret, scribebat: *Sic artem caestusque reponam* *). Et evenerunt subinde pluscula, quae facere potuerint, ut ei mors venerit exspectata. Quare procul dubio, si non ruit in eius amplexus, certe reiecit se in eam quam familiariter. Illum autem Philosophum et Christianum fuisse non μέχρι τοῦ λέγειν, ἄνευ τοῦ πράττειν, manifesta fides. Hieme ea, quam supremam habuit, non solum tulerat communes cum reliquis civibus, quas bella et obsidiones ferre solent, calamitates, in his famem: sed conflictatus super caetera erat non simplici fortuna, et doloribus domesticis. Non caruerat invidia et obtrectationibus; uxor misero diuturnoque morbo intabescens decesserat, eo ipso tempore, cum ea illi usus esset maxime; sicque,

*) Virgil. Aen. V, 484.
Hic victor caestus artemque repono. FR.

privatus animae dimidio suae *), nactus erat et ipse morbum, quo emaceratus tandem vivere inter nos desiit. Haec omnia quo tolerarit animo, testis es tu oculatus: sed forte non iniucundum erit audire ex eo ipso. Sic igitur scripsit a .d. V. Aprilis M. DCC. LXI.

†) *Ad verba, quibus vel honorem mihi habuisti, vel testatus es amorem, nihil dum reposui. Accipio illa, ut ab optimo profecta animo. Sed potes mihi credere, hunc me fructum habere divinae humanaeque philosophiae, ut omnium molestiarum, quas tu nec omnes nosti, unita vis frangere non potuerit hunc animum, aut alacritatem illius opprimere, aut efficere denique, ut non verum esse mihi persuaderem illud,* VIRO BONO NIHIL POSSE MALI ACCIDERE. — *Habere potes huius rei argumentum, quod per hanc ipsam hiemem Argonautica Orphei ad omnes editiones et duo* MSS. *exegi, nova interpretatione, Eschenbachianam sexcentis locis emendante, et commentario perpetuo illu-*

*) Sic Horatius Carm. I, 3, 8. Virgilium dixit *animae dimidium* suae. FR.

†) Pag. 180.

stravi: fragmenta collegi altero tanto, credo, quam Stephanus, plura, unde quodque sumtum esset indicavi, multa observationibus illustravi, in Hymnis quoque et Lapidibus operae tantum posui, ut sperem, me Orphicum Syntagma proximo Michaelis sacro ad Fritschium, si Deus voluerit, missurum, quod forte ultimum operum mihi mortalium erit, sed quod mihi non modo uti בן זקני *amabile *) videtur, sed quo censeri apud posteros non refugiam. Audin' tu senem? Bene vale, communes Ilfeldae amicos saluta, rem bene gere.*

Si probitatis experimentum res sunt adversae; animus Gesneri probatus et spectatus est maxime. Quid enim est, si haec non obrusa est? Et si hic non est constans, praesens, pius, magnus, animus; quid sit nescio. Sed reprimam me, neque provehar longius, ne sub manu nascatur forte epistola altera non brevior, et ego te narrando enecem. Iam vero vices narrandi sunt permutandae. Lampada tibi trado. Interim contentus sis hoc

*) Sic Iosephus Israelis filius בֶּן־זְקֻנִים dicitur I. Mos. 37, 3. et ob id ipsum magis amari a patre suo. FR.

Catone *), et relationem hanc, quam spero amicitiae nostrae, qua apud animum meum nihil carius habeo, vinculum fore tenacissimum, aequi bonique consule. Vale, Eyringi amicissime animoque meo carissime. Vale, res gere feliciter, perge ut facis, et me ama. Iterum vale, immo valete. Lunaeburgo MDCCLXVIII. a. d. III. Aug. quo die ante ipsos septem annos per Deum corporis custodiis liberatus sublimis abiit Socrates noster Christianus.

*) Sueton. August. cap. 87. ubi cfr. si opus est Baumgarten-Crusius. FR.

MEMORIA

IOANNIS MATTHIAE GESNERI

CONSILIARII REGIS M. BRITANNIAE AULICI. PROFESSORIS ELOQUENTIAE ET POETICAE P. O. IN ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA. BIBLIOTHECARII ACADEMICI. SOCIETATIS REGIAE DOCTRINARUM DIRECTORIS. PRAESIDIS SOCIETATIS TEUTONICAE. SCHOLARUM PER TERRAS BRUNSVICO-LUNEBURGICAS SEMINARIIQUE PHILOLOGICI INSPECTORIS

[IO. MATTH. GESNER. BIOGRAPH. ACAD. GOTTING. VOL. I. PAG. 247 – 276. HALAE 1768.]

Memoriae hujus auctor est IO. DAV. MICHAELIS, Vir ill., cui Gesnerus, dum viveret, ob singularem amicitiam et tributum ei veritatis amorem, hoc officii mandaverat, ut publico programmate, Academiae nomine conscribendo, vitam ipsius enarraret magis quam exornaret. Ad pertinet hoc, quod praeterire nefas esset, ad gloriam b. Gesneri post mortem quasi partam, ut, quem nullae quippe malae cogitationes conscientiaeque animi terrebant, ipsum vitae suae scriptorem admoneret, ut primam historiae legem servaret, quae haec est, ne quid falsi dicere auderet, deinde ne quid veri non auderet, ne qua suspicio gratiae esset in scribendo, ne qua simultatis.

EYRING.

Magnam, cives, iacturam fecimus, nobis, rebusque mortalibus erepto IOANNE MATTHIA GESNERO: in quo uno viro tot fuerunt praeclara et admirabilia, tanta universae antiquitatis, Graecae maxime et Latinae, notitia, ea philosophia, illa, in iudicando pulcro, gustus veritas et elegantia, ea doctrinae varietas et polyhistoria, illud ingenium, ea comitas, eae denique omnis generis virtutes, ut plus in illo amisisse videamur, quam reddi nobis in uno, licet doctissimo homine, possit. Sed hic nobis luctus, hae querelae cum omnibus communes sunt, qui ubicunque terrarum degunt, eruditis; non res nostra privata periit, sed publica totius Germaniae et Europae, Gesnerus: unde nec dissimulandam censemus doloris nostri magnitudinem, in qua ne invidus quidem rebusque nostris iniquus, id quod in omni luctu est acerbissimum, exsultare, modo doctus sit, queat.

Ille quidem et vivit, et beatus est, immortalitatem consequutus hac longe praestabiliorem, quae soli magnorum virorum nomini contingere solet: qua spe et extremas mortalis vitae acerbitates, adventantisque mortis non incertos nuntios, leniebat, et diu antea recreari consueverat, ex Christi oraculis hausta, tamque alte animo infixa, ut placidam voluptatem inde perceptam, maxime cum ante hos x annos periculosissimo morbo laborasset, praecipuum haberet veritatis religionis Christianae argumentum.

†) Solebat, meministis cives, eandem immortalitatis spem, qualem Graecis antiqua servaverat traditio, symbolis et mythis involutam, atque etiam ad mystica sacra ablegatam, ex Graecorum monumentis illustrare: cum alias *), tum maxime, quando triste officium, quo illum nos iam prosequimur, colle-

†) Pag. 248. ed. Hal.

*) In corollario animarum Hippocratis, *de illarum repraesentatione sub imagine papilionis*. Legitur in commentariis Societatis Regiae Scientiarum Goettingensis, T. I. inde a pagina 145. illustratque imaginem acre expressam, quae paginae 132. adiecta est.

garum luctui publica scriptione praestabat*). Nec rem tanti momenti nimio aliquo antiquitatis amore abreptus inertis Graecorum fabulis credebat, pulcris, antiquis, grandibus, sed hoc triplici argumento nondum veris: de qua illo potius auctore constare sibi malebat, qui vitam et immortalitatem, ab ipsis aut rarius aut obscuriuscule proditam, prophetis propalavit primum et illustravit**). Putabat tamen, elegans ac iucundum scitu esse, quibus imaginibus ex corporum natura petitis gens doctrina et ingenio princeps immortalitatem animorum convestiverat; nec divino numini nihil ad laudem bonitatis ac sapientiae conferre, si constet, gentibus extra ecclesiam, id vero est, toti pene terrarum orbi, non omnino †) periisse immortalitatis animo-

*) Videantur scriptiones, quibus, Prorectoris et Senatus nomine, memoriam matronarum, *Heumanniae*, (anno 1750.) *Ayreriae*, (1754.) *Roedereriae*, (1759.) *Kaestneriae*, (1760.) honoremque illustrissimi comitis *Axelii Wilhelmi Wachtmeister*, (1754.) commendavit: [Biogr. Acad. Gott. Vol. II.] ex quibus tamen praecipue illa relegenda, qua Ayreriae funus indixit.

**) II. Timoth. 1, 10.

†) Pag. 249.

rum memoriam. De qua cum vix habeat, quod satis certo statuat philosophia: rumor tamen aliquis perantiquus supererat, fabulis et obscuriusculis involutus symbolis, atque etiam in mysticis Graecorum sacris abditus, quae evulgare nefas, sed hac ipsa mysterii caligine sanctior visus Graecis, pluresque ad assentiendum ac fortius credendum abripiens *). Recte vero Gesnerus: nec aliter nobis de insigni Dei beneficio sentire visus divus Petrus in secundae epistolae primo capite **), licet in aliam plerumque partem a severioribus lectoribus acceptus. De potente enim adventu ***) domini nostri Iesu Christi loquens, id est, non de primo in hunc mundum ingressu plurimum habente infirmitatis, sed de postremo iudicis adventu, de quo et capite II. ac III. copiosius agit, non illum se credere ait doctis, seu philosophicis mythis, (σεσοφισμένοις μύθοις,) sed oculis usurpasse

*) Hanc sententiam uberius dixit, memoriam Ayreriae commendans: cuius scriptionis summa, si ad manus non sit, peti potest ex ephemeridibus eruditis Goettingensibus, anni 1755., pag. 41. 42.

**) Vs. 16.

***) δύναμιν καὶ παρουσίαν dicit.

futuri iudicis maiestatem, atque ex caelo vocem audivisse, hunc sibi doctorem commendantis, qui iudicem se mortuorum et viventium fore praedixerat. Quod qui ita disputat, non ignorare videtur, earum rerum spem metumque, quae multo certius ex evangelio discuntur, eruditis quibusdam mythis apud Graecos contineri; quos ille non ut mendaces vituperat, nec reprehendit, quod dubiae adhuc veritatis tamen aliquam habuerunt umbram,

†) *Quale per incertam lunam, sub luce maligna*
Est iter in silvis *):

sed multo se certius scire praedicat immortalitatem animorum, alteriusque vitae praemia ac poenas, ut sibi testi, verboque prophetico, licet et ipsi his de rebus obscuriori, ac vix nocturnae faci comparando, eadem sapienter credere possint Christiani, de quibus sapienter dubitandum Graeco homini erat **).

†) Pag. 250.

*) Virgil. Aen. VI, 270. FR.

**) Ita si Petri verba accipias, ac *μύθους σεσοφισμένους* hos ipsos intelligas mythos, de quibus saepe Gesnerus egit, diluentur nodi, in quibus solvendis frustra interpretes laborarunt. Firmius dicetur verbum propheticum

Erat inter haec symbola psyche, seu ex erucа emergens papilio: quo et multum delectabatur Gesnerus, nec minus ei praestitit. Imaginem illa psyche immortalitatis habere videbatur, quod initio vermis terrae adfixus, et humi repens, post aliquem tanquam somnum volucris exiret, altaque peteret. Non eadem imago sed similis, fortasse placuit Orienti, locustae alatae, de qua exiguum corollarium, morituro post triduum Gesnero indicatum, non aspernabuntur immortalis nunc viri manes.

†) In figuratis et senii et mortis adpropinquantis descriptionibus, quae in fine Ecclesiastis Salomonaei *) occurrunt, et haec est, his Graecorum mythis, quos non mendaces Petrus, sed tamen incertos indicat, ab ultima inde antiquitate tralatitiis, auctore ignorato. Idem deinde verbum propheticum recte comparat faci nocturnum iter per densas silvas monstranti, (λύχνῳ φαίνοντι ἐν αὐχμηρῷ τόπῳ,) exiguamque lucem spargenti, necessariae tamen iter facientibus, donec sol oriatur. Obscurius prophetae antiqui de altera vita loquuti, at evangelium, vitam et immortalitatem illustrans, illi nocturnae faci collatum, solis instar habet.

†) Pag. 251.

*) Eccles. XII, 5.

locustae adultae. *Recordare*, inquit Ecclesiastes, *creatoris tui, antequam locusta adolescat* *). Quid locustae cum senectute sit, aut cum vitae exitu, ne magnus quidem Hierozoici auctor vidit, Bochartus **), nec nobis in mentem venturum erat, nisi papiliones nos Gesneri eo deduxissent. Est quintuplex plerisque locustarum generibus iucunde a Roeselio et copiose descriptis aetas: primo, non quidem vermiculi ovi figuram habentes, ut

*) Vertunt plerumque, *donec gravescat:* sed id naturae locustarum, et imagini senectutis minus aptum, cum sub senectutem locustae leves per aëra volitent, quae antea terrae adfixae erant: quare maluimus ex Arabico شبل interpretari, meliorem tamen, si quis ex philologia suppeditet, explicationem grate admissuri. Praeivit nobis Syrus. Quod si praeplaceat usitatius, *donec gravescat*, de graviditate locustarum intelligendum erit. Post quartas enim demum exuvias, atque adeo in extremo senectutis, sed iuvenescentis, gradu, concipiunt, et ova ponunt, sobolis futurae metum. De hoc quidem verbo nondum nobis liquet.

**) P. II. L. IV. cap. 8. pag. 493. 494. Qui de Tithono sene cogitarunt in cicadam mutato, manifesto errore cicadam, diversissimum animal, cum locusta confuderunt: ut taceamus, minutum senectute et macie fingi Tithonum; locustam autem, aut crescere, aut pinguescere et onerari Salomoni.

tradiderunt veterum aliqui *), sed verae locustae †) et saltatoriae, perquam minutae ex ovis erumpunt: haec earum infantia, adeo exilis, ut plerorumque aut oculos fugiat, aut certe curam. Quater deinde cutem deponunt, post quartas demum exuvias alatae prodituræ, quae quinta illis aetas est. Ut ergo per quatuor aetates humi locusta aut repit, aut saltat, vermis potius quam ales, positisque quartum exuviis alas accipit, et caelo iam propior avolat, ignotum illa trans mare litus petitura: ita et per omnem vitam, in quatuor aetates dispertitam, terrae adfixi sumus, quibus peractis, et corpore exuti, in illam avolamus patriam, quam trans mare ingens sitam, quam insulas beatorum, non Graecorum **)

*) Aristoteles L. V. hist. animalium cap. 28. Occasionem forte dedit errori, locustarum cum scarabaeis confusio, quos ipsos, dum vermes sunt, *locustas repentes* dictos fuisse, disputare, si hic locus esset, possemus.

†) Pag. 252.

**) Vide Gesneri programma *de Elysio et insulis beatorum* [de quibus disputatur in *Memoria Comitis Axel. Wilh. Wachtmeister*, *Canonici Hamburg.* Biogr. Acad. Gott. Vol. II. pag. 197. sqq. FR.] Prodibunt quoque eius *geographica de insulis beatorum*, multa uberiora, in Orphicorum carminum prolegomenis.

modo sed et Orientalium *) mythi dixerunt. Quae ergo Graecis psyche, qui papilio, hae Orienti locustae alites.

Planius haec disputari possent, si huius scriptionis ratio permitteret, de locustae nomine, quod hic Ecclesiastes posuit, חגב disseri; nec enim locustis omnibus commune, sed alatarum proprium esse videtur. Aliam autem id scriptionem, alium locum poscit: certi enim quidquam de eo nomine statui nequit, nisi loco difficili **) Levit. XI, 22. †) perpurgato, in quo quatuor non generum, sed aetatum locustarum mentio videtur fieri. Praecedunt ibi tria genera alis carentia, post primas, secundas ac tertias exuvias; tertium certe genus, *Chargol* dictum, teste Arabia,

*) Michaelis epimetron praelectioni nonae Lowthi de poesi Hebraeorum additum, pag. 195.

**) Erit alius de hoc argumento dicendi locus. Non ignoramus, quid Norrelius et Roeselius omnino locustis edulibus atque a Mose commemoratis opposuerint, sed non est apta nostro luctui longior disputatio. Nonnihil huius argumenti tractat quaestio XXXII. eruditis proposita, qui iussu Augustissimi Daniae Regis Arabiam peragrant.

†) Pag. 253.

nondum ales est: sequitur חגב, quo nomine iam alia quam alata locusta intelligi vix potest. Verum id totum hic omittendum, atque ad illud redeundum, unde digressi sumus.

Breves erimus in vita Gesneri enarranda, cum quod nimis modicus suarum rerum aestimator pene nihil de se scriptum *reliquit*, quod nos adiuvare possit, tum quod historiam suam texendam collegae nostro, suo et familiari et cognato, Hambergero demandavit. Non ergo tam, quid ei acciderit, sed potius, qualis fuerit, dicemus, in quo maiore utemur libertate et veritate, quod et ipse in hoc picturarum genere, in quo lumen umbra enitet magis atque nobilitatur, naevos etiam indicare solebat; idemque huic ex collegis, quo interprete funus suum indici ab Academia voluit, exstincto professore eloquentiae, nostro tanquam ore ac voce communi, moriens et permisit et ultro praecepit, ut candide ac libere sententiam diceret, ne dissimulatis quidem, si qua reprehendenda viderentur. Laudabimus, si quis alius ea moriatur sui conscientia, ut similia petere a collega, ne vivis quidem adulari solito, audeat.

†) Ingenio erat tali, qualem ex scriptis omnes norunt verae eruditionis studiosi: laboris enim licet patiens esset, horarumque iustus aestimator, earum maxime quae post coenam usque ad decimam effluunt, (has enim sibi eripi paulo ferebat aegrius,) monendi tamen sunt, qui ex solis eum scriptis norunt, non uni Gesnerum diligentiae, non tristiori laboris magnitudini multitudinive, non vigiliis, debuisse quae assequutus erat, sed multum vigori cuidam, et alacritati, et veritati naturae. Memoria non temnenda, sed tamen, ut in tanto et philologo et polyhistore, mediocris: quod quidem neutiquam in laude sibi ducebat, ut faciunt aliqui, quos ille placide ridere; sed maluisset plus et meminisse, et videri meminisse. Senescens eorum promte recordabatur, quae ipse egerat, senserat, invenerat: paratior illis oblivio, quae ab aliis intra ultimos XI annos audiverat, quod, qui de rebus eruditis colloquia cum ipso miscebant, intelligebant. Plus tamen, quam temere contingere solet, vel ultimis vitae diebus memoriae et harum rerum supererat: per-

†) Pag. 254.

multum per omnem, quo exstinctus est, diuturniorem morbum, alacritatis in commentando et iudicando de literis, in quibus consenuerat. De his quoties cum illo agebatur, cruda adhuc senectute et viridi, morbique incommodis carentem existimasses.

Duplicem maxime in eo admirari solebamus ingenii felicitatem: alteram, mollitiem illam mentis, qua tanquam cereus in verum flectebatur ab aliis inventum, nec aegre ferebat errorem sibi eximi, †) nihil habens tristis illius constantiae aut supercilii, quae in magnis viris non raro esse solent: alteram, quod qui per omnem vitam criticus fuisset, qua cum facultate diutius exercita raro coniungi poetica solet, ipse tamen poeta Latinus esset, idque senex etiam, nec arte, sed animi impetu. Exstant eius carmina, ex quibus illud forte pulcherrimum, spiritusque plenissimum poetici, quo, LV circiter annos natus, Regiopolitanis musis, nostro nomine, annum secularem gratulatus est. In qua facultate mirum erat et prope singulare, quod eum aliquoties narrare meminimus: cum enim ab

†) Pag. 255.

ce, quem diximus anno, sensim fortasse decrescens, anno LX. repente tota ei periisset gravissimo morbo, ex quo cum convaluisset, frustra tentabat vel unicum versum, non iam fundere, sed omnino pangere; eadem ei, aliquot post annis, sponte, nec minus inexspectato, quam perierat, rediit *).

Candidum in illo pectus, et ad amicitias iungendas, ut in homine tot distento laboribus, promtum. Valde in eos plus, quos doctrina, consiliis, obiurgationibus, commendationibus iuvans, de numerosa cognatorum familia egregie est meritus, quorum quidem non pauci, quod tales evaserunt, quales eos iam cognitos habent alii, Gesnero debent. Patrem diceres, non cognatum: adeo totus eorum erat, adfectu prorsus illo, quo in filios esse solemus, complexus, nec in admonendo auctoritatem patris, summa temperatam comitate, deponens. Sed et in aliis iustus aestimator ingeniorum, et fautor, ex cuius consuetudine †) multum proficerent iuvenes, si qui ea delectarentur: his enim sub-

*) Cf. supra pag. 50. FR.

†) Pag. 256.

cisivas horas non invidebat, liberaliter etiam, si scripta, quorum delectaretur elegantia, exasciari reprehendendo vellent. Sed hae reprehensiones aequae, nihil habentes supercilii, ac ne quidem severitatis. Neque id ita dictum volumus, ac si omnia vitiosa fuissent, ad quae subsistebat: sed sana etiam, atque aliquando pulcra notando in suspicionem adducebat. Statuerat enim, ut ipse dicere consueverat, si quis ipso arbitrio ingenii uteretur, in omni suspicione latitare; unde factum, ut, cum natura modestior cautiorque esset, aliquam solicitudinem et erroris inicerent grandia et pulcra, sed audaciam habentia paulo insolentiorem. Pleraque in his vitiosa, sed tamen aliquando et reprehendebat, quae in magna audacia nihil habebant aut obscuritatis aut temeritatis, nunquam aegre ferens, ac ne quidem apud animum suum clandestino suffragio damnans, si eius monitis non stetisses. Hac tamen in iudicando suspicione et religione evenit, ut et collegarum aliqui, ingenii et elegantiae laudem captantes, eius lima delectarentur. Superest poema saepe ab eo lectitatum, in quo cum auctor multa mu-

tasset addidissetque nova, sua Gesnerus manu, totum denuo relegens, in margine notavit, quid placuerit ex novis emendationibus, aut accessionibus, quid displicuerit. Fautorem ingeniorum diximus: magnorum, etiam in his, quos adversari sibi credebat, admirator fuit, ab omni invidia ita alienus, ut pene cogeretur hos amare, in quibus singulare quid existebat, quod vel ipse sibi putaret negatum.

†) Nihil omnino in animo truculenti. Mollia omnia, neque hoc ipsum, quod vix unquam magnis contingere virtutibus solet, omni vitio caruit. Melior enim erat in rebus per se gerendis, quam per alios, quippe quos in officio continere difficile ei esset, si monentem audire nollent: nimis etiam in his, quae literas non spectabant, cereus, et consiliis aut voluntati aliorum obtemperans. Quod ipse de se, si sibi superstes hac tristi scriptione defungi posset, scripturus videtur: saepe enim de hac nimia indulgentia, facile ignoscenda, conqueri apud amicos interiores solebat, malle se sequi alios, quam imperare, professus. Iniuriarum non patiens, sed qua-

†) Pag. 257.

lem existimares virum non ignavum, ea alacritate et contentione animi: post breve tamen morae intervallum, memor potius et conquerens, quam vindictae cupidus, atque vel in inimicitiis, postquam animus consedisset, bonus, unde nec difficilis in gratiam reditus.

Natura prorsus non suspiciosus, nec raro, (ipsius haec in se adcusatio,) suo damno nimium bonus. Opus aliquando habuit, ab amicis moneri, ne iterum periuro, quem truculentia vultus deiectique oculi signarent, credere sustineret: admonitionem admisit, damnavit quod credidisset, sed nimiam ingenii bonitatem honestam et veram erroris adcusationem attulit *). Non hoc commendaret alium: sed laudi maximae est viro, in quo acumen animi nemo desideraverit. Erat, cum suspiciosior videri posset non familiaribus, hisque ipsis, de quibus aliquid suspicaretur. Sed et hic nimia illa indolis bonitas adcusanda. Iam enim aliis †) crediderat, quos malos esse, aut a malis id audiisse, non

*) Cf. supra pag. 73. FR.

†) Pag. 258.

suspicabatur, cuius generis delatores ad viros optimos adspirare solent: iam non a malis quidem, sed tamen a suspicacibus, quos prudentes esse norat, abripiebatur: aliquando et ab his, quibus fidebat, deceptus, fraudis recordatione dubius, iudicare sibi non permittebat, ubi nihil intuti, nullus timori locus erat. Haec ubi non accidebant, Gesnerus erat, id vero est, vir valde bonus.

Consuetudo iucunda, quippe quam omni eruditionis variae, sed nec laboratae nec molestae, ingeniique praeterea ac iocorum sale condiret, ac fronte laeta exhilararet. Nihil arrogantiae: contra naturalis quaedam modestia, ac prope iniqua de se dubitatio, qua mediocres sibi aequabat, alios, in quibus aliquid maioris erat indolis, praeferebat, atque inter aequales ipse sibi quodammodo inferior videbatur. Mores ad elegantiam usque comti, non quidem ut studium exsisteret, factumque illud et calamistratum, quod viri tam docti, et vero senis, personae insolentius paulo sedisset, sed tamen, ut mirarere, hominem, per maximam vitae partem in scholis versatum, nihil contraxisse sordis schola-

sticae. Sed formaverat eum summorum virorum familiaritas, ut, cum Weimariae degeret, Friderici Gothilf Mareschalli de Greif, supremi aulae mareschalli: aliquid forte addiderat Lipsia: nec parum hac parte Goettingae debuit, ubi se denuo, ut erat ductili ingenio, ad eorum exemplum composuit, qui eius consuetudine delectabantur, quos inter Illustrissimus Hardenbergius, †) consiliarius Regis intimus, aliique principes in toga sagaque *) viri. Quibus rebus universis factum est, ut non studio animique aliqua intentione, sed natura, hos mores assequutus videretur. Nec parum illis ornamenti addebat corporis honor ac dignitas, quibus ne septuagenarium quidem aut senecta exuere aut morbus potuit.

Graecae Latinaeque doctrinae, in qua ha-

†) Pag. 259.

*) Quod *sagam* hic habemus pro *sago*, id vehementer vereor ne typothetae (vid. pag. 275. Hal.) potius quam scriptori tribuendum sit. Sed si ipse Michaelis formam istam parum probabilem posuit, hoc certe non dubitandum videtur, quin Gesnerus, si haec potuisset legere, collegae rationem hoc quidem loco nequaquam laudaturus fuisset. FR.

bitabat, quid praestiterit, dictu non est necessarium. Ex reliquiis tamen eius scriptis plurimum latentis antea veri, atque summa diligentia perpurgati, illae habent commentationes, quas Societati Regiae Scientiarum recitavit, cui ille collegio debet, quod et occasionem habuit, de argumentis quibusdam dubiis singulatim meditata, quae maioris libri pretium haberent, non molem, atque hac una culpa peritura videbantur, in commentariis Societatis evulgandi: deinde quod et coegit eum, scrinia excutere, quicquid illo consessu digna arbitrabatur, ornare ac prorsus perficere. Ipse tamen si quos suos libros reliquis impensius amabat, hi fere erant, quibus Lucianum iuvenis, et Orphica carmina senex, atque etiam moribundus, polivit. His enim vere immortuus. Diu illa adamaverat, qui amor commentationibus quibusdam, Societati Regiae praelectis, sensim crevit, ut amico ante triennium identidem hortanti, Horatio finito Virgilium tractandum susciperet, senectutis excusatione id quodammodo negaret; nec enim sibi satis temporis superesse, quod autem supersit, id totum Orphicis destinasse.

Cuius voti compos factus est. Vacationem enim scholarum per aliquot †) ei menses indixit diuturnior quam acrior novissima valetudo, per quam lecto adfixus, miro studio Orphica perpolivit, perfecit, ut nihil praeter praefationem desideretur, quam eius iussu ac nomine, exque eius schedis, addet collega noster, Hambergerus. Thesaurum Latinitatis quis ignorat? multi laboris, lectionis, doctrinae opus: in quo si qui desiderarunt, quae deesse non negabat Gesnerus, plus tamen, quam temere suscipiat alius, praestitit. Haec vero ipsa desideria, nec placide exposita, deinde dicemus, quo animo tulerit, nempe ut adpareret, nihil in eo fuisse fastus illius critici, cuius exemplum Salmasius proponi solet, eruditione, (nisi illam confusa aestimes lectione,) ingenio, gustu, ac meritis, nunquam Gesnero comparandus.

Nec vero in hac una ingenium se tantum abdiderat eruditionis parte: verus erat, sed sine nomine, polyhistor; nomen enim raro in Conringiis, plerumque in ventosis haerere hominibus solet, quibus adulatores fortuna

†) Pag. 260.

locupsior tribuit. Plerasque Europae linguas ita didicerat, ut libros illis scriptos legeret; quibus et mire variarum rerum cognitione augebatur, et gustus elegantiam perficiebat, ab illo partium studio alienus, quod saepe Romanorum Graecorumque monumentorum perpetuos lectores, tanquam alia scabies scholastica, occupat. Ab amico, cui magna cum illo et studiorum coniunctio, et conspiratio sententiarum intercedebat, interrogatus, de nostris poetis quid sentiret? optimisne veterum optimos nostros praeferret, aequipararet, postponeret? †) post aliquantulam ad deliberandum haesitationem respondit: si fas sit, poetas ex diverso genere comparare, recentiorum se optimos, ut Hallerum, Virgiliis Homerisque praeferre *).

Linguarum Orientis ita peritus, ut pauci eorum, qui eas in Academiis profitentur: nec ulli Germaniae Academiae vel hac parte, modo eam suscipere voluisset, non honorificus futurus erat. Arabicae quoque et Aethio-

†) Pag. 261.

*) Vid. supra pag. 170. sq. FR.

picae linguae peritiam nostris Athenis, licet utramque non doceret, primus tamen intulit, habuitque diu solus.

Historiae omnis avidus, id vero est, peritus, ut vel novis eam inventis ditarit, et quae obiter de Russici imperii historia egerat *), Petropolitani, tanquam notatu digna, nec vulgata, sua facerent, suisque literis describerent **). Naturae quoque studiosus, illiusque maxime partis, quam ab historia naturali seiunctam proprio nomine physicam appellamus, ita peritus, ut nec recentiorum eum inventa fugerent, deque periculis physicis et bene iudicaret, et auctor eorum aliis esset, monens, quid potissimum interrogare naturam deberent. Sed haec forte peritia Gesneri senioris iam ac nostri erat: hic enim et familiari Segneri consuetudine, et aliorum amicitia, et Societate Regia Scientiarum invitante, et vero filium habens generumque

*) In relationum de libris novis fasciculo IX. §. 9. inque programmate, quo anno 1755. orationes indixit die natali Augustissimae Russorum Imperatricis habendas.

**) Cf. supra pag. 46. FR.

nactus medicos, plus naturae †) attendisse videtur, quam antea facere potuerat. Naturalis historiae ex antiquis memor, non pauca iis recentiorum inventa addiderat, eaque et horum avidus erat, tum alias ob causas, tum quod multiplici mendacii crimine veteres absolverat recentiorum diligentia, ubi imperitiae nunc vulgo male audiunt. Sed tamen ad has naturae partes nimis sero accessit, quod iure suo excusare poterat, earum temporum infelicitate, quibus iuvenis fuerat. Nullus enim tum Linnaeus, nec in Germania, qui nunc est, aut honor naturali historiae, aut facilitas eam ratione ac via discendi. Hoc si aliter accidisset, forte non fuisset, quod in eius Thesauro Latinitatis desideraret acer ac prope iracundus eius censor. Sunt nempe Latina historiae naturalis nomina innumera, praesertim in Plinii scriptis, quibus thesaurorum et vocabulariorum conditores, aut nullas aut falsas versiones Germanicas subiecerunt: a quibus erroribus si quis thesaurum Latinitatis repurget, addatque praeterea artis vocabula recentiorum, ac definitiones Linnaeanas, aut

†) Pag. 262.

alias; nae illi multum debebunt et Latinitatis et naturae studiosi *). Sed neutrum horum suscipere Gesnerus voluit; errores tamen aliorum plerumque instituti ratione vitavit, quod nomina Germanica omnino nulla adderet. Quod cum aegerrime ferret eruditissimus Popewitschius **), nec mollibus a Gesnero verbis exigeret, quem ille non promiserat nomenclatorem; humanissime, ac sine omni exasperati animi indicio, invitavit obiurgatorem, †) ut laborem tam utilem ipse susciperet, idque ubi Goettingae facere luberet, quidquid in se inque bibliotheca academica opis esset, promisit.

Latinae eloquentiae praeceptorem meliorem optare Georgia Augusta nequit potuisset. Genus dictionis planum, aequabile, castum, expressum, nitens, sale aliquo et iocis, sed timidiuscule, conspersum: florum nec prodigum nec dives, illius pulcritudinis, in qua

*) Vid. supra pag. 207. sqq. de hac re bene, ut solet, disputantem Niclasium. FR.

**) In *Untersuchungen von dem Meer*, pag. 330—334.

†) Pag. 263.

vehementioris aliquid inest spiritus, parum habens, vitiosi autem sanguinis omnino nihil. Quo tutius erat iuvenibus, Gesnerum imitari; a quo eximia multa, incorruptam maxime sermonis puritatem discere possent, nihil unquam, quod dediscendum esset. Abhorrebat autem ab illo puritatis studio, quod artem nimiam, quod supercilium criticum olet; unde timide reprehendebat phrases, quarum auctoritas non succurrebat, memor, sibi accidere posse, quod acciderat aliis, ut Latinissima damnarent. Valde autem displicebant ei aliqui, eleganti̧us Latina lingua uti crediti, qui, neglectis veteribus, recentiores imitabantur: quem Latinismum disputantium iocose dicere solebat. De Heineccii libro quid senserit, et saepe amicis indicabat, si quorum Latinitatem probaret: et dicet, post fata, in praefatione novae editioni praemissa.

Programmata, quae communi Academiae nomine scripsit, semper habebant aliquid aut salis, aut eruditionis, aut inexspectati, quod ad legendum alliceret: eo, quibus collegis parentatus est, vera, et expressa, et naevos virtutibus miscente imagine mortui vivos de-

lectabant, in quibus mire †) illud *medium tenere* noverat, quod benevolentiam inter et adulationem aut laudationem interest. Non illae imagines poetae, tanquam stilo ductae, non, ut picturis eas comparemus, sanguinis et vitae tantum habebant, ut aliquid demere tempus sine iniuria posset, sed verae erant, sed facile agnoscendae, hacque una veritate mirifice placebant. Orator perfectus, qualem Cicero descripsit, non erat, quod partim illi, quam saepe laudavimus, dandum ingenii moderationi, ab omni adfectuum truculentia retenti, partim diuturnae docendi consuetudini, quae impetum et vim oratoris premit, numque cogit, erudiendis auditoribus, nonnumquam subsistere, ubi vox oratoris, adfectibus illa imperatura, nullis ipsa fraenis coërcetur. Sed et in Academiis raro oratore opus habemus, et forte omnino nullus vero oratori, qualem antiqui informarunt, locus, nisi in libera republica *), ubi dictis regit animos. Ex cathedra qui honoris et consuetudinis caussa verba faciunt,

†) Pag. 264.

*) Cf. supra pag. 181. FR.

sintne commentantium philosophorum an oratorum similiores, cum re ipsa medii sint inter utrosque, non multum refert.

De Germanicae linguae sinceritate et copia bene merendi occasionem ei dedit Societas, quae hic coiit, Teutonica, cuius, ab ipso inde initio, praeses fuit. In qua patriae lingua, cum se iam senior ad optima formaret et recentissima exempla, nec eum puderet, multo imitari iuniores, modo illos Germaniae probari intelligeret, adparuit, quam supra laudavimus, mollities, ac docilitas ingenii, nihil habens supercilii eruditi. Ultro enim †) amicis fatebatur, intra illud, quod vixerat, tempus, mire mutatam linguam Germanicam, nec esse, cur eam mutationis poeniteat; vix autem se sperare, recentioris se linguae eam adsequuturum facultatem, ad quam eniti potuisset, si XXX aut XL annis serius sortem nascendi habuisset. Verum hac modestia, eiusque, quod pulcrum natura esset, admiratione et imitatione, id ipsum pene adsequutus est, quod desperabat: lingua patria commode et eleganter in scriptis utens,

†) Pag. 265.

nec vetere illâ, incomta, et tamen laciniis peregrini coloris ridicule varia, sed qualem hi, quos nasci Gesnerus vidit, repurgarunt. Poësin Germanicam ipse vix attigit *), delectabatur tamen ea, et recte gustu aliquo iudicabat. Displicebant mediocria Hallerianae Musae admiratori: sed eidem perquam molesti, qui invita natura, maiore certe arte quam ingenii impetu, iam Hallerum imitari, iam Miltonum audent. Carminibus hexametris, quibus pene obruimur, non eum delectatum esse, vix opus dictu, nisi auctoritas eius momentum habitura videretur. Latinis enim poetis adsuetae aures non potuerunt non aegre ferre eorum versuum claudicationem, qui iam caesura neglecta, iam syllabis longis pro brevibus, brevibus pro longis positis, iam et pedibus male numeratis, hexametros mentiuntur **). Excipiebat tamen

*) Cf. supra pag. 167. FR.

**) Ne tum quidem, sed quod minus mireris, deerant, in quos caderet, quod de maioribus etiam poetis postea exorientibus dictum est lepido hoc disticho:

In Iena und Weimar macht man Hexameter, wie der;
Aber der Pentameter ist noch weit abscheulicher.

Pro *mentiuntur* scribendum puto *metiuntur*. FR.

unius iuvenis carmina, praeclarum minantis poetam, qui Societati Teutonicae adscriptus saepe ei hexametros, et vel Gesneri auribus dignos recitavit. Huic ergo rei exemplo credebat, non ineptam esse linguam Germanicam carminum †) generi, quod plerique parum tentarunt feliciter, sive quod Latinorum lectione aures non formassent, Graecorum vero etiam appellatione prava, accentibus syllabas dimetiente, (quamquam haec culpa rarius adcusanda,) corrupissent, sive quod cito admiratores nacti, iustis et peritis censoribus caruissent. Quae quidem ei caussa, saepe a scriptoribus ephemeridum nostrarum eruditarum, quos eadem secum de his carminibus sentire norat, petendi, libere dicerent sententiam, reprehensionibusque modestis ingenia acuerent.

De optima scholarum ratione, et melius erudiendis pueris, quae philosophatus est diuturno usu oculatior Gesnerus, digna habita sunt Senatui Regio supremo, quae has per terras legum nomen haberent. Aliter de illis visum non paucis, scholarum maxime magi-

†) Pag. 266.

stris: quam litem huius non est scriptionis dirimere. Munus etiam illi demandatum inspectoris scholarum, quod eo pertinebat, ut civitates, quarum munificentia scholae conditae sunt, consiliis iuvaret, quoties eorum egere sibi viderentur. Haec tamen unica pars muneris erat, in qua sibi minus satis faciebat, quod scholae tales non essent, quales animo conceperat, essetque semper ad dandum consilia paratior, quam alii ad petendum. Idem seminario philologico praefectus, bonos ac prudentes scholarum magistros formare studuit, nec civibus tantum suis, sed et exteris, qui saepe ab eo et petierunt, quorum disciplinae carissima pignora committerent, gratiasque multas egerunt, quod vires ipsis artibus et doctrinis scholasticis instructissimos commendasset.

†) Bibliothecae academicae ita praefuit, ut maximas hac parte gratias mereatur. Namque et curavit, ut hac supellectile instructissima quam liberrime uti nostri possent, quorum nemini, probabilia petenti, difficilis fuit Gesnerus: et morum suavitate, ac varie-

†) Pag. 267.

tate doctrinae exteros bibliothecam invisentes, ut solent illi ex bibliothecario de Academia coniecturam facere, amicos nostris Athenis dimittere solebat, id certe intelligentes, non morum aliquam obsoletam tristitiam in honore apud nos esse, indiciumve haberi eruditionis.

Philosophiam non solum magni faciebat, sed et crebro philosophabatur, nullis addictus partibus, sed suus. A profitenda theologia, cuius rei occasio non defutura erat philosopho sacrarum literarum peritissimo, per omnem vitam abstinuit, quod de nonnullis aliter paullo sentiret, quam aut sentiunt ex theologis severiores, aut sentire eos Gesnerus putaret. De bonorum enim inter Romanos, Graecos, Moslemos, aliosque populos evangelio non collustratos, salute, prolixius sperabat: ad summi numinis bonitatem et sapientiam referens, quod aliquam illi populi, confictam quidem a mortalibus, sed tamen religionem Dei habuerunt, quae bonos in hac vita quodammodo redderet, inque futura divinae eos misericordiae commendaret. Nec tamen ideo omnibus sectis aequus, aut

naturalis religionis admirator: his potius, qui Christianam doctrinam convellere allaborant, graviter irascebatur, ut communis felicitatis hostibus, eo iam, quam olim, pestilentioribus, quod recentior aut philosophia †) aut consuetudo gloriae stimulos, tam Graecis Romanisque acres, obtudisset, ut demto numinis timore vix boni cives futuri videamur. Ratiociniis, quibus divinitatem doctrinae Christianae defendimus, minus tribuebat, quam solent, qui in theologia philosophantur, ruinas aliquas suspicans; quapropter et aegre ferebat, examen religionis commendari, eaque, quae credi volebat ab auditoribus Christianis, et ab eorum doctoribus sumi animisque et adfectibus adhiberi, tamquam dubia essent, ex cathedra sacra argumentis confirmare; fluctuationi enim id dare occasionem. Est certe in his rebus modus aliquis, quem, qui migrant, nemini cordato probabuntur: sed tamen videbatur Gesnerus, ut alii ultra, ita ille citra hunc modum consistere velle. Qua de re cum amicis, quos diuturna consuetudine habebat exploratos, fa-

†) Pag. 268.

miliarius disputans, eosque contradicentes placide audiens, videbatur nonnunquam re proxime abesse, licet verbis non iisdem uteretur, ab eorum, (nec pauci illi sunt,) theologorum sententia, qui argumentis pro veritate religionis Christianae nihil praeter veri similitudinem relinquunt; vim cogendi ad adsentiendum ac certitudinem exploratam negant, soli eam tribuunt testimonio Spiritus Sancti, idque totum gustus esse volunt ac sensus interni, non ratiocinii. Interrogatus enim ab his, quos vix quidquam celaturus videbatur, possetne ipsi satis certa videri Christi doctrina, argumentis non cogentibus? suo se illam gustui ac sensui credere, respondit; namque et alias plurimum ex ea solatii percepisse, et cum anno 1751. †) gravissima ex valetudine moriturus sibi omnino videretur, tam placide animum in ea acquievisse, ut Deo auctori credat tuta hic omnia et vera esse. Saepe et addebat, maxime cum de recentioribus quibusdam theologorum litibus sermo incidisset, de quibus quid senserit facile existimatu, eam sibi displicere

†) Pag. 269.

religionem, quae multum habeat ratiocinii, sitque enthusiasmo vacua, quo tamen nomine non illam intelligebat amentiam, quam fanaticam theologi proprie dicunt, sed partim adfectus vehementiores, quibus nostrum nobis non satis conscii abripimur, partim illud ipsum, quod testimonium Spiritus Sancti internum theologi, quodque, Augustini vocabulo, gratiam dicunt.

Natus Gesnerus die IX. Aprilis, anno 1691., in Franconiae oppido ignobili ditionis Onoldinae, cui *Roth* nomen: patre Ioanne Samuele, qui gregi Christiano praeerat. Habueritne in maioribus Conradum Gesnerum, nullo indicio constat: nec imaginum egebat noster, posteris imago futurus. Sed tamen Conradi eum Gesneri familia honoris caussa quodammodo adscivit, sibique vindicavit, usu sigilli Gesneriani ipsi concesso. Patrem intra annum decimum quartum amisit, quod forte eo pertinuit, ut magis emergeret tantum ingenium: qui enim patri in toro successit, Ioannes Zuckermantel, singulari illud cura atque indulgentia fovit ac formavit. Sed maiores etiam gratiae habendae, Onols-

bacensis Gymnasii Rectori, Georgio Nicolao Koehlero, invidendo prope praeceptori, qui ludentem pene Gesnerum, praeter Graecam †) et Latinam, linguis Orientalibus omnibus, quae Hebraicae cognatae sunt; et plerisque Europaeis, adsuefecit, ac praeclara indole delectatus Graecis, nullo vocum interstitio scriptis, exercuit, qui primus Gesnero gradus ad intelligenda marmora veterum. Molliter vero cubent ossa, sitque nomen immortale viri, in Gesnero de Germania praeclare meriti! Ienam adiit anno 1710. theologiae discendae caussa: Dantzii maxime et Buddei auditor, huius etiam domesticus et familiaris, utpote qui filium illi crediderat. Ab anno 1715. Vinariensi Gymnasio praefuit, quod tempus ei dulce fecit consuetudo familiarior, eius, de quo supra diximus, Mareschalli de Greif. Demandabatur et cura instructissimae bibliothecae: quam sibi eripi, mortuo Serenissimo Duce, Wilhelmo Ernesto, aegre tulit. Nec quidem excedere ea iussus, quasi officio non satisfecisset Gesnerus, aut melior eo bibliothecarius suppeteret; sed quod

†) Pag. 270.

molestum id fore intelligeretur patrono Gesneri, Mareschallo *). Iam displicere Vinaria, hac supellectile eruditionis destituto: quique antea nimium gratus Heilbrunensis, Gothanus, Dresdensis fieri recusaverat, anno 1728. Onolsbacense Gymnasium regendum suscepit. Sed haec illum patria non diu habuit, anno enim 1730. Lipsiam, Scholae Thomanae Rector, petiit. Fuit haec altera dulcedine et amicitiis patria, cuius iucunde per omnem vitam recordabatur: nec tamen vel illa diu tenere potuit, quem Lipsiae nostra Academia, anno 1724. nascens, eripuit. Goettinga autem iterum divelli non potuit; licet non deessent, †) qui Gesnerum suum cuperent. Solicitavit quidem animum, ut saepe fateri amicis solebat, oblatum munus directoris scholarum per terras Borussicas et Brandenburgicas universarum, in quo non stipendiorum spectabat magnitudinem, sed quod de eruditione ac literis egregie mereri posse sperabat. Vicit tamen Goettingensium musarum amor. Nec vero, ex quo noster fuit,

*) Cf. supra pag. 153. sq. FR.

†) Pag. 271.

id modo, quod promiserat, sed et multa ultra debitum Academiae nostrae praestitit; in quibus maximum, quod consiliis eam iuvit, quoties ab Illustrissimo Muenchhusio, (cuius nomen posteri fortassis pro Maecenate ponent,) sententiam rogaretur. Quod quidem ob spectatam prudentiam viri atque integritatem frequentius factum, ut nec invidia caruerit. Cum anno 1751. Regia conderetur, praeside Hallero, Scientiarum Societas, classi historicae collega ordinarius adscriptus est; mox etiam, patriam repetente praeside, director ab anno 1753. semestris, alternis enim VI mensibus Hollmannus Societatem moderabatur. Hoc etiam cum munus Hollmannus deprecaretur, peteretque sodalitii missionem, solus Gesnerus ab initio huius, quo mortuus est, anni, directoris perpetui nomine, Societati praefectus est. Consiliarii aulici dignitatem ab anno inde 1756. habuit, honoris significationem, non munus. In coniugio cum Elisabeta Charitate Eberhardia, cuius funus vix ante IX menses indiximus, per XLII annos vixit, quam cum impense amaret magnique faceret, tamen non doluit rebus

mortalibus ante se eripi, destitui quam destituere †) malens *), ut vel ab amicis peteret, si cito uxorem sequeretur, nollent se ex moerore mortuum existimare; nec enim esse tam impudentem, ut conquereretur, quod sibi non superstites ac sola remaneret, qua tot per annos frui potuisset. Ex quo coniugio duo illi liberi, Carolus Philippus, Augustissimo Poloniae Regi a consiliis aulicis, curaque valetudinis, natus VI. Sept. 1719., et Christiana Elisabeta, nupsit filia Ioanni Iacobo Hubero, Consiliario aulico et archiatro Serenissimi Hassiae Landgravii: ex quo coniugio, cum plures habuit posteros, tum vero neptem, Ioannam Christianam Huberiam, domi suae pro filia, et si quid charius dici potest, educavit, ipse iterum, ut antea in filio filiaque, in ea experimentum capiens suorum philosophematum de educatione liberorum, ipse theologiae, morum, omnisque literarum elegantiae praeceptor diligentissimus. Bellum, quod ab anno 1757. his terris incubuit, non nimium Gesnero timoris, mi-

†) Pag. 272.

*) Cf. supra pag. 63. FR.

nus etiam noxae attulit. Nec studia turbata, nec animi hilaritas. Familiaris esse coepit Gallorum ducibus, duumviris praecipue, quorum humanitati obstricta Academia grata mente memoriam recolet, Orlickio Comiti, atque equiti de Muy. Contigit etiam ei anno superiore, mense Septembri Academiae nomine adire, regio sanguine prognatum Xaverium, non procul hinc castra habentem, qui eum indulgentissime excepit, deprecationibusque pro Academiae otio ac tranquillitate annuit. Sed tamen ex illo itinere magis iam invalidam reportavit senectam, †) nec redire in gratiam cum valetudine potuit, ut aëris sibi inclementiam, cuius expositus flumini *) per aliquot horas fuerat, nocuisse crederet: cuius excusatione usus paulo post mense Novembri alteram legationem ad imperatorem Gallici exercitus deprecabatur. Novam spem vernum tempus attulit: ac ne fesso corpori, ambulationibusque iam inepto, exercitatio deesset, dux copiarum Gallicarum, cui summa belli gerendi urbiumque muniendarum peritia magnum in Germania nomen fecit, Illustris-

†) Pag. 273. *) Vid. supr. pag. 36. FR.

simus Comes de Vaux, equos Gesnero suos et pilentum humanissime concessit. Magnum eo tempore beneficium, quo equis careremus: usus etiam noster, quoties sol paulo benignior invitaret. Interea sensim morbus ac pene sine sensu serpere, totum corpus macie confici, vultus expallescere ac fieri Hippocraticus *), ut noster ridens etiam, ut erat animo adhuc integro et hilari, amicis narraret, in speculo se sibi Philippum Melanchthonem **) contueri visum. Nec vitam desperabat longiorem, licet mortem non expavesce-

*) *Hippocraticum* vultum dixit pro *cadaveroso*, pro quo apud Terentium Hec. III, 6, 27. est *facies cadaverosa:* ad quem locum vide Schmiederum et, quem sequor, Bothium (in ed. Halberstad.) Cadaverosam faciem (*πρόσωπον νεκρῶδες* Galen.) Hippocrates Coac. Praenot. 212. pag. 152. ed. Francof. a. 1624. (pag. 121. ed. Ludovic. Dureti) descripsit his verbis: *Γένοιτο δ' ἂν τοιοῦτον· ὀφθαλμοὶ κοῖλοι, ῥὶς ὀξεῖα, κρόταφοι συμπεπτωκότες, ὦτα ψυχρὰ καὶ συνεσταλμένα, δέρμα σκληρὸν, χρῶμα ὠχρὸν ἢ μέλαν· πελιαινόμενον δὲ τουτέοισι βλέφαρον ἢ χεῖλος ἢ ῥὶς, συντόμως θανάσιμον.* Haec deus medicorum. Atque accurata hac descriptione factum est, ut ipsa facies nominaretur *Hippocratica*. FR.

**) Cui subtile admodum corpus esset et quod nulla mole carnium gravaretur. FR.

ret: quam ubi instare ei denuntiavi, qui hoc extremo parentandi officio, nomine Academiae, fungor, subsistens paulo animumque colligens, *Ego vero*, inquit, *paratus sum mori. Quae cum Deo agenda, non in hoc tempus distuli, pleraque meis, quae fieri volo, praecepi: addam reliqua.* Haec quidem ille per biduum placide expediebat, ut nullo turbari mortis metu ac ne perstringi quidem videretur. Haerent pectori haerebuntque vultus ac verba moribundi. Placida omnia. Philosophum videres morientem, †) atque illuc migrantem, ubi philosophiae obscura et nova intelligeret esse omnia: sed Christianum.

Morbi historiam Illustris Richterus ita descripsit:

„Sequitur uxorem maritus intra annum, „et cum eadem in aeternis beatarum animarum sedibus iterum coniunctus, pace fruitur a nostris finibus iam aliena. Ardentius „quidem nihil fuit nostris pro salute eius „votis, in quae etiam consensuram esse fati „vocem laeti ominabamur; verum divinos

†) Pag. 274.

„oculos, qui, quidquid e re singulorum est, „penitius inspiciunt, nulla ut latuerunt verae „salubritatis momenta, ita, qualia essent, „inter sanctiores providentiae vias didicimus. „Quid opus erat, eximium Virum, omnia „solidae laudis spatia emensum, et apud „nos nunquam post tot ingenii et doctrinae „monimenta moriturum, inter illa adhuc „languoris senilis taedia et crescentes passim „temporum calamitates vitam hanc vel po„tius vitae umbram protrahere? Corpus ipsi „fuit per plures annos satis robustum et illa „animi ministeria, quae in fervente littera„torum opere requiruntur, mirabili fide et „virium constantia sustentare solitum; at lu„brica nimis tanti boni in se nunquam dura„bilis possessio est. Iam Lipsiae e gravissi„mo morbo, qui in summas ipsum angustias „redegerat, non nisi aegre eluctatus fuit. „Apud nos vero illibata valetudine gaudere „visus est, quae consueta negotia tam ampla, „continua, fortissimosque humeros fatigan„tia, nunquam molestis illis monitis, ut par„cere sibi inciperet, interpellavit. Duo ta„men circiter elapsa sunt lustra, cum acutio-

„ris iterum morbi insidiae †) corriperent i-
„psum et tantum non opprimerent. Tali
„suppetias cum coniunctissimo tum temporis
„collega, Io. Andr. Segnero, cuius nobis me-
„moria in perpetuo honore est; copiam si-
„mul consilii absens praebuit illustris Werl-
„hofius. Non abnuit consiliis nostris ac vo-
„tis divina gratia, morboque ab interno vi-
„scerum fonte sensim ad extremas partes de-
„saeviendi pacem indixit. Ab eo tempore
„noster paulo pro ratione invalescentis aeta-
„tis valuit languidius, sed non infra mensu-
„ram virium, quibus ad bene de nobis ulte-
„rius merendum indiguit. Pedes saepe in-
„terni vitii sub externo tumore erysipelatoso
„decubitum sustinuerunt, cuius per interval-
„la intro redundans iniuria officinam corru-
„pit coctionis, et legem ac praesidia natura-
„lium excretionum multum pervertit. Huc
„diarrhoeas refero, in hac immunditie aëris
„ac victus per bellum nata crebriores mali-
„gnioresque, et debilioribus maxime sub acri
„partium harum ac vicinarum erosione ipsa-
„que nervorum intestinalium paralysi fune-

†) Pag. 275.

„stas. Domus subinde vix fuit, quae non „has mali moris diarrhoeas vel experta*) es„set, vel formidaret, et inter tot tristia pere„untium exempla perhorresceret. Noster „cum vario gradu malorum huius generis „colluctatus meoque usus consilio, quin et „illustrium virorum, filii generique per litte„ras, animo tamen ad omnem eventum aeque „composito, spem concepit aluitque fore, „ut et illa, quae passim minaretur, periculi „nubes transiret. Nempe vigebant adhuc „sub his, quorum usum admisit, coctionum „praesidia et capitis †) pectorisque officia, „quasi tam sanctis doctrinae et virtutis sedi„bus ipse morbus vim inferre refugeret, „quin et corruptelae, in vias abdominales et „alvinas redundare solitae, ad aliquam cor„rectionis spem et pacatioris excretionis „normam revocari videbantur. Quorum cum „constans fides, crescente paulatim interna „labe, non esset, miratus sum saepe constan-

*) Scriptum erat *excerpta*, sine ullo sensu. Simili typothetae oscitatione pag. super. legebatur *sustinerunt*, item *reosione* pro *erosione*. FR.

†) Pag. 276.

„tiam animi, etiam sub obitu dilectissimae „coniugis inconcussam, et in placidissima il- „la futurorum expectatione omnibus aeque mi- „rabilem. Progressa vis morbi per cunicu- „los antea latentiores sub finem mensis Iulii „erupit violentius, cum erosae iam viae san- „guinis copiam sub ingenti prostratione vi- „rium effunderent, et aperta nunc luculen- „tius ora fistulae opus eructarent; omnia „ultro et sine nixu elaberentur, quin et ipsa „vicina circa pelvim loca in mutae noxae „communionem transirent. His ultra susti- „nendis impar vir optimus et iam perpetuis „animi cum Deo colloquiis immersus mane „die III. Aug. placida morte succubuit, non „sine communi luctu omnium, qui quanta „clades litteris obitu hoc illata sit, aestimare „norunt.

„*Quidquid doctorum est, ceu domus una, dolet.*“

Ossa conquiescunt in templo academico. Animus immortalis illuc evolavit, quo corpore adhuc conclusus placide prospectabat. P. P. a. d. XI. Nov. MDCCLXI.

INDEX OPERUM
IO. MATTH. GESNERI *)

1. Diss. de aetate et auctore dial. Lucianei, qui Philopatris inscribitur. Ienae 1714. 4. Praemissa eadem est Philopatridi dial. Lucian. Retractata, aucta [vel nova potius de eodem argumento] publiceque disputata Lips. 1730. 4. Retractata iterum et castigata Gotting. 1741. Adiuncta Luciano Amstelod. 1743. 4. (Tom. III. pag. 708—739.)
2. Philopatris, Dialogus Lucianeus. Disputationes de illius aetate et auctore praemisit, versionem ac notas adiecit *etc.* Ienae 1715. 8.
3. Institutiones rei scholasticae; accessit praefatio Ioh. Franc. Buddei. Ienae 1715. 8.
4. De annis ludisque saecularibus veterum Romanorum commentatio. Vinariae 1717. 4.
5. Chrestomathia Ciceroniana, oder: Auserlesene Stellen aus den Schriften M. Tullii Ciceronis, nach den besten Ausgaben Gruteri, Graevii u. Gronovii recensiret, an unterschiedenen Orten verbessert, mit ausfuehrl. Anmerkungen und einer Erzaehlung von dem Leben Ciceronis, wie auch einem Register versehen. Weimar und Iena 1717. 8. Saepe repetita est huius lib. ed. nunquam non auctior et emendatior: Ienae 1733. 8. ibid. 1740. 8. Lips. 1742.

*) De his operibus dignissima est quae legatur Eyringii *descriptio operum I. M. Gesneri* in Biogr. Acad. Gott. Vol. III. pag. 287. sqq.

8. Lips. et Cellis 1753. 8. idid. 176.. 8. ibid. 1775. 8. (cur. I. F. Fischer.)

6. Chrestomathia Pliniana, oder: Auserlesene Stellen aus C. Plin. Secundi Historia Naturali, nach den besten Editionen Harduini und Ioh. Fried. Gronovii recensiret, hin und wieder verbessert und weitlaeuftig erklaeret, auch mit einem Register versehen. Iena 1723. 8. ebend. 1738. 8. Celle 1753. 8. ebend. 176.. 8. Neue und in Ansehung des Teutschen Ausdrucks verbesserte Ausgabe, Leipzig 1776. 8.

7. Gratulatio ad Seren. Wilh. Ernestum, de Bibliotheca Vinariensi, speciatim qua Schurzfleischiana fuit. Vinar. 1723. 4. (Etiam in Gesneri Opusculis min. Tom. V. pag. 3.)

8. Vita Sophiae Elisabethae, e gente Schwarzenfelsia, in matrimonio Frid. Gotthilf Marschalli dicti Greiff, a. d. 30. Dec. 1724. mortuae. ibid. 1724. 8. (Repet. in Gesneri Opusc. Tom. VII. pag. 334. sqq. et in I. C. Fischeri Misc. politioris humanitatis, Ienae 1738. 4.)

9. Medulla Graecae linguae sacra, naturali ordine omnia Novi Testamenti vocabula repraesentans; praemissis Graece legendi rudimentis, olim edita a Matthia Frider. Muellero, Eccles. Mellingensis Pastore et Vinar. Superint. Adiuncto, iam recensita et anomalorum catalogo aucta a I. M. Gesnero. Ienae 1724. 8.

10. Basilii Fabri Sorani Thesaurus eruditionis scholasticae, omnium usui et disciplinis omnibus accommodatus; post celeberrimorum virorum, Buchneri, Cellarii, Graevii operas et adnotationes, et multiplices Andreae Stuebelii curas, recensitus, emendatus, locupletatus *etc.* Lips. 1726. Fol. Iterum recensi-

tus, emendatus, locupletatus; accessit primum, hac editione, verborum et formularum interpretatio Gallica. Lips. 1735. Fol. ibid. 1749. Fol. „Cui „tertiae tamen libri, nomine suo insignitis, repe„tioni manum non admovit, quin reprobavit eam et „ut multa in ea aliter essent instituta et immutata, „non semel optavit." Eyring.

11. Epistola de Probi cognomine, Serenissimo Principi, Wilh. Ernesto, Duci Sax. — in posterum, si ita videatur, tribuendo *etc.* Vinar. 1728. Fol.

12. Progr. Prolusio ad orat. aditial. *de Principe iuvene* etc. Onold. 1730. (et in Opusc. Tom. II. pag. 222. sqq.)

13. Oratio de Principe iuvene, magno reipublicae bono. Onoldi 1730. 8. (et in Opusc. Tom. II. pag. 227. sqq.)

14. Primae lineae artis oratoriae, exercitationum ad eas instituendarum causa ductae. ibid. eod. 8. Nunc passim auctae et emendatae; accedunt Rutilii Lupi, Aquilae Romani, Iulii Rufiniani, Rhetorum antiquorum reliqua, ad Fr. Pithoei exemplar recensita, et notis illustrata. Ienae 1745. 8. Tertium editae, emendatae et indice instructae. ibid. 1753. 8.

15. Progr. Latine declamandum esse censet *etc.* Onoldi 1730. Fol.

16. Chrestomathia Graeca, sive loci illustres ex optimis scriptoribus dilecti, quam potuit emendate editi, notulis brevibus et indice copioso illustrati. Obiter Demosthenis enconiium Lucianeum, transposita una pagina, integritati restituitur. Lips. 1731. 8. ibid. 1732. 8. ibid. 1734. 8. ibid. 1742. 8. ibid. 1753. 8. etc. Latine vertit ac notis illustravit C.

J. Bouginé. Carolsruhae 1773. 8. Editio auct. et emend. Francof. et Lips. 1794. 8. Ins Teutsche uebersetzt und erlaeutert von I. D. Buechling. Leipzig 1795. 8.

17. Progr. Vita Io. Ern. Kregel, S. R. I. Equitis de Sternbach. Lips. 1732. Fol.

18. Progr. I — V. de venusta apud antiquos humanitate, quam *civilitatem* vulgo appellant. ibid. 1732—1734. Fol.

19. Leges Scholae Thomanae. ibid. 1733. 4. (Germanice ed. a Leisnero. ibid. 1733. 4.)

20. Progr. de interrogandi in studiis litterarum ratione atque utilitate. Goetting. 1734. 4. (Opusc. Tom. I. pag. 37. sqq.)

21. Progr. I—IV. quibus novi magistratus academici indicantur. ibid. 1735—1738. Fol. (et in Opusc. Tom. V. pag. 87.—100.)

22. Scriptores rei rusticae veteres Latini, Cato, Varro, Columella, Palladius, quibus nunc accedit Vegetius de mulo-medicina, et Gargilii Martialis fragmentum, cum editionibus prope omnibus et MSS. pluribus collati. Adiectae notae virorum clarissimorum integrae, tum editae, tum ineditae, et Lexicon rei rusticae. Lips. 1735. 4. Editio secunda curata ab I. A. Ernesti cum eius praefatione: Tom. I. ibid. 1773. Tom. II. ibid. 1774. 4 mai. (Novam ed. curavit Ioh. Gottlob Schneider. ibid. 1794—1796. IV Tomi 8 mai.)

23. C. Plinii Caecilii Secundi Panegyricus, tum aliunde tum ex observationibus V. C. Christi. Gottlieb Schwarzii emendatus. Getting. 1735. 8. (Edit. II. ibid. 1740. 8.)

24. Progr. Commendatio Epistolarum Ciceronis ad

diversos; cum lectionum indice. Gott. 1735. 4. (In Opusc. Tom. I. pag. 45. sqq.)

25. Progr. orationi de celebrando natali Reginae Carolinae — praemissum. ibid. eod. Fol. (et in Opusc. Tom. II. pag. 117. sqq.)

26. Memoria Io. Sal. Brunquelli *etc.* ibid. eod. Fol. (et in Biograph. Acad. Gotting. Tom. I. pag. 49 — 62.)

27. Oratio in funere Io. Sal. Brunquelli. ibid. 1735. Fol. (et in Opusc. Tom. III. pag. 372. sqq. — „Extat teutonica quoque eius interpretatio, in cuius exemplo aliquo, sensu communi interpretem caruisse, Gesnerus ipse admonuit." Eyring.

28. Oratio, qua Georgio II. praesentiam in Germanica patria et nuptias Friderici Walliae Principis cum Augusta gratulabatur Academia Georgia Augusta. Gott. 1736. Fol. (et in Opusc. Tom. II. pag. 164. sqq.)

29. Progr. quo consilium suum de edendo novo linguae Latinae Thesauro publicavit. Lips. 1736. Fol.

30. — orationi in nuptias Friderici Walliae Principis praemissum. Gott. 1736. Fol. (et in Opusc. Tom. II. pag. 122. sqq.)

31. — ad Demetr. Phalerea (sect. 71.) *θεολογούμενα γραμματικά* de laude Dei per VII vocales. ibid. eod. 4.

32. Memoria Chr. Fridericae, gentis Hubneriae, in matrimonio Magni Crusii defunctae (ubi simul disseritur de intellectus et voluntatis mutua fallacia.) ibid. eod. Fol. (et in Biogr. Acad. Gotting. Tom. II. pag. 3 — 12.)

33. — Io. Guil. Albrechti *etc.* ibid. eod. Fol. (et in Biogr. Acad. Gotting. Tom. I. pag. 145 — 156.)

34. De statu Academ. Georgiae Augustae, quae Got-

tingae est, brevis et vera narratio. Gott. 1736. 4. (et in Opusc. Tom. IV. pag. 389 — 400. it. in Gesneri Biograph. Acad. Gotting. Tom. III. pag. 213 — 226.)

35. Progr. quo Academiae Georgiae Augustae, quae Gottingae est, inauguratio publica indicatur. ibid. 1737. Fol. (et in Actis inaugurationis pag. 36. sqq.)

36. De Academia Georgia Augusta, quae Gottingae est, condita atque dedicata, narratio. ibid. eod. 4. Cum Privil. Caesar. atque Reg. itemque monumentis aliis hist. Acad. continentibus et illustrantibus pag. 1—30. ibid. 1737. Fol. (Repet. in Gesneri Opusc. Tom. IV. pag. 448 — 496. et in Biogr. Acad. Gotting. Tom. III. pag. 227 — 286.)

37. Diss. Ψυχαὶ Ἱπποκράτους ex libro I. de diaeta. Resp. Praesidis filio Car. Phil. Gesnero. ibid. eod. 4. *)

38. M. Fabii Quinctiliani de institutione oratoria libri duodecim, collatione Codicis Gothani et Iensonianae editionis aliorumque librorum, ac perpetuo commentario illustrati. Accedit praefatio et indices copiosissimi. ibid. 1738. 4.

*) „Disputationes academicae, sub Gesneri praesidio habitae, magnam partem ab illis sunt scriptae, quibus defendentium partes erant susceptae. Paucarum ille solus auctor erat, in pluribus scribendi consilium se dedisse, et libros indicasse, argumenta quaedam subministrasse prae se tulit: aliquas commentationes ita defendentibus tribui voluit, ut neque in rebus, neque in ordine, neque in verbis adeo quidquam suum esse pronunciaret; quo pertinent Oederi, Kriesii, Neubronneri, Hambergeri disputationes." Eyring.

39. Progr. quo post brevem prolusionem de felicitate docentium in scholis, Seminarii philologici, regiis auspiciis in Acad. Georg. Aug. conditi, ratio declaratur. Gott. 1738. 4. (et in Opusc. Tom. I. pag. 59. sqq.)

40. — parentationi, divae Wilhelminae Carolinae dictae, praemissum: de antiquorum more in coelum evehendi et sideribus adscribendi, quorum, dum viverent, magna esset admiratio. Gott. 1738. Fol. (et in Opusc. Tom. II. pag. 154. sqq.)

41. — Bona urbis Goettingae crescentia praedicantur. ibid. eod. Fol. (et in Opusc. Tom. IV. pag. 163. sqq.)

42. — prioris quasi continuatio. ibid. 1739. Fol. (et in Opusc. Tom. IV. pag. 167. sqq.)

43. — orationi in divam Carolinam praemissum: demonstratur, in quantum heroinae nomen etiam de antiquitatis consensu tribui Carolinae possit. ibid. eod. Fol. (et in Opusc. Tom. II. pag. 200. sqq.)

44. Schulordnung vor die Churfuerstl. Braunschweig-Lueneburgischen Lande; darinnen sonderlich eine allgemeine und zusammenstimmende Lehrart alles dessen, was in den Schulen tractiret werden soll; 2. die Art, Zucht und Disciplin zu fuehren; 3. die Einrichtung des Seminarii philologici zu Goettingen; 4. die Pflichten der Eltern und Vormuender, deutlich vorgeschrieben werden. Unter Sr. koenigl. Maiestaet von Grossbritannien und Churfuerstl. Durchl. zu Braunschw. Lueneburg allergnaedigsten Confirmation herausgegeben; und um desto weitlaeuftigern Nutzens willen auch besonders in bequem. Format und Druck gebracht. ibid. 1738. 8.

(Etiam in J. J. Moser's Evangel. Kirchenordnungen Tom. II. pag. 1202. sqq.)

45. Ad disputationes in I. A. Ernesti Initia solidioris doctrinae — habendas invitatio I. M. Gesneri. Obiter verbum *altercor* cum derivatis, tanquam specimen novi Thesauri L. L. proponitur. Gott. 1738. 4.

46. Progr. in funere Reginae incomparabilis Carolinae demonstrata pietas Academiae Georgiae Augustae. ibid. eod. Fol.

47. Oratio, qua Wilhelminae Carolinae, Reginae, nomine Academiae parentavit. ibid. eod. Fol. (et in Opusc. Tom. II. pag. 164. sqq.)

48. Gratiarum actio, tertia Sacri inaugurationis die, in templo Acad. habita; cum Actis inaug. edita et recusa in Opusc. Tom. IV. pag. 412. sqq.

49. Epistola ad I. A. Ernesti, qua suam Plinii iunioris editionem vel emendandi vel defendendi causa retractat. Lips. 1738. 4. (Habetur etiam in ed. Plin.)

50. Progr. quanta sit vis pudoris. Gotting. 1739. Fol. (et in Opusc. Tom. V. pag. 100 — 103.)

51. — de modo tenendo inter severitatem nimiam atque lenitatem. ibid. eod. Fol. (et in Opusc. Tom. V. pag. 104 — 106.)

52. C. Plinii Caecilii Secundi Epistolarum libri decem, eiusdem gratiarum actio sive Panegyricus, cum adnotationibus perpetuis I. M. Gesneri, qui etiam vitam Plinii et indices auctiores emendatioresque dedit. Lips. 1738. 8: Edit. II. ibid. 1770. 8. (curante Aug. Guil. Ernestio.) Edit. III. (ibid. 1805. 8.) debetur Schaefero, qui Io. Mich. Heusingeri, Io. Christ. Theoph. Ernestii suasque adnotatt. addidit, de Plinio quoque bene meritus.

53. Neu ausgefertigte und zum Gebrauch der Churf.

Braunschweigischen Schulen eingerichtete Cellarianische Lateinische Grammatik und Woerterbuch. Ueber dasjenige, was sonst in irgend einem Schulbuch dieser Art befindlich, sind auch bequeme Tabellen der Roemischen Gewichte, Maas und Muenzen hinzugefueget worden. Goettingen 1740. 8.

54. Memoria Marianae e gente Wyssia in matrimonio Alberti Halleri (Orphei et Halleri parallela.) ibid. eod. Fol. (et in Biogr. Acad. Gott. Tom. II. pag. 21—30.)

55. — Franc. Henrici Stoschii *etc.* ibid. eod. Fol. (et in Biogr. Acad. Gott. Tom. II. pag. 223—234.)

56. — Iusti Conringii *etc.* ib. eod. Fol. (et in Biogr. Acad. Gott. Tom. II. pag. 235—250.) Obiter Herm. Conringii genealogia illustratur, simulque agitur de causis, ob quas mortem contemnere quidam et vel aequo animo subire vel appetere adeo videantur.

57. Progr. de laude typographicae artis et litterarum. ibid. eod. Fol. (et in Opusc. Tom. VI. pag. 271. sqq.)

58. — Eruditio maxima, quae in malam mentem, malum animum incidit, telum est in manu stulti. ibid. eod. Fol. (et in Opusc. Tom. V. pag. 110—113.)

59. — Philosophumena de imperio. ibid. eod. Fol. (et in Opusc. Tom. V. pag. 106—109.)

60. — Philosophumena de gloria. ibid. 1741. Fol. (et in Opusc. Tom. VI. pag. 175. sqq.)

61. — de amicis studiosorum. ibid. eod. Fol. (et in Opusc. Tom. V. pag. 114—117.)

62. — in illud: *Felices, sua si bona norint.* ibid. eod. Fol. (et in Opusc. Tom. V. pag. 118—122.)

63. Memoria Henr. Christiani de Reineck. ibid. eod.

Fol. (et in Biogr. Acad. Gotting. Tom. II. pag. 251 —260.) De arithmetica civili.

64. Memoria Ern. Ioh. Meelbaum *etc.* Gott. 1740. Fol. (et in Biogr. Acad. Gott. Tom. II. pag. 261—268.) De Invidia Fortunae, Fati, Deorumque adeo.

65. Diss. Examen argumentorum, quibus Deum esse evinci solet. Gotting. 1742. 4.

66. — (Resp. Geo. Guil. Oedero) de raptu non Pauli in tertium coelum et de *σκόλοπι τῇ σαρκί* II. Cor. 12, 1—9. ibid. eod. 4.

67. — (Resp. Io. Albin. Kries) de hymnis veterum, maxime Graecorum. ibid. eod. 4.

68. Progr. de praesenti Academiae felicitate. ibid. eod. 4. (et in Opusc. Tom. VI. pag. 181. sqq.)

69. — de bono, quod praestant litterae, belli tempore. ibid. eod. Fol. (et in Opusc. Tom. V. pag. 123. sqq.)

70. — de gaudio sapientis. ibid. eod. Fol. (et in Opusc. Tom. V. pag. 133. sqq.)

71. Carminum libri III. (quos collegit Ioh. Lud. Uhlius.) Vratislaviae 1742. 8. (Gesn. Opusc. minor. Tom. VIII.)

72. Progr. de Quinctiliani Sipario; quo disputationes publicas, proxima aestate a Seminarii philologici sodalibus aliquot habendas, indicat. Gott. 1742. 4. (et in Opusc. Tom. I. pag. 85. sqq.)

73. Diss. (Resp. Geo. Guil. Oedero) Chronologia grammatica. Gott. 1743. 4.

74. Memoria Tob. Iac. Reinharthi *etc.* ibid. eod. Fol. (et in Biograph. Acad. Gotting. Tom. I. pag. 63—78.) De Ictorum apud cultiores populos honore et auctoritate.

75. — Gottl. Sam. Treueri *etc.* ibid. eod. Fol. (et in Biogr. Acad. Gotting. Tom. I. pag. 93—108.)

76. Oratio de negata hominibus futurorum contingentium praescientia, magno divinae providentiae bono. Gott. 1743. 4.
77. — de Georgio II., defensore fidei amabili, habita in anniversar. sacris 1743.
78. Progr. de dissensione, quae est nonnunquam inter praecepta et usum. ibid. eod. Fol. (et in Opusc. Tom. VI. pag. 192. sqq.)
79. — debeatne aut possit imperium quodcunque vel magistratus adeo, methodo mathematica et exquisita illa Geometrarum ratione administrari. ibid. eod. Fol. (et in Opusc. Tom. V. pag. 144. sqq.)
80. — de sensu civili et spiritu publico. ibid. eod. Fol. (et in Opusc. Tom. V. pag. 153. sqq.)
81. Luciani Samosatensis opera, cum nova versione Tiber. Hemsterhusii et Io. Matth. Gesneri, Graecis Scholiis ac notis omnium proximae editionis commentatorum, additis Io. Brodaei, Io. Iensii, Lud. Kusteri, Lamb. Bosii, Hor. Vitringae, Io. de la Faye, Ed. Leedes, aliisque ineditis, ac praecipue Mosis Solani et I. M. Gesneri. Tom. I. cuius priorem partem summo studio curavit et illustravit Tib. Hemsterhusius. Ceteras inde partes ordinavit, notasque suas adiecit Io. Frid. Reitzius. Amstelod. 1743. Tom. II. et III. ibid. eod. Tom. IV. qui amplissimos indices complectitur, ibid. eod. 4 mai.
82. Opuscula varii argumenti. Vratislaviae 1734—1746. Tomus I—VIII. 8.
83. Memoria Ge. Nic. Koehleri, ecclesiae Suabacensis Pastoris primarii et dioeceseos Decani, in Epistola ad Geretum. Gott. 1744. 4. (et in Opusc. Tom. VI. pag. 229. sqq. it. in Biograph. Acad. Gotting. Tom. III. pag. 181—212.)

84. Progr. Non faciendum bene, ut videaris fecisse, sed ut feceris. Gott. 1744. 4. (et in Opusc. Tom. VI. pag. 189. sqq.)
85. — de modestia. ibid. eod. Fol. (et in Opusc. Tom. V. pag. 148. sqq.)
86. — de studio atque officiis, quae belli tempus a nobis exigit. ibid. eod. Fol. (et in Opusc. Tom. V. pag. 138. sqq.)
87. — de republica bonorum virorum. ibid. 1745. Fol.
88. — de philosophia Dei. ibid. eod. Fol.
89. — Aristotelea quaedam de usu et praestantia philosophiae. ibid. eod. Fol.
90. Diss. (Resp. L. I. G. Saxer) de prensatione, osculo, fascium et signorum in navibus submissione. ibid. eod. 4. (et in Opusc. Tom. V. pag. 72. sqq.)
91. — (Resp. I. C. Stussio) de opinatis saecularium ludorum notis in numis Romanarum gentium. ibid. eod. 4.
92. — (Resp. I. C. L. Brueggemann) de terriculis puerorum. ibid. eod. 4.
93. Enchiridion, sive prudentia privata ac civilis T. Pomponii Attici, M. et Q. Ciceronum, Cn. Iul. Agricolae, Imper. Caes. Nervae, Traiani, a Nepote, Ciceronibus, Tacito, Plinio, descripta. In usum praelectionum academicarum recensuit. ibid. eod. 8 min.
94. Progr. de vitiorum pugna contra se ipsa. Gott. 1746. Fol.
95. — Oderint dum probent. ibid. eod. Fol.
96. — de difficultate imperandi, ex imperitorum sermonibus. ibid. eod. Fol.
97. Memoria Wilh. Kupeke *etc.* ibid. eod. Fol. (et in Biogr. Acad. Gotting. Tom. II. pag. 169 — 182.) Agitur de vocabulo *Secretum* et *Secretarius*.

98. (Resp. I. W. Seidlero) Primae lineae dissert. inaug. de primis naturae in formanda infantia recte utendi. Gott. 1746. 4.

99. Progr. de vi consuetudinis. ibid. 1747. Fol.

100. — de felicitate ex severioris tenore disciplinae. ibid. eod. Fol.

101. — de reperto nuper Herculano. ibid. eod. Fol.

102. Memoria Ioh. Danielis Gottschalck *etc.* ibid. eod. Fol. (et in Biograph. Acad. Gotting. Tom. II. pag. 268 — 276.) Disputatur simul de nomine *Schalck.*

103. Novus linguae et eruditionis Romanae Thesaurus, post Rob. Stephani et aliorum, nuper etiam in Anglia eruditissimorum hominum curas, digestus, locupletatus, emendatus *etc.* Lips. 1747. 1748. IV Voll. Fol.

104. Memoria Io. Augusti a Druchtleben *etc.* Gotting. 1748. Fol. (et in Biogr. Acad. Gott. Tom. II. pag. 183—194.) De vetere illa inter Musas et Herculem societate.

105. — Dieder. Ernesti ab Uslar *etc.* eod. Fol. (et in Biogr. Acad. Gott. Tom. II. pag. 213 — 222.) Quaedam de fabulosa nobilium familiarum antiquitate disputantur.

106. Progr. de lege cum prologo. ibid. eod. Fol.

107. — de utilitate militum in pace. ibid. eod. Fol. (Insertum huic libro: *Beschreibung der — Feyer bey der Anwesenheit des Koenigs Georg des* II. *zu Goettingen;* pag. 73. sqq.)

108. — de genere et meritis Ducum de Newcastle. ibid. eod. 4.

109. — Ordinis philosophici nomine scriptum, quo summi illius honores sex Candidatis sub placido

adspectu Georgii II. Kal. Aug. 1748. conferendi, indicantur. Gott. 1748. 4. „Divinam Platonis philosophiam commendat Gesnerus, inprimis ubi ille de animorum immortalitate, praemiisque bonorum ac malorum, deque felicitate ex virtute oriunda disputat." Eyring.

110. Diss. (Resp. I. C. Heckero) de oratore sacro. ibid. eod. 4.

111. Diss. (Resp. I. P. Millero) de notabili illo et maximo versionis Italae ad verba Christi Matth. XX, 28. additamento. Gotting. 1748. 4.

112. Praefatio de sanctitate quarundam opinionum, quae speciem vanitatis habere multis videntur, ut gloriae, amore patriae *etc.* (Praemissa est Io. Cas. Happachii commentationi de calumnia religiosa.) ibid. eod. 4.

113. Vicennalia Brixiensia Eminentissimi Card. Bibliothecarii Angeli Mariae Quirini — celebrata in Acad. Gottingensi. ibid. eod. 4 mai.

114. Memoria Ren. Elisabethae e gente Gerckenia, in matrimonio Chr. Kortholti (de vanis, quae philosophia subministrat, contra mortis metum, praesidiis.) ibid. eod. Fol. (et in Biogr. Acad. Gotting. Tom. II. pag. 31—40.)

115. — Chr. Dorotheae ex Meyeris, in matrimonio F. W. Kraftii (de coronis mortuorum.) ibid. eod. Fol. (et in Biogr. Acad. Gotting. Tom. II. pag. 41—50.)

116. — Io. Christiani Claproth *etc.* ibid. eod. Fol. (et in Biogr. Acad. Gotting. Tom. I. pag. 130—144.) De venustate, quae Gratia s. Charis a veteribus appellata fuit.

117. — Io. Frid. Pentheri *etc.* ibid. 1749. Fol. (et in Biogr. Acad. Gott. Tom. I. pag. 201—214.)

118. Index etymologicus Latinitatis, complectens voces Latinas omnes, sub suis velut radicibus collocatas. Lips. 1749. 8.

119. Diss. (Resp. I. M. Boonio) Par observationum philologicarum sacrarum ad Matth. XIII, 55. de fratribus Domini, et I. Cor. 15, 2. de baptizatis super mortuis. Gotting. 1749. 4.

120. Leges Paedagogii Ilfeldensis alumnis scriptae et publicatae a. 1749. ibid. eod. 4.

121. Progr. de Mathematicis iure Romano damnatis. ibid. eod. Fol.

122. — de voluptate ex occupatis legibus. ibid. eod. Fol.

123. — Admonitio de hortatoribus scelerum. ibid. 1750. Fol.

124. — de vanis Harduini in Horatium et solidam eruditionem conatibus. ibid. eod. Fol.

125. Memoria Mariae Cathar. ex Winikeris, in coniugio C. A. Heumanni. (De animae in antiquis monumentis symbolo papilione.) ibid. eod. Fol. (et in Biogr. Acad. Gotting. Tom. II. pag. 50—68.)

126. Progr. de ostracismo academico s. consilio abeundi. ibid. 1751. Fol.

127. — contra αὐθάδειαν et pro legibus disputatur. Gotting. 1751. Fol.

128. Diss. (Resp. auctore G. C. Hambergero) Rituum, quos Romana Ecclesia a maioribus suis gentilibus in sua sacra transtulit, enarratio. ibid. eod. 4.

129. Memoria Adami Henr. Rhoden *etc.* (disputantur quaedam de immortalitate animorum credita magis, quam demonstrata.) ibid. eod. Fol. (et in Biogr. Acad. Gotting. Tom. II. pag. 277—286.)

130. — Antonii Frid. Strubii *etc.* (de salubri coelo,

quo Gottinga gaudet.) Gott. 1751. Fol. (et in Biogr. Acad. Gotting. Tom. II. pag. 287—296.)

131. Q. Horatii Flacci Eclogae, una cum scholiis perpetuis, tam veteribus, quam novis, praecipue vero antiquorum Grammaticorum, Helenii Acronis, Pomponiique Porphyrionis, quorum quae exstant reliquiae, foedis interpolationibus purgatae, nunc primum fere integrae reponuntur. Adiecit, ubi visum est, sua, textumque ipsum plurimis locis vel corruptum vel turbatum restituit Willielmus Baxter. Ad cuius secundam editionem recudi curavit et varietate lectionis suisque observationibus auxit I. M. Gesnerus. Lips. 1752. 8 mai. Novam edit. curavit Io. Carol. Zeunius. ibid. 1788. 8 mai. in eiusque locum successit Frid. Henr. Bothius, qui bene de Flacco meruit.

132. Progr. de antro Mercurii Orphico. Gott. 1752. Fol.

133. — de medicina civili. ibid. eod. Fol.

134. — Aristotelea quaedam de gloria. ibid. 1753. Fol.

135. — de ministratoribus criminum. ibid. eod. Fol. (Cf. supra pag. 66.)

136. Neue Art und Weise den Kindern lesen zu lehren. ibid. 1753. 8. (Praefat. huius libri recusa est in *Gesn. kleinen teutsch. Schrift.* pag. 253.)

137. Memoria Ioachimi Oporini. ibid. eod. Fol. (et in Biogr. Acad. Gotting. Tom. I. pag. 31—48.)

138. — Henrici Eilhardi Schroederi *etc.* (de somni et mortis similitudine.) ibid. eod. Fol. (et in Biogr. Acad. Gotting. Tom. II. pag. 297—312.)

139. Progr. de mutata in melius, per conditam Academiam, Gottinga. ibid. 1754. Fol.

140. Progr. de scientia equestri s. arte vindictae privatae brevis disputatio. Gott. 1754. Fol.

141. — de bono severitatis. ibid. eod. Fol.

142. Diss. (Resp. Tob. Neubronnero) Historia Zodiaci. Sectio prima. ibid. eod. 4.

143. Memoria Sophiae Eleon. gente Waltherinae, in matrimonio Gottfr. Achenwalli. Gott. 1754. Fol. (et in Biograph. Acad. Gott. Tom. II. pag. 69—80.) Animae apes dictae.

144. — Ioan. Mariae e gente Dornfeldia, in coniugio Ge. Henr. Ayreri (ostenditur etiam, dogma de perenni animorum natura per Eleusinia praecipue sacra propagatum.) ibid. eod. Fol. (et in Biogr. Acad. Gotting. Tom. II. pag. 81—102.)

145. Progr. Disputantur quaedam de frugalitate. ibid. 1755. Fol.

146. — Notitia Principum S. R. I. Germanicorum, qui in Academiis Germaniae litteris operam dederunt. ibid. eod. Fol.

147. — tractatur quaestio: *qui fiat, ut etiam a bonis amentur dissimiles?* ibid. eod. Fol.

148. Memoria Io. Laurentii Moshemii *etc.* ibid. eod. Fol. (et in Biogr. Acad. Gott. Tom. I. pag. 1—30.)

149. — Io. Friderici Wahlii. ibid. eod. Fol. (et in Biogr. Acad. Gotting. Tom. I. pag. 79—92.)

150. — Ioannis Davidis Koeleri *etc.* ibid. eod. Fol. (et in Biogr. Acad. Gotting. Tom. I. pag. 173 — 200.)

151. — Comitis Axelii Wilhelmi Wachtmeister *etc.* (disputatur de Elysio et insulis beatorum.) ibid. eod. Fol. (et in Biogr. Acad. Gotting. Tom. II. pag. 195—212.)

152. Diss. (Resp. Io. Mich. Kern) Accentuum veterum

Graecorum genuina pronuntiato. Gott. 1755. 4. „Con-„silium et argumenta omnia subministravit Gesne-„rus, qui defensori disputationis hoc solum permi-„sit, ut suo ingenio et stilo exhibitam materiam „tractaret et componeret." Eyring.

153. Diss. (Resp. I. F. Grunero) Herodotus ab interpretibus non satis caute tractatus. ibid. eod. 4.

154. Memoria Francisci Rothfischeri *etc.* ibid. eod. 4. (et in Biogr. Acad. Gott. Tom. I. pag. 215—244.)

155. Progr. quo de re libraria Herculanensi refertur. ibid. 1756. 4.

156. — proponuntur de terrae motibus quaedam ἱστορούμενα et φιλολογούμενα. ibid. eod. 4.

157. — disputantur quaedam de plausu doctorum. ibid. eod. 4.

158. Diss. (Resp. H. D. Wedekind) de habitu antiquorum Graeciae ac Latii scriptorum ad religionem. ibid eod. 4.

159. Utilitas honesti mater, non index; oratio, qua Prorectoratum secundum auspicatus est. Accedunt actiones duae *etc.* Gotting. 1756. 4. (Maior huius orat. pars Primis Lineis Isagoges *etc.* praefixa est.)

160. Memoria Annae Christ. Louisae, in matrimonio Ge. Matthiae. (Mulieres publica post mortem laude dignae.) ibid. eod. Fol. (et in Biogr. Acad. Gotting. Tom. II. pag. 103 — 112.)

161. — Io. Iacobi Schmaussii (disquiritur simul, quale vivendi genus praecepto λάθε βιώσας commendetur?) ibid. 1757. Fol. (et in Biogr. Acad. Gotting. Tom. I. pag. 109 — 130.)

162. Primae lineae isagoges in eruditionem universalem, nominatim philologiam, historiam et philoso-

phiam, in usum praelectionum ductae. Gott. 1757. 8. Editio auctior. ibid. 1760. 8. Editio tertia, cum praefatione Heynii. Gotting. et Lips. 1786. 8. Cum Gesneri praelectionibus ed. Io. Nicolaus Niclas. Lips. 1774. sq. II Voll. 8 mai.

163. Progr. de difficultate iudicandi. Gott. 1757. Fol.

164. — commendatur ars nihil credendi. ibid. eod. Fol.

165. — de habitu litterarum ad rem militarem. ibid. eod. Fol.

166. — de humanitate in bello. ibid. 1758. Fol.

167. — de quibusdam providentiae divinae in hanc Academiam muneribus. ibid. eod. Fol.

168. — popularis de optimismo disputatio. ibid. 1759. Fol.

169. — declarantur Macrobii Orphica. ibid. eod. Fol.

170. Memoria Io. Gottfried Zinnii *etc.* (De dicto: Medicum, qui idem sit philosophus, Dei aequalem esse, certe similem.) ibid. eod. Fol. (et in Biogr. Acad. Gotting. Tom. I. pag. 157—172.)

171. — Io. Chr. Gotth. Feldmann *etc.* ibid. eod. Fol. (et in Biogr. Acad. Gott. Tom. II. pag. 313—326.)

172. — Elisab. Clarae gente Wahliae, in matrimonio I. G. Roedereri; praemittitur brevis de Melissis disputatio. ibid. eod. Fol. (et in Biogr. Acad. Gotting. Tom. II. pag. 113—124.)

173. — Io. Chr. Frid. e Schachtrupiis, in matrimonio Io. Davidis Michaelis (illustratur Sanctum Sancti Hieronymi Gynaeceum.) ibid. eod. Fol. (et in Biogr. Acad. Gotting. Tom. II. pag. 125—140.)

174. Diss. (Resp. S. C. Schwabio) Ἁμαρτιγένεια s. fontes peccatorum in parvis. Gott. 1759. 4.

175. Cl. Claudiani quae extant, varietate lectionis et

perpetua adnotatione illustrata. Accedit index uberrimus. Lips. 1759. 8 mai.

176. Progr. de aequitate hostium in urbes litteris sacras. Gotting. 1760. Fol.

177. — commendatur amicitia ex commilitio studiorum. ibid. eod. Fol.

178. Prolusio publicarum recitationum in Nieupoortii succinctam rituum Romanorum explicationem. ibid. eod. 4. (Praefixa mox Nieupoortiano libello ipsi, ed. Berolini 1784. 8., praefationis loco; habetur etiam in Opusc. Tom. VII. pag. 217. sqq.)

179. Memoria Io. Rosinae Baumanniae, in matrimonio A. G. Kaestneri *etc.* (praemittuntur quaedam de animorum immortalitate philologumena.) ibid. eod. Fol. (et in Biogr. Acad. Gott. Tom. II. pag. 141 —152.)

180. — Elisab. Caritatis ex Eberhardis, coniugis I. M. Gesneri. ibid. 1761. Fol. (et in Biograph. Acad. Gotting. Tom. II. pag. 158—168.) Praefationis auctor est I. D. Michaelis.

181. Kleine Teutsche Schriften. Goetting. u. Leipz. 1760. 8. quibus nominatim continentur haec:
   1. Einige Schreiben an den Koenig, im Namen der Universitaet, pag. 3—14.
   2. Einige die Disciplin betreffende Anschlaege, pag. 19—47.
   3. Einladungen zu oeffentlichen Reden, im Namen der Universitaet:
      a) zu Einfuehrung der Teutschen Gesellschaft: Von einigen Grundsaetzen, welche die Gesellschaft befolgen will, pag. 55.
      b) auf die Anwesenheit des Koenigs, pag. 66.
      c) auf den Stiftungstag der Teutschen Ge-

sellschaft: Man muss Sachen und Worte nie von einander trennen, pag. 71.

d) auf den Geburtstag des Herzogs von Cumberland: Es ist nuetzlich auch lebende Fuersten zu loben, pag. 80.

e) auf den Stiftungstag der Teut. Gesellsch. Von Bernhard's von Breidenbach Reise in das gelobte Land, pag. 88.

f) auf den Geburtst. des Herz. Karl von Braunschweig: Die Gottesfurcht, als ein Vorzug der Fuersten, pag. 100.

g) auf das Einweihungsfest der Universitaet: Von dem Lobe u. dessen Wirkungen, pag. 111.

h) auf den Geburtstag des Prinzen von Wallis, pag. 119.

i) auf den Stiftungstag der Teutschen Gesellsch. Von dem Eifer der Grossen fuer ihre Muttersprache, pag. 127.

k) auf den Geburtst. der Kaiserin Elisabeth: Von der Geschichte, als einer Mutterstadt der Philosophie, pag. 138.

l) auf den Stiftungstag der Teutschen Gesellschaft. Es ist unbesonnen, wider die Religion zu schreiben, pag 147.

m) auf den Geburtstag des K. Friedrich V. von Daenemark: Vom Adel ganzer Voelker, pag. 156.

n) auf das Geburtsfest des Grossfuersten Paul Petrowitz: Von der Reise der Russisch. Fuerstin Olga nach Kostantinopel, pag. 168. (Cf. der Kaiserl. Akad. der Wissensch. zu Petersb. Monatliche Aufsaetze 1755. St. 11.)

o) auf den Geburtstag des Landgr. Ludwig von

Hessen-Darmstadt zum Andenken des Religionsfriedens: Von M. Conrads von Marburg Verfahren gegen die Ketzer, pag. 184.

p) auf den Geburtstag des Herz. Christian Lud. von Meklenburg: Von der Gesetzlosigkeit, pag. 197.

q) Kroenung einer Poëtin.

4. Reden in der Teutsch. Gesellsch. pag. 215—250.

5. Vorschlaege zur Verbesserung des Schulwesens:

a) Vorrede zu einem Lesebuechlein, pag. 253.

b) Vorrede zu der Cellarianischen Lat. Grammatik (von dem Gebrauch derselben) pag. 256.

c) Vorrede zu Castellion's Lateinischer Uebersetzung des neuen Testaments: (Von der Bibel, als einem sehr bequemen Mittel, Sprachen zu lernen) pag. 284.

d) Ob man aus der Grammatik die Lateinische Sprache zu lernen anfangen muesse? pag. 294. (Primum ed. in *Hannoever. gel. Anzeig.* 1751. St. 97. 1752. St. 21.)

e) Bedenken, wie ein Gymnasium in einer fuerstlichen Residenzstadt einzurichten sey, pag. 352.

f) Vorrede zur Chrestomathia Ciceroniana.

182. De nomenclatura Latina, ad linguas hodiernas accommodanda, disquisitio; in Actis Societatis Latin. Ienensis Tom. I. pag. 3. sqq.

Ad disputationem de nomenclatura Latina *παραλειπόμενα*; ibid. pag. 20 — 23.

Spicilegium ad Thesaurum suum Stephanianum; ibid. Tom. IV. pag. 147 — 152.

Spicilegium secundum; ibid. Tom. V. pag. 24 — 29.

183. Annotationes ad Musaeum; in Kromeyeri editione huius scriptoris (Ienae 1721. 8.)
184. Notae ad Lactantii Symposium; in Heumanni editione huius scripti (Hannov. 1722. 8.)
185. Observationes ad Trithemii Steganographiam; in Coleri Anthologia Tom. I. Fasc. VI, 1.
186. Duae Epistolae Lipsii et totidem Ios. Scaligeri; in Parergis Gottingens. Tom. I. lib. I. pag. 96—124.
Nodi Quinctilianei propositi; ibid. Tom. I. lib. II. pag. 206—217.
187. In Matth. IX, 16. Marc. II, 21. Luc. V, 36. (*Kohl's Hamburg. verm. Bibl.* Vol. I. pag. 87. sq.)
Coniectura in Iuvenal. L. III. s. Satyr. III. vs. 250. (ibid. Vol. II. pag. 171. sq.)
188. Observatt. ad Cornelium Nepotem; in Heusingeri edit. (Ienae 1747. 8.)
189. Animadversiones ad Plutarchum, de audiendis poëtis; in Krebsii edit. (Lips. 1746. 8.)
190. Notatiunculae ad Quinctilianum; in Christi. Crusii Probabilibus criticis (Lips. 1753. 8.) pag. 73—83. 88—104. „Tentaverat Crusius eorum nodorum solutionem, quos se expedire non posse professus erat Gesnerus in sua Quinctiliani editione: ad hanc, rogatus quasi arbiter, Gesnerus epicrisin adiecit suam." Eyring.
191. Emendationes et breves notulae ad veteres Rhetores; in Gesneri primis lineis artis oratoriae. Habentur etiam in Claudii Capperonnerii eorumdem Rhetorum editione.
192. I. G. Heineccii Fundamenta stili cultioris. Adiect. adnotatt. Gesn. Lips. 1743. 8. ibid. 1748. 8. ibid. 1756. 8. Omnibus Gesneri animadv., emendatt, additamentis et praef. locupletata accuravit, dige-

sit, suasque observatt. adiecit I. N. Niolas. ibid. 1761. 8. ibid. 1766. 8. ibid. 1791. 8.

193. De animabus Heracliti et Hippocratis, ex huius lib. I. de diaeta; in Commentariis Societ. Regiae Gotting. Tom. I. pag. 67. sqq. et pag. 385. Corollarium de animarum repraesentatione sub imagine papilionis; ibid. pag. 145 — 156.

De laude Dei per septem vocales et septem spiritibus apocalypticis γραμματικὰ ϑεολογούμενα; ibid. pag. 245. sqq. (Hoc argumentum iam exposuerat ante in progr. a. 1746. edito: nunc vero maiorem ei attulit lucem.)

Socrates sanctus paederasta; ibid. Tom. II. pag. 1. sqq. Corollarium de antiqua asinorum honestate; ibid. pag. 32. sqq.

Marmoris Cassellani, quo Aesculapius, Hygea, Telesphorus celebrantur, explicatio; ibid. pag. 281. sqq.

De electro veterum; ibid. Tom. III. pag. 67. sqq.

Cicero restitutus. Praelect. I. et II. ibid. Tom. III. pag. 223. et 251. sqq.

De marmore Cassellano Gymnastico disputatio; ibid. Tom. IV. pag. 214. sqq.

De Deo bono puero Phosphoro; ibid. pag. 373. sqq.

Explicatio Inscriptionis Graecae Corcyraeensis, quam ab Apostolo Zenone acceperat inque Diario Italico publicaverat Montefalconius, deinde Card. Quirini et Muratorius, aliique repetierant. Vid. *Goetting. Anzeig. von gel. Sach.* 1755. pag. 649—651.

De navigationibus Phoenicum extra columnas Herculis; ibid. pag. 1357 — 1361. (Haec disp. sub-

iecta est etiam editis a Gesn. Orphicis pag. 419. sqq.)

Additamenta ad commentat. de navigatt. Phoenicum extra columnas Herculis, nempe:

1. γεογραφούμενα de insulis beatorum;

2. de Hyperboreis;

3. de Francis praedonibus sub Probo; ibid. 1757. pag. 593 — 596. (item in Orphicis pag. 453 — 484.)

De Silenis veterum Prael. I. ibid. 1758. pag. 177 — 180. Prael. II. pag. 937. sq.

Commentatio super quatuor Inscriptionibus, in Pocockiana collectione pag. 13. 18. 30. et 35. reperiundis; ibid. 1759. pag. 73. sqq.

Prolegomena Orphica; ibid. pag. 657—659. Adiecta sunt Orphicis post praefat.)

Commentatio super aliquot Inscriptionibus Pocockianis; ibid. pag. 1283. sqq.

De situ Herculani et Retinae; ibid. 1760. pag. 529 — 532.

Commentatio super V Inscriptionibus, quae in Pocockianarum peregrinationum descriptione pag. 38. 45. 46. 50. et 53. exhibentur; ibid. pag. 1089 —1091.

194. De eruditione Graecorum, qui hodie vivunt, contra Alex. Helladium, nat. Graecum; in Miscell. Lips. 1716. Tom. II. pag. 397 — 452. Observatio παραλειπόμενα quaedam ad eandem complexa; ibid. pag. 712—719. (Seorsum ed. Lips. 1716. 8. et in Opusc. Tom. V. pag. 30. sqq.)

195. Vita L. A. Hambergeri; cum Hambergeri Opusc. ab Estore editis. (Habetur ibid. Gesneri gratulatio Hambergero scripta a. 1716.)

196. Observatio historico-litteraria de Stephano Doleto. (*Hamburg. vermischte Bibliothek.* Vol. II. pag. 883. sqq.)

197. Symbolae ad Lex. Histor. e Buddei instituto per Thom. Fritschium, curatum. (Attulit vero Gesn. quae ad Brunsvicensem et Brandeburgicam histor. pertinèrent.)

198. Additamentum ad C. A. Heumanni Disp. de VII Sapientibus; (in huius Actis Philós. Tom. II, 12. pag. 958—960.)

199. „Praefatiunculae catalogis lectionum praemissae, omnes argumenti novitate et mira elegantia lectores oblectant. Harum pars ab ann. 1736—1744. recusa in Gesn. Opusc. Tom. IV. pag. 497. Universas mox coniunctas edere constitui." Eyring. (qui tamen postea hoc consilium abiecit.)

200. Edictorum, Citationum et Relegationum formulas magno numero scripsit Gesn. Aliqua pars earum exhibetur in Opusc. Tom. IV. pag. 199—217.

Praefationes alienis libris scriptae:

201. Grammatikalisches Lexicon — von Siegmund Iacob Apin. Nuernberg 1727. 8. (Dissertat. Gesn. de vi consuetudinis ac saeculi in studiis litterarum: quae habetur etiam in Gesneri Opusc. Tom. I. pag. 1—16.)

202. Latinitatis Theatrum sive Lexicon Latino-Graeco-Germanicum universale Reyhero-Iunkerianum, cum praefat. I. M. Gesn. Lips. 1733. Fol. „In hoc „libro, praeter praefationem, (cuius editio iterata „extat in Gesneri Opusc. min. Tom. VI. pag. 281.) „Gesneri nihil est." Eyring.

203. Io. Vorstii de Latinitate selecta lib. Berol. 1738. 8.
204. Ioh. Frid. Reinhardi Animadversiones historico-politicae in Iust. Lipsii libb. politicorum. Francof. 1738. 8. (De fontibus doctrinae civilis: etiam in Opusc. Tom. VII. pag. 307—333.)
205. Adam Daniel Richter's critische Regeln des Stils. Leipzig 1740. 8. (In libelli huius ed. 1760. iterata prudenter omissa est Gesn. praefatio, reprehendens magis librum quam commendans.)
206. T. Livii Patavini historiarum libri, qui supersunt, ex editione et cum notis Io. Clerici. Adiecta est diversitas lectionis Gronovianae. Cum praefat. I. M. Gesn. Lips. 1735. III Voll. 8. ibid. 1743. et 1755. 8.
207. Novum locupletissimum manuale Lexicon Latino-Germanicum et Germanico-Latinum. Pars I. et II. Opera Georgii Matthiae adornatum, consilio et cum praefatione I. M. Gesneri. Halae Magdeburg. 1748. 8 mai.
208. Chrestomathia poetica, oder auserlesene Stuecke aus Catullo, Virgilio, Horatio und Martiale, zu bequemer Erlernung der Lateinisch. Poësie gesammlet und erklaeret, auch mit dienl. Registern und einer Vorrede — Gesners herausgeg. von Ioh. Mich. Heinze. Leipzig u. Zelle 1755. 8. ibid. 1768. 8.
209. G. C. Hamberger's zuverlaessige Nachrichten von den vornehmsten Schriftstellern vom Anfange der Welt bis 1500. Lemgo 1756. 8.
210. Gedanken von den Fetialen des alten Roms (v. Iust Christian Stuss). Goettingen u. Leipzig 1757. 8.
211. „Iudicia de libris novis exhibuit:
   1. in Actis Eruditorum Lipsiensibus;
   2. in Schedis Götting., quibus de libris novis i-

dicia feruntur (*Goetting. Anzeigen von gelehrt. Sachen*);

3. in Relationibus de libris novis, Gottingae Latine (XIII fasciculis) editis;
4. in Bibliotheca critica (*Bibliotheque raisonnée*). Iudicium de Mythographis Staverenii et Luciano Wetsteniano ipsius esse, certe scio." Eyring.

212. Orphei Argonautica, Hymni, libellus de lapidibus et fragmenta, cum notis Henrici Stephani et Andr. Christ. Eschenbachii. Textum ad Codd. MSS. et editiones veteres recensuit, notas suas et indicem Graecum adiecit I. M. Gesnerus; curante Ge. Christo. Hambergero. Lips. 1764. 8 mai. „Novissimum Gesneri opus, post auctoris quidem mortem in lucem editum et hoc respectu postumum, „nec immaturum tamen relictum, sed summa elaboratum diligentia, suprema etiam manu atque lima „perpolitum, quo proinde apud posteros censeri non „refugiebat, numeris denique absolutum omnibus; „praefationem nisi desideres, quam — Hambergero „exarandam demandavit." Eyring.

213. Epistolas Gesneri, ad eruditos varios scriptas, hi libri continent:

1. Sylloge nova epistolarum varii argumenti. Norimberg. 1760. 8.
2. Gesneri Opusc. Tom. I. pag. 95. 105. 113. Tom. IV. pag. 414. Tom. VI. pag. 229.
3. Vicennalia Brixiensia, pag. 40. sqq.
4. Tertium Academ. Ien. seculum, a soc. Lat. piis votis faustisque adclamationibus exceptum: (ed. I. E. I. Walchius. Ien. 1758.) pag. 57. sqq. unam pulcherrimam continet.

5. Chr. Crusii Opusc. ad histor. et humanitatis litteras spectantia. (Praefat. pag. 18—62.)
6. Thesaurus epistolicus Gesnerianus; collegit et praefatus est Christ. Adolphus Klotzius. Vol. I. Halae Magdeb. 1768. Vol. II. ibid. 1770. 8.
7. Io. Laur. Moshemii atque Io. Matth. Gesneri epistolae amoebaeae; edidit C. A. Klotzius. Lips. 1770. 8.
8. Biograph. Acad. Gott. Vol. III. pag. 565. sqq.

---

* * *

Pag. 62. *Interea — usura fruamur.* Vide Quinctilian. Institutt. Orator. VI, 3, 68. ibique Spalding. Cf. infra pag. 318.

Pag. 119. vs. 9. leg. *felicitatem.*

TYPIS DESCRIPSIT
F. A. BROCKHAUS
LIPS.